I. R. FORSTERI

DESCRIPTIONES

ANIMALIUM

IN

ITINERE AD MARIS AUSTRALIS TERRAS
PER ANNOS 1772-74 SUSCEPTO

OBSERVATORUM

EDIDIT

H. LICHTENSTEIN.

BEROLINI EX OFFICINA ACADEMICA
MDCCCXLIV.

VENDIT DUEMMLERI LIBRARIA.

Hrn Dr. von Krantzi

Hochachtungsvoll

10/3 53.

DESCRIPTIONES
ANIMALIUM

QUAE

IN ITINERE AD MARIS AUSTRALIS TERRAS
PER ANNOS 1772 1773 ET 1774 SUSCEPTO

COLLEGIT OBSERVAVIT ET DELINEAVIT

Johann Reinhold

IOANNES REINOLDUS FORSTER

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARUM LONDINENSIS SODALIS

NUNC DEMUM EDITAE AUCTORITATE ET IMPENSIS
ACADEMIAE LITTERARUM REGIAE BEROLINAE

CURANTE

HENRICO LICHTENSTEIN

ACADEMIAE SOCIO.

BEROLINI EX OFFICINA ACADEMICA
MDCCCXLIV.

VENDIT DUEMMLERI LIBRARIA.

LC card: 10-19035

PRAEFATIO.

Ioannes Reinoldus Forsterus, vir inter saeculi superioris eruditos, qui historiam naturalem ingenio et doctrina exornarunt, prae caeteris clarus, quamquam erat animo generoso et audaci, tamen, ut coepta absolveret et ad finem perduceret, raro sibi vidit contingere. Inde ab aetate iuvenili studiis, muneribus, domiciliis saepius commutatis, mira vicissitudine huc illuc agitatus, observandis et examinandis creatis rerum generisque humani discriminibus potius, quam conscribendis, corrigendis, edendis operibus litterariis amplioribus idoneus fuit. Quae cum ad fata libelli, quem naturae curiosis hodie offerimus, plurimum faciant, pauca de eis praemonenda videntur.

Fortunam enim audacius tentans Forsterus, cum Georgio filio anno 1767 in Angliam delatus, ibi post varios casus a clarissimo Banksio, hospitis indolem perspiciente, benigne exceptus magistratibusque commendatus fuerat. Hoc patrono suadente a rerum

nauticarum et colonicarum praefecto, generosissimo Sandwichio, electus est, ut Cookio navarchae orbem terrarum iterum circumnavigaturo, eo potissimum consilio itineris socius adiungeretur, ut, quod eximie praestare posse videbatur, de botanicis zoologicisque diligentius disquireret, adiutus cura filii, qui utrisque bene institutus, artem simul delineandi callebat.

Quo in itinere quae a nautis sint gesta, omnibus satis notuerunt e Cookii diario paulo post reditum publici iuris facto, nec non ex ipsius Forsteri filii peregrinationis descriptione, qui ea quoque, quae de animalibus pro operis consilio graviora sibi visa sunt, passim inseruit. Pater autem doctis prodesse maluerat, quaecunque de historia naturali in itineris cursu memoranda videbantur, litteris consignando. Namque praecipue animalium historiam spectans, quotidie fere observationes, adnotationes et descriptiones accuratas calamo exceperat, nulla quidem de puritate sermonis latini cura habita, sed terminis usus artis diagnosticae, ab immortali Linnaeo praefinitis, apud omnes tum temporis eruditos sanctis et perspicuis. Ita vero ephemeridi haud dissimile opusculum manu scriptum per itineris triennium in quatuor fasciculos amplioris voluminis accrevit, cuius paginae alternae vacuae spatium relinquerent addendis, corrigendis et notandis e seriori rerum consideratione et comparatione hauriendis. His ta-

men notis, cum in ipso itinere tum post reditum quasi in margine adscriptis, non ubique satis exacta et concinnata cum originali textu praestita est conciliatio, unde magna edendo operi difficultas oborta est. Totum vero opus eo conscriptum fuisse consilio, ut quam celerrime post reditum in publicum prodiret, iconibus a filio pictis, et aeri incidendis illustratum, ex ipsius ratione satis liquet.

Quod si ita fuisset perfectum, inter ceteros ingeniosissimi et diligentissimi auctoris labores et tum excelluisset et hodie magna in litteris zoologicis frueretur auctoritate, non solum quod plurimae animalium species, hucusque incognitae, certis characteribus descriptae, sed etiam plerique seriorum errores praecauti fuissent, ipsius autem viri illustris meritorum gloriae, quam multis post decenniis Anglorum et Gallorum zoologi facili labore nacti sunt, nihil foret detractum. Eo gravius deplorandum est, quod haec tam clara tamque utilia Forsteri nostri molimina, cum vix in Angliam rediisset, sive magistratuum culpa, sive aemulorum, sive rerum ipsarum, quae nos latent, invidia, sive denique quod ipse nimis temere de opere suo speraverat, prorsus irrita facta sunt. Quum enim res et novitate et varietate mirabiles aperturus sibi videretur, inopinato multas animalium species a Banksio et Solandro in prima Cookii orbis circumnavigatione collectas paullo ante, a Pennantio et Lathamo deno-

minatas et descriptas deprehendit. Aliunde quoque iniuriam ei illatam, fructus laboris fauste peracti denegatos, ipsumque auxiliis destitutum videmus, postremo inopia praemente coactum, picturas in itinere delineatas, ne descriptas quidem, oppignerare, nunquam ad se redituras. Tot tantisque difficultatibus qua tandem animi aegritudine affectus sit, filii praefatio ad diarii versionem germanicam satis declarat. Verumtamen reversus in Germaniam, ne quid diutius cunctando auctoritati suae detraheretur, graviora quaedam ex iis, quae litteris consignaverat, observatis cum viris doctis communicavit, e. g. historiam *Aptenodytae* in commentationibus Goettingensibus, descriptionem *Yerbuae capensis*, *Fossoris* aliorumque. Nihilominus Forsterum de edendo integro manuscripto suo aliquamdiu adhuc cogitasse, testantur multae ac serius illi additae notae, ex iis potissimum sumptae libellis, qui vel in itinere praesto non fuerant, vel absente aut vix reverso eo lucem aspexerant. Qui libri et correctorem eum, et strenuum interdum opinionum suarum defensorem experti sunt.

Sed post annum 1778 nil amplius additum fuisse inde intelligitur, quod neque Pallasii, quem magni aestimabat, de *Antilopibus* monographia in spicilegiis zoologicis (fasc. XII.), nec Lathami synopsis avium, anno 1780 edita, quamvis multorum addendorum copiam datura, ullo loco commemo-

ratur. Quo factum est, ut manuscriptum praestantissimum, donec Forsteri mortui bibliotheca anno 1800 regiae Berolinensi adquireretur, inexcussum apud eum consenesceret. Eodem tempore Schneiderus Blochii *Systemati Ichthyologiae* edendo operam dederat. Qui quum Forstero vivo manuscriptum in re praesenti saepius vidisset, ipsumque de picturis, penes creditores Londinienses relictis conquerentem audiisset (vid. praef. p. XXIV), multae et utilitati et auctoritati manuscriptum sibi fore ratus, pleraque inde desumpsit operique suo intexuit, quae, quamvis plus iusto in breve corpus contracta mendisque typographicis foedata, praestantissimum tamen operis istius et decus efficiunt et ornamentum. Namque icones Banksii opera servatas et bibliothecae ipsius inditas esse, pluribus annis post ex Dryandri demum catalogo bibliothecae Banksianae in Germania innotuit. Primus deinde illarum reliquiarum thesauro Illigerus sic usus est, ut prodromo *systematis mammalium et avium* non solum quae maioris momenti esse videbantur, inde mutuaretur, sed etiam edendi manuscripti consilium caperet idque, nisi praematura eum iam a. 1813 mors intercepisset, haud dubie exegisset. Quod eo pluris aestimandum foret, quo magis icones illae in Banksii bibliotheca depositae doctorum oculos in sese convertere eorumque studiis inservire interim coeperant. Id saltem magis magisque claruit, plurima eorum, quae rariora

et mirabiliora post Cookii tempora in mari australi collecta fuerant, iam Forstero cognita ab eoque nominibus distincta fuisse, quamvis tabularum pars maxima, legibilibus certe, nominibus carebat. Quo factum est, ut non solum Kuhlius a. 1819 magno earum numero pro studiis suis uteretur, et Temminkius figuras Forsteri ad describendas quasdam in opere suo: *Planches coloriées* inscripto avium species conferret, sed etiam Bennetus, Gouldius et Grayi, Angli, non raro eas consulerent, omnibusque fere severioribus disquisitionibus Berolini institutis, quibus hunc fontem usui fore sperari posset, nostrum adhiberetur manuscriptum. Postea vero quum Rudolphius, Müllerus, Wiegmannus, ut de me taceam, de argumento pretioque illius paulo diligentius cognito ultra Germaniae fines quoque famam protulissent, Ioannes Nattererus, vir strenuus, qui cum aliis Forsteri picturas in Anglia viderat, descriptionum desiderio incensus iisque, quae inde compererat, delectatus, ut divulgandas eas curarem, iterum iterumque me monuit. Me vero illud maxime semper deterruerat, quod tantum novarum specierum incrementum, ut operam aequipararet, inde redundaturum esse dubitabam. Quae contra ille, quem dixi, vir egregius contendit, has ipsas species eo accuratius illis descriptionibus quam collectionibus, cognosci posse, quo saepius Forsterus, rerum superficie minime contentus sed de interio-

ribus sciscitatus, multa et de organis et de usu eorum praeclara, nec non in vivis vel recens interfectis animalibus noscenda docuisset. Nihilo tamen minus addubitanti mihi, pretiumne lucraturus sim operae otioque impenso aequum, evenit, ut opus ichthyologicum a Cuviero coeptum et tum quidem ad decimum usque tomum progressum, Regiarum nostrarum piscium collectionum ordinis renovandi causa diligentiori studio perlegendum esset. Qua in re tam multa occurrebant in speciebus a Forstero repertis et a Schneïdero minime exhaustis vel falsa luce obumbrata vel in dubio relicta, vera tamen solidaque descriptionis originalis cognitione facile evitanda, ut mihi persuasum haberem, posse adhuc talia damna, praesertim divulgatis picturarum Londinensium descriptionibus, resarciri. Qua sententia a classe physicali comprobata, Regia academia impensas operis benevole praebuit.

Duplex deinde extitit operae difficultas, quod, etsi forma ipsa, qua erat textus originalis, quippe qui ea, qua opus est, politione et elegantia carebat, typis tradi vetuit, tamen omnem varietatem, nisi re ipsa postulatam, ne et auctori et textui fieret iniuria, diligentissime evitari necesse erat. Accessit, quod auctor alio loco mutaverat, quae alio integra manserant, quod primas rerum denominationes non ubique easdem retinuerat, quamquam alias ad eas recurrat, quod denique in ipsis voca-

bulis technicis eisque declinandis valde variatur, ut nonnisi multis locis accurate collatis auctorisque methodi zoologicae universae ratione habita, difficultas solvi queat. Neque etiam descriptiones ante annos fere sexaginta factas reddere satis erat, sed cum iisdem seriorum zoologorum opera, et quibus usi fuerant nomina, conferri oportebat, ut, quae post Forsteri aetatem novis disquisitionibus retractata fuerint, ab illis rarioribus, quae aetas nostra denuo non vidit, sufficienter distinguerentur, id quod tanta se implicuit difficultate, ut nec ipse quidem opere exacto eum, qui omnia praestiterit, me haberi velim. Huius vero culpae etiam amici partem sustinent, qui, quamvis accepta a me earum manuscripti sectionum, de quibus eos communicaturos mecum iure meritoque sperare mihi videbar, copia, tamen, suis sive studiis, sive rei difficultate, sive aliis denique rebus, promissorum solutione prohibiti sunt. Maxime vero Ioannis Nattereri ornithologi Vindobonensis praestantissimi primo morbum diuturnum, deinde mortem ipsam, qua eximia mihi opera subducta est, condoleo, cuius amplissimam singulorum cognitionem vix eorum quemquam, qui nunc sunt, assecutum esse existimaverim. Namque per duodeviginti annos in Brasilia versatus omniumque fere Europaeorum museorum intimam cognitionem nanctus, tantis experientiae polluit divitiis, ut nimirum optime et disertissime ornitholo-

giam synonymicam tradendi facultate prae ceteris praeditus esset. Quo factum est, ut equidem, quae in Nattereri schedis relicta scio et tractata plenissime, ut a Forstero tradita sunt, edere mallem, quam mox secuturis eorum illustrationibus antevertere.

Manuscriptum vero in bibliotheca Regia optime conservatum quod attinet, eam secutus sum rationem, ut ipsum ab omni damno vindicarem. Itaque ipso textu originali retento, exemplum modo typographo tradendum existimavi, quo sine mora sumto, bis deinde cum originali diligenter collato, non tantum menda parum distinctis ambiguisque litteris oborta, sed etiam technicorum vocabulorum et orthographiae varietates auferri potuerunt. Duplex deinde index addendus erat, cuius ope res inter laborem chronologice compositae facilius reperirentur. His itaque absolutis aestate 1841 impressio coepta et ad sextam plagulam progressa est, quo loco, dum promissa ab amicis venirent, inducias accepit. Postquam illa solutum non iri constitit, solo Troschelio amico in locis ad articulos ichthyologicos citandis adiuvante, ad finem usque opus perductum est.

Ut autem exiguus numerus editione hac, uti re magna et gravi, revera sint gavisuri, haud tamen dubito, quin longe plurimorum, ubi Forstero nostro, viro tam animi strenuitate quam ingenii prudentia nobili, immerita sorte huc illuc agitato et afflicto, ab academia litteris ornatissima, divulgato opere prae

caeteris quae reliquit eximio, iusta tandem solvi videbunt, sincerum animis gaudium sit oborturum. Quod autem ad scientiam attinet, haec quoque multis et accuratioribus, quam quae in litteris zoologicis proferuntur, plurimorum quae in antarctico mari eiusque insulis degunt, animalium indiciis etiam nunc oblectabitur. Quo vero minus, quocunque et quatenus lucem hic liber laturus sit, ausim divinare, eo magis etiam verbis Forsteri paulo obscurioribus et falso illepideque constructis, quorum sensum re praesenti proposita clarescere posse confidebam, pio animo parcendum esse arbitratus sum. Quam ob rem, si qua in talibus locis obortura sit dubitatio, ad manuscriptum in bibliotheca Regia propositum candide provocabo, idque spero fore ut hac mea typis descriptione haud deformatum, sed potius explanatum esse videatur. Nam Forsteri descriptiones haud raro nimis auctis interpunctionibus obscuratae, saepissime ab eo tantum, qui primaria rei describendae lineamenta cognita habet, perspiciuntur. Equidem si quod de hoc Forsteri opere meritum mihi vindicare licuerit, id in ea maxime diligentia positum esse existimaverim, quam in emendandam interpunctionem, certum modum ab initio propositum stricte secutus, impendere studui.

Plura omitto, quoniam iis, qui opere utentur, per se patefient, atque ideo nec de meis ad singulos articulos annotationibus, neque etiam de indicis

ratione habeo quod dicam. Id tantum moneo, notas singulis nominibus ab auctore parenthetice subiectas nihil velle, quam ostendere, quisnam rem depinxerit; ergo nota (Fig. pict. G.) Georgium filium, (F.) vero Forsterum ipsum significat.

Berolini m. Ianuario

MDCCCXLIV.

Lichtenstein.

1772. Juli 29 - Aug. 2.

MADEIRA INSULA

NIMALIA plura fovet. Inter

IADRUPEDA *Lepores cuniculi* plures in montibus degunt; (a me non visi; verum id ab incolis audivi:) inter

ES *Falco Nisus*

Corvus Corone

— *Pica*

Tetrao rufus (*Perdix rufa* Lath.)

Alauda arvensis

— *arborea*

Sturnus vulgaris

Loxia Astrild

Emberiza citrinella

Fringilla coelebs

— *Carduelis*

— *butyracea*

— *Canaria*

— *domestica*

— *montana*

Motacilla flava

— *rubecula* (*Sylvia rubecula* Lath.)

Hirundo rustica

— *urbica*

— *apus* (*Cypselus*)

(Incolae mihi retulerunt, hirundines et hyeme volitare, sed frigore superveniente, in montium fissuras et rupes recedere, et mari denuo circumvolitare, äeris temperie restituta.)

AMPHIBIA: *Lacerta agilis* numerosissima
Serpentes prorsus nulli in hac insula sunt obvii.

PISCES: *Squalus catulus*
— *carcharias*, a me non visi
Gadi quaedam species
Zeus Faber
Chaetodontes, quas *Cavalhas* apellant, a me non visae et
Labri quidam, quos tantum coctos in mensa appositos vidi.

INSECTA: *Cassida viridis*
Tenebrio cursor
Blatta orientalis
Gryllus campestris
— *verrucivorus*
— *grossus*
Papilio Brassicae
— *Palaeno*
— *Monuste*
— *boeticus*
— *virgaureae*
Sphex spirifex; Abdominis petiolo abdomine longiore nigro, segmento primo flavo.
Bases Antennarum, duo puncta colli in thorace, duo ante alas, duo in scutello, macula magna ad insertionem abdominis petiolati, flava: pedes a Linnaeo recte descripti: *alae* ferrugineae apice violaceae. Habitat in rudibus informibus, favis ex luto factis, et rupibus affixis.
Vespa gallica
Apis truncorum
— *mellifica*
— *lucorum*
Musca carnaria

Musca mellina
— *scripta*
Conops irritans
Asilus forcipatus
Formica ..... minima, plura Insecta a me capta comedit.

OCEANUS ATLANTICUS.

SINUS VASCONICUS. Jul. 13 - 29.

Mammalia *Delphinus Phocaena* (Porpesse) plures, agilissimae, plerumque ludibundae.

Aves *Procellaria pelagica* (Petrels) plures, parvae, tempestuoso plerumque mari visae.

Procellaria Puffinus (Shearwater) dubium, an haec avis fuerit, nam tantum visa e longinquo.

Pelecanus Bassanus (Gannet or Booby). Duas hujus generis aves, quas Bassanum esse suspicabar, vidi.

Pisces *Esox Belone*, (Garfish) minima capta, non duas excedens uncias.

Exocoetus volitans (flying Fish) Fig. pict. A. 1. G. Duo hujus generis pisces in navis proram involarunt vivique capti, at illico vivere desiere, sunt abdomine bicarinato. At nunquam id potui observare, quod Kalmius asseverat, eos contra ventum constanter volitare, nam omnes partes petebant volatu, cum a Coryphaenis exagitarentur.

Coryphaena Hippurus (Delphin) plures natantes juxta navim vidi at nulla capta fuit. (Aug. 7.)

Scomber Pelamys (Bonito) Fig. picta A. 2. G. captus fuscino. (Aug. 13.)

Insecta *Cancer depurator* (flatlegged Crab). Circa *Corunnam* Hispaniae vidimus innumeros, mari innatantes,

quorum et plures cepimus, nullus diametro unciam unam et dimidiam excedebat.

INSULA Sti. JACOBI (St. JAGO).

Aug. 13.

1. *Alcedo cancrophaga* F. (*)

(Fig. picta A.3.) G.

Alcedo brachyura; capite, collo, pectoreque cinereo-albis; alis, uropygio, caudaque caeruleis; abdomine ferrugineo.

Habitat in Insula Sti. Jacobi, promontorii viridis, victitat Cancro ruricola.

Corpus magnitudine circiter Sturni. Rostrum capite longius, subtrigonum, rubrum. Caput, collum, pectus alba, paululum cinerascentia.

Dorsum, tectrices alarum supra et rectrices subtus atra. Abdomen, tectrices alarum inferiores, femora et crissum ferruginea. Remiges extrorsum coeruleae, introrsum albae, apice et subtus nigrae, primoribus 1-9 medio albis. Tectrices secundae longiores, coeruleae.

Rectrices XII aequales, supra coeruleae, margine interiore et subtus nigrae. Uropygium coeruleum. Pedes

---

(*) Sub eodem nomine Lathami Index ornith. speciem sistit hac duplo majorem, ventre albo, remigibus rectricibusque partim thalassinis, rel., facile distinguendam. Quam autor noster hic describit, Gmelinus varietatem A. senegalensis tertiam (γ) dixerat. Nuperrime modo Lessonius (in Tractat. ornith. p. 247.) hanc distinctam fecit speciem, cui nomen: *Dacelo Actaeon* imposuit, diagnosin addens succinctam. Descriptio plenaria, qualem Forsterus hic exhibet, a nemine hucusque prolata. Licet ideoque nomen quod proposuerat retineri non poterat, hunc locum tamen mecum Ornithologi gratum excipient, ob raritatem speciei, qua plurima Zoophylacia carent.

Lichtenstein.

rubri, **Digitus** extimus connexus cum intermedio. **Ungues** pallide fusci.

2. *Gasterosteus glaucus.* (*)

(Fig. picta A.4.) F.

Gasterosteus cauda bifida, spinis pinnae dorsalis 6; analis 2; apicibus pinnae dorsalis et analis nigro maculatis.

Scomber glaucus Linn. Syst. p. 494. n. 5.

(Osbeckii Synonymon excludatur, nam Scomber adscensionis piscis prorsus distinctus est.)

Scomber dorso dipterygio, ossiculo secundo pinnae dorsalis altissimo. Art. gen. 32. syn. 51.

Glaucus primus Rondel. l. 8. c. 16. p. 252.

Willughb. 297. fig. tab. S. 17. et tab. S. 15. fig. 1. 2.

Ray p. 94.

Chaetadon glaucus Bloch ausl. Fische p. 160. taf. 210. Pisciculus apud Valentyn Oud en Nieuwe Ost-Indie. T. III. P. 1. piscium. no. 118. Jkan Batoe Jang Haboe Haboe Warna non est noster, qui plerumque ad 9 uncias vel pedem Anglicum excrescit.

Rectius ad gasterosteos referendus hic piscis, nisi velis novum genus condere et eo referre Rhombeum ovatum et occidentalem.

Habitat ad insulam Sti. Jacobi promontorii viridis, et in mari insulas Indiae occidentalis alluente (West-Indies) a quarum incolis *Sea-Blewling* et *Silver Fish* appellatur, et ad genus *Cavalla* dictum pertinere creditur.

(*) Descriptionem insequentem uberrimam Schneiderus in editione Systematis Ichthyl. (p. 33. et inter addenda p. 539.) abbreviatam reddidit, de Scombro glauco incuriose agens. Integram igitur Ichthyologi non invito animo excipient. Quantum ex incompleta illius loci materia dijudicare licuit, Cuvierus in Hist. nat. des Poissons Tom. VIII. p. 263. sub Lichia glauca protulit.

Lichtenstein.

Corpus ovatum, cathetoplateum, squamosum carinatum, maculis 5 nigricanti-caeruleis, supra lineam lateralem. Color supra eandem caeruleo argenteus, infra eandem prorsus argenteus. Squamae minimae, imbricatae, confertae, sub-orbiculatae, appressae, laeves, argenteae, cute communi tectae.

Caput 5ta circiter pars corporis, cathetoplateum. Rictus exiguus, transversus, obliquus. Maxillae labiatae, membrana brevi fornicatae sub-aequales dentatae. Dentes minuti, acuti, conferti plurimi flexiles. Lingua glabra, brevis marginibus lateralibus depressis, spatulata, maxillae antice frenulo lato adnata. Palatum angustatum, ossiculo denticulato. Oculi medii, orbiculati, plani, occupantes secundam quartam capitis partem; versus rostrum excurrit ab oculis canthus deltoideus, hyalinus. Nares parvae, patulae, ovatae, approximatae geminae ante canthum oculi, in medio rostro.

Opercula branchialia mobilia, suborbiculata, alepidota, lamina intima minore. Membrana branchialis operculata, patens, lateralis, mediocris ossiculis VIII. Apertura branchialis lateralis, arcuata, operculata mediocris. Truncus, Dorsum et Abdomen convexa, carinata at ante caudam angustantur, pone pinnas dorsalem et analem. Branchiae laterales, operculatae, quadriradiatae dissimiles, extra ciliatae 3, intus tuberculatae, una superior extus ciliata, intus aculeata: omnes supra palato, infra linguae annexae.

Linea lateralis parum flexuosa laevis, a summitate operculorum curva, dorso parallela, dein ab apice pinnae pectoralis sensim descendit; ab ea parte pinnae dorsalis quae nigra est notata macula, recta in medium caudae exit. Anus oblongus, vix prominens, e regione pinnae dorsalis 2dae.

Artus: Pinna Dorsi scapularis brevis subcoalescens cum secunda, aculeata, spinis 6 inaequalibus (juncta qualibet proximae membrana falcata) retractilibus in rimam dorsi.

Spina solitaria, ante pinnam primam dorsalem, antrorsum versa appressa. Pinna dorsalis 2da semilongitudinalis, squamosa, composita radiis XXVIII, primo spinoso brevissimo, 2-6 longioribus radiatis, apice nigro maculatis, 7-28 descendentibus radiatis. Pinnae pectorales mediae mediocres radiatae, subtrigonae, radiis 16. Pinnae ventrales infimae, subcontiguae, thoracicae subaequales radiis 5. Pinna ani I media, aculeata spinis 2 retractilibus in rimam junctis per membranam falcatam posticam. Pinna ani II sublongitudinalis, distincta, squamosa, composita radiis 26 primo brevissimo aculeato, 2-4 longioribus radiatis apice nigro maculatis, 5-26 descendentibus radiatis. Pinna caudae distincta, bifida, radiata, squamosa, utrinque cuspidata, marginibus exterioribus nigris, radiis 29 vel 30. P. C. nigra margine interiori argenteo.

3. *Gasterosteus rhombeus.* (*)

(Fig. picta A. 5.) G.

Gasterosteus cauda bifida, spinis pinnae dorsalis 6, analis 2, radio 2do pinnae dorsalis analisque longissimis, ore simo.

Habitat ad insulam Sti. Jacobi promontorii viridis et in mari insulas occidentales alluente, ubi ab incolis *Angelfish* vocatur et *Cavallis* annumeratur. Chaetodon rhomboides Bloch. ausl. Fische p. 100. f. 109.

Corpus ovatum, suborbiculatum, cathetoplateum, squamosum, carinatum, maculis quinque nigris supra lineam lateralem, prima capiti proxima lineari, secunda reliquis ma-

(*) Conferantur Schneideri excerpta in addendis ad Syst. Ichthyol. p. 540, ubi sententiam de loci hujus significatione proferre non placuit Systematis Blochiani commentatori, licet inter Chaetodontes rhombeum, rhomboidem Bl. (p. 235.) enumerare haud haesitaverit. In Cuvieri opere (Hist. nat. des Poiss. Tome VII. p. 181.) *Psettus Sebae* describitur, qui cum hoc nostro pisce prorsus congruere videtur.

jore, subrotunda, caudae proxima ultima minima. Color supra lineam lateralem cinereo-caeruleus s. plumbeus, infra argenteus aureo immixto. Squamae minimae, imbricatae, orbiculatae, appressae, laeves.

Caput quarta pars corporis, cathetoplateum, apice declive, seu simum, depressiusculum, corpore crassius.

Rictus exiguus, transversus, obliquus. Maxillae labiatae, membrana extractili brevi fornicatae, dentatae, aequales, inferiore ascendente. Dentes confertissimi, setacei, flexiles, minuti, brevissimi. Lingua brevis, glabra ovata depressa. Palatum ovatum, antice ossiculo prominulo instructum. Oculi medii, secundam partem quartam capitis occupantes, orbiculati, plani iride argentea. Nares geminae, oblongae, patulae, versus declivitatem capitis sitae, adscendendo ab oculis, nares ab oculis remotiores, proximis dimidio minores.

Opercula branchialia alepidota mobilia, lamina superiore parabolica, inferiore orbiculata. Membrana branchiostega lateralis operculata, patens, ossiculis octo, extrorsum sensim decrescentibus. Apertura branchialis lateralis, arcuata, operculata.

Truncus, Dorsum et Abdomen convexa, carinata, at pone pinnas dorsales analesque angustantur ut in Chaetodante maculato. Branchiae laterales, operculatae, quadriradiatae, linguae adnatae, dissimiles, radio s. ossiculo primo extra ciliato, intus spinis flexilibus brevibus raris instructo, reliquis tribus extra ciliatis intus subtuberculatis. Linea lateralis parum flexuosa; primum dorso parallela sive adscendens supra Pinnam pectoralem, dein subundulata paululum descendens, at ex opposito circiter pinnae dorsalis 2dae recta excurrit in medium caudae. Anus oblongus subprominens, radio 5to aculeato pinnae Dorsi oppositus. Maculae nigrae in linea laterali 5, prima transversa linearis, pinnae pectoralis medium spectans; secunda

reliquis major subrotunda, ejusdem pinnae apici opposita, reliquae aeque distantes, gradatim magnitudine decrescunt, ultima enim in parte attenuata corporis prope caudam collocata non nisi punctum nigrum apparet.

Artus. Pinna Dorsi prima subscapularis, secundae proxima, radiis sex brevibus spinosis, primo brevissimo, membrana falcata inter basin et apicem radiorum extensa, connexae, plicatiles in rimam dorsi. Spina Dorso appressa, antrorsum versa, ante pinnam primam dorsalem incumbens. Pinna dorsalis secunda semilongitudinalis, assurgens, basi squamosa radiis XXII; primo spinoso brevissimo, secundo longissimo, 2-6 reliquis longioribus sensim decrescientibus, 7-22 sub-aequalibus, pinnam quasi bifurcam efficientibus. Pinnae Pectorales carinae ventrali propiores quam dorsali, mediocres subtrigonae radiis XIX, fuscae. Pinnae Ventrales thoracicae, approximatae, albidae, radiis IV lutescentibus, membrana abdomini adnata. Pinna Analis prima, media, constans radiis 2 brevissimis spinosis, membrana falcata postica junctis, plicatilibus in rimam abdominalem. Pinna Analis secunda, semilongitudinalis pinnae dorsi secundae opposita, ejusdemque figurae, squamosa, fusco lutea, radiis XIX primo brevissimo spinoso, secundo longissimo, 2-6 reliquis longioribus, sensim decrescentibus, reliquis sub-aequalibus. Pinna Caudae distincta, bifurca, squamosa, lutescens, radiis XXVI, utrinque 6to-7mo reliquis longioribus.

OCEANUS ATLANTICUS.

Sept. 5.

4. *Doris laevis.* (*)

(Fig. picta A. 6.) G.

Doris laevis ovalis, corpore supra planiusculo laevi. Linn. Syst. 1083. n. 3.

Habitat in Oceano Atlantico prope Aequatorem.

Corpus planum, compressum ovatum, medio convexum laeve, lacteum, venis a convexa parte divergentibus, pallide fuscis, intertextum. Os antice, subtus, minimum, sub tentaculis. Tentacula duo antice in dorso, ex opposito oris. Anus postice, subtus, oblongus, longitudinalis, cinctus ex utraque parte ciliis lacteis plumosis, ramosis, medio convergentibus et ex utraque parte foramen relinquentibus. Abdomen continet corpuscula granulosa, lutea.

Observat. Natat in mari tranquillo. Cibus Coryphaenae Hippuri. Vidi et unicum specimem venis prorsus viridibus, non ut in reliquis fuscis.

Sept. 15.

GLAUCUS. (**)

Molluscum ore antico corpore foraminulis lateralibus duobus.

(*) Vix pro D. laevi Linnaei (nec Cuvieri et Lamarckii) habenda, pro diversa potius, propter venas dorsales nimis conspicuas, quas praetermittere non poterant auctores speciei illius borealis. Futuro hujus generis neglecti censori compararandam relinquo descriptionem; modo diligentius extricentur species nimis confusae.

Lichtenstein.

(**) Genus hoc a Forstero conditum e Blumenbachii Iconibus (Naturhist. Abbildungen No. 48.) primum innotuit, exinde ab omnibus

Brachia VIII palmata.

Tentacula quatuor.

(*Glaucus*) **Corpus** liberum oblongum; **supra** clypeo carnoso, plano, cuneato, **subtus** simicylindricum, corpus latius clypeo dorsali.

Os terminale, siphunculatum, retractile sub clypeum dorsi dilatatum. **Tentacula** quatuor, filiformia, retractilia, duo supra os, duo ex latere infra.

Brachia octo lateralia, (quatuor utrimque) palmata, radiis plurimis in orbem digestis. **Foramina** duo in latere sinistro, primum inter brachium 1 et 2, secundum inter 2 et 3.

5. *Glaucus atlanticus.*

(Fig. picta A. x.) G.

Habitat in Oceano Atlantico, circa Aequatorem.

Corpus oblongum, semicylindricum, **supra** dorso plano sensim in caudam acutam desinente; subtus dorso latius, argenteum, supra caeruleum s. glaucum.

Os terminale, sub clypeo dorsali, antrorsum dilatato, emarginato; rostro retractili, siphunculato. **Tentacula** quatuor filiformia, retractilia supra os duo, totidem in latere infra os.

Brachia octo lateralia, palmata, radiis plurimis; **primum** par maximum prope caput; **secundum** et sequentia paria sensim decrescunt, intervallis inter eadem caudam versus diminutis; **radii** brachiorum medii longissimi, filiformes; versus latera decrescentes compressi; in primo brachiorum pare plurimi (usque ad 24) in posterioribus diminuto numero. **Foramina** duo, in latere sinistro, rotunda, prominentia inter brachia primi et secundi, sic et secundi et tertii paris. Nonnunquam ex primo foramine tubus cylindricus

---

receptum. Glaucus atlanticus (unica hucusque generis species) postea a Lamarkio in honorem auctoris nostri Glaucus Forsteri vocatus est. Lichtenstein.

radiis brachiorum longior dependebat. Nonnunquam excrementa inde ejecta fuere.

Observat. Mari tranquillo proni innatant, nunquam eosdem immergi vidi. Per os spirant. Si ex aqua extracti fuerint, bullas plurimas ex ore ejiciunt una cum materia quadam turbida et aliquantulum viscida. Si casu quodam vel ultro in aversam partem fuerint conjecti in aqua, illico contrahendo corpus et brachïa, majorique nisu ac admirabili naturae mechanismo in adversam seu pronam partem rursus convertuntur. Radii brachiales et cauda facile abrumpuntur, nec tamen id animali lethale, siquidem plura cepi specimina in quibus bene multi radii brachiales deerant. An succrescant rursus, non ausim certo affirmare; id tamen observavi, inter longiores radios nonnunquam brevem reperiri, ubi per analogiam reliquorum longior debebat esse.

CNIDE.

Zoophyton liberum, articulatum, articulis basi et medio connexis.

Cnide. Corpus liberum gelatinosum, hyalinum, oblongum, articulatum, motu vermiformi. Os dorsale, prope basin, transversum, labiatum. Viscera intra singulum articulum.

6. *Cnide hyalina.* (*)

(Fig. picta A. x.) G.

Forskål Faun. or. p. 116. n. 40. Salpa polycratica. Tab. XXXVI. fig. F.

Habitat in Oceano Atlantico, circa Aequatorem.

Corpus liberum, gelatinosum, hyalinum, oblongum articulatum (articulis circiter octo) angulato-cylindricum, in caudam acuminatam desinens, motu vermiformi repens ac natans. Articuli singuli connexi proximis basi et subtus

(*) Salpa zonaria Auct., prole gregata. L.

medio; articulo quolibet longitudine circiter pollicis Anglicani.

Os dorsale, prope basin transversum labiatum. Viscera tubus in interioribus cujuslibet articuli excavatus, prope caudam est corpusculum semilunare flavum cum appendicula.

Observ. Animalculum aquam attrahit et cum ea varia insecta et minuta mollusca et purgamenta maris eaque rursus ejicit, contrahendo corpusculum, veluti e siphone.

Sept. 27.

7. *Medusa passiflora.*

(Fig. picta A.) G.

Medusa orbicularis, supra plana, concentrice radiata; subtus in margine filamentis globuliferis radiantibus.

Philosophical Transact. No. 301. Abridg. Vol. V. p. 121. f. 89. Forskål Fauna Aegypt. et Arab. p. 103. 104. t. XXVI. Holothuria denudata? —

Habitat in Oceano Atlantico circa Tropicum Capricorni.

Corpus junioribus minimum supra convexiusculum glaucum, radiis centralibus pluribus in marginem divergentibus; adultis (i. e. quorum diameter circiter semiuncialis) supra clypeus planus, orbicularis concentrice striatus, radiatusque, rubescens, membrana glauca cinctus.

Filamenta 20 vel plura, sub hoc margine membranaceo prodeuntia, coerulescentia, membranacea, hyalina; in medio nervo longitudinali, petiolisque crebris, oppositis, globuliferis instructa. Filamenta alia numerosissima breviora, filiformia, centro corporis propiora, apice globulis singulis instructa, deorsum pendentia. Tentacula circiter decem, obovata, physaloidea, purpurea, in quorum medio pendet

Corpusculum ovatum retractile, hyalinum, physaloideum saepe longius filamentis cingentibus idem; apice instructum Ore minuto, sipunculum imitante.

Observat. In Junioribus **filamenta membranacea** pro ratione corporis sunt longiora, in adultis breviora, et plerumque expansa natant in eodem cum clypeo dorsali plano. **Filamenta** minora filiformia deorsum pendent sed gaudent motu proprio contractorio et expansorio. **Os**, itidem, cum rostro physalode retrahi potest inter Tentacula. Haec Medusa mari tranquillo plerumque innatat. (*)

Octob. 12.

8. *Thalia* (Cl. Brownii).

Zoophytum liberum, gelatinosum, oblongum absque tentaculis.

Corpus oblongum, liberum, hyalinum, gelatinosum. **Ore** antico, **Ano** postico; **Tubo** intestinali, corpus pervadente. **Tentacula** nulla.

1. *Thalia cristata* (Linnaei Holothuria Thalia).
2. *Thalia caudata* (Linnaei Holothuria caudata).
3. *Thalia denudata* (Linnaei Holothuria denudata). **Corpus** hyalinum, granulosum, ovatum, compressum, supra convexum, subtus paullulum concavum: antice et postice emarginatum. Habitat in Mari Atlantico, circa Tropicum Capricorni.
4. *Thalia cylindrica* corpore oblongo, subcylindrico, absque crista et cauda. Habitat cum priore. **Corpus** oblongum, subcylindricum, flexuosum, hyalinum, granulosum, antice planum, postice attenuatum.
5. *Thalia lingulata*, corpore oblongo depresso absque crista et cauda. Habitat in Mari Atlantico circa gradum 55 Lat. Austr. et Longit. 4 a Londino in Orientem.

(*) A. **Porpita mediterranea** Eschscholtz. (**Holothuria denudata** Forsk., **Porpita glandifera** Lamarck.) vix differre videtur hoc animalculum, nisi colore disci supra rubescente. Cum **P. radiata** Brandt eandem ob causam conjungi nequit. Lichtenstein.

Corpus hyalinum oblongum, antice acutum, postice emarginatum compressum, supra planiusculum, subtus vix concavum, medio saccatum; sub ore subrotundo antice globulus sanguineus interaneus exsertilis, canalis laxus saccatus ab ore in anum subrotundum, praeterea vasculum aliud longitudinale tubulolosum a globulo ad anum, lineis numerosis circularibus distinctum.

Observ. Thaliae omnes ab Holothuriis differunt, quod careant filamentosis tentaculis; ideoque potius ad Zoophyta videntur amandanda et forte ad Volvocis genus referenda; ad minimum iis sunt proxima.

INSULA Sti. JACOBI CAPITIS VIRIDIS.

Aug. 14.

9. *Cassida aurulenta* F.

Cassida pallide flava, clypei elytrorumque disco pentagono aureo.

Habitat in Insula Sti. Jacobi ad promontorium viride. Plerumque lecta in Convolvulo pede Caprae mense Augusto.

Corpus magnitudine C. viridis totum pallide flavum.

Caput parvum, sub clypeo thoracis reconditum. Oculi fusci. Antennae submoniliformes extrorsum crassiores pallidae, apice fuscae.

Clypeus semiorbiculatus, latus marginatus, antice paululum emarginatus, excavato-punctatus, pallide flavus, at ubi caput et thoracem condit aureo-fulgidus, non punctatus. Elytra margine ultra corpus exserto, pallide-flavo, excavato-punctato; at ubi abdomini incumbit, aureo fulgido. A corpore ad angulum thoracis utrimque brachium excurrit versus margines elytrorum; unicum brachium ad anum per suturam utriusque elytri, aliaque praeterea duo brachia inter

haec apparent, adeo ut elytrorum discus inde figuram pentagonam adsciscat: omnia brachia subtus fusca, supra ut elytrorum discus aureo fulgida.

Alae fuscae. Abdomen pallide flavum, in quibusdam speciminibus fusco maculatum.

Pedes pallide flavi. Tarsi articulis tribus. Unguiculis fusco-ferrugineis.

Observat. Dum vivit animalculum, auro fulgidum apparet; at mortuum colorem fuscum in disco clypei elytrorumque servat. Accedit ad *Cassidas cruciatam* et *Jamaicensem*; at differt ab illa disco pentagono non cruciato, ab hac quod sit magis oblonga. (*)

10. *Cimex Momordicae.* F.

Cimex spinipes oblongus nigricans, aurantio maculatus, thorace spinoso, fascia collari aurantia.

Habitat in Insula Sti. Jacobi ad promontorium viride: Plerumque lectus in Momordica Charantia, mense Augusto.

Corpus inter maxima hujus generis oblongum nigrum.

Caput parvum porrectum, rhombeum nigrum; supra in apice macula rotunda, duabusque ad collum oblongis, subtus sub oculis duabus longitudinalibus, omnibus aurantiis. Oculi fusci. Antennae setaceae, quadriarticulatae, longitudine elytrorum. Articulus primus totus ater, secundus et tertius apice et basi atri, medio aurantio, quartus basi ater, reliqua aurantius. Rostrum longitudine antennarum abdomini adpressum, aculeum recondens in vagina.

(*) E Museo Banksiano a Fabricio sub nomine: *Cassida interrupta* descripta (Ent. Syst. I. I. 296. 20. Syst. El. 395. 40.) et ab Oliviero depicta (Ent. VI. n. 97. t. 2. f. 34.) sed pro loco natali Nova Hollandia falso indicata est. *Cassida 5-fasciata* Fab. (Syst. Et. I. 401. 79.) et *Cassida quadriremis* Schönl. Syn. Ins. 223. 107. ab hac specie non differunt. Erichson.

Thorax lurido-nigricans, fascia lunari aurantia ad collum, infra maculis crebris aurantiis; angulis elevatis in spinam acutam desinentibus. Scutellum $\frac{1}{4}$ abdominis, triangulum aequilaterum repraesentat, apice macula minima aurantia. Elytra luride-nigra, puncto aurantio utrimque in medio elytri, postice membranaceo-venosa. Alae hyalinae, coerulescentes. Femora omnia subtus bicarinata dupliciter spinosa; postica majora incurva, supra quoque instructa seriebus spinarum. Tibiae compressae, priorum parium supra sulcatae linea depressa: postremi paris foliaceae, tibia utrimque ad basin aucta membrana, interius semiovata, exterius sinuata dentibus tribus; utraque membrana maculata puncto aurantio. Tarsi pilosi, triarticulati. Abdomen atrum, glabrum, maculis crebris aurantiis adspersum.

Observ. similis valde Cimici phyllopodi; at differt capite nigro, lineis maculisque aurantiis, thorace spinoso, fasciato, abdomine maculato, femoribus omnibus spinosis, et quod careat fascia elytrorum pallida. (*)

11. *Papilio Garamantis.* F.

Papilio Nymphalis Phaleratus.

P. N. Ph. alis dentatis fulvis, fasciis maculis marginibusque (fulvo maculatis) nigris: posticis subtus fasciis tribus exalbido-flavis, nigroque cinctis. Drury illustr. 2. t. 17. f. 1. 2. Habitat in Insula Sti. Jacobi promontorii viridis, captus mense Augusto.

Corpus 4tae magnitudinis (circiter Pap. Urticae) fulvum, in thorace linea longitudinalis nigra. Antennae clavatae nigrae, clavis compressis. Palpi supra nigri glabri; subtus pubescentes ex albido-fulvi. Oculi nigri. Pedes sex ex-albido-fulvi, quorum duo primi brevissimi.

(*) A Fabricio sub nomine: *Lygaeus membranaceus* descriptus (Syst. Rhyng. 209. 23.)] Erichson.

Alae primores supra fulvae. Margo crassior fasciaque postica repanda, cum alia obliqua, in medio alae tribusque supra eam fasciis abruptis, nigra. Margo posticus niger, maculis circiter 4 fulvis apicem non anttingit: sub quavis macula fulva est lunula seu punctum album ad marginem. Subtus fulvae, maculis fasciisque nigris cum aliquot (4) maculis albis prope apicem, lunulisque albis ad marginem posticum. Maculae fasciaeque nigrae basi alae propiores albo cinctae.

Alae posticae supra fulvae, fascia prope basin aliaque ad marginem, cum serie punctorum intermediorum nigra; maculae aliquot (7) fulvae intra marginem inferiorem nigrum, sub eis totidem lunulae albae. Subtus fulvae fasciis duabus ex albido flavis, cinctis punctis, lineisque interruptis nigris. Inferior dimidia pars alae nigra, fascia macularum (7) fulvarum, aliaque ex punctis albis. Dein maculae 7 oblongae quarum superior pars ex albido flavescens, inferior fulva. Denique margo lunulis, punctisque albis. (*)

12. *Phalaena pallium.* F.

Ph. Attac. seticornis, spirilinguis alis primoribus rotundatis fuscis, pallio fulvo, nigro maculato ad basin, fenestraque puculata ad angulum ani: inferioribus fulvis.

Habitat in Insula Sti. Jacobi ad promont. viride, lecta mense Augusto.

Corpus mediae magnitudinis circiter Ph. pavoniae minoris vel purpureae, fulvum. Antennae seticornes, nigrae pilis minutis consitae. Palpi pedati, 3-articulati porrecti, primus duobus articulis pilosis fulvis, apice nigris, ultimo articulo glabro, compresso, apice crassiore, nigro. Oculi fusci. Thorax fulvus, punctis duobus humeralibus nigris.

(*) *Papilio Ilithyia* Fab. Ent. Syst. III. I. 131. 403.

Erichson.

Abdomen fulvum, tribus seriebus punctorum nigrorum, una in medio dorsi, duabus utrimque ad latera. Pedes albi, lineis tribus longitudinalibus nigris.

Alae patulae inclinatae. Primores supra fuscae, ad basin pallio fulvo nigro maculato, quod in antica parte usque ad medium marginis crassioris descendit, inque postica tantum $\frac{1}{4}$ alae occupat. Ad angulum ani, fenestra parva, ovata puculata. Subtus albidae, apice, margine postico, fasciaque interrupta obliqua, fuscis: basi flavescentes punctis duobus nigris. Posticae utrimque pallide fulvae. (*)

13. *Sphex coerulea.* F.

Sphex abdomine subsessili, coerulea, alis violaceis sericeis.

Habitat in Insula Sti. Jacobi ad prom. viride, lecta mense Augusto.

Corpus magnitudine Sphecis viaticae vel paullo majus, totum atro-coeruleum. Antennae basi fuscae, apice ferrugineae, 13 articulorum, crassiusculae. Pedes postici validi elongati. Tibiae omnes apice bispines. Alae totae violaceae, nitentes seu sericeae. Aculeus punctorius venenatus.

Observ. Animalculum non satis a *Sphece coerulea* distinctum, ut novam speciem constitueret, ideoque pro varietate hujus sphecis apud Linnaeum habui. Observandum, me similem prorsus Sphecem habuisse ex America septentrionali allatam. (**)

(*) Ad Noctuas pertinet, Noctuae Caricis Fab. affinis. Species etiamnum a nemine descripta.

Erichson.

(**) Ad *Pompili* genus pertinet, species hucusque non descripta, in Museo Berolinensi nomen *P. croceicornis* gerens.

Erichson.

14. *Apis aestuans* F.

Apis hirsuta nigra, thorace, abdominisque segmento primo flavo, lamellis aliquot ovatis compressis succineis ad omnes pedes. Drury illustr. 1. t. 13. f. 1. (absque lamellis).

Habitat in Insula Sti. Jacobi ad prom. viride, lecta mense Augusto. (*)

OCEANUS AUSTRALIS.

Octob. 11.

15. *Procellaria capensis* Lin.

The Pintada (Fig. picta G.)

Procellaria alba fuscoque varia, capite nigro, abdomine albo. Edw. t. 90. f. 2. figura satis bona, dummodo non stantem vel ambulantem pinxisset, hae aves enim semper volitant vel natant.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum.

Caput nigrum, rostrum pedesque nigra, abdomen album, dorsum et alae maculis fuscis variae. Mandibula inferior dilatari potest in rictum ingentem oris. Avis vorax, pugnax, laesa vomit. Magnitudo columbae, sequitur naves, capitur facile hamo inescato porcina vel vervecina pinguiori. Vox non multum a Psittaci voce abludit. Caro non insipida, dummodo pellem detraxeris. Nunquam aethera petit, sed contenta humili volatu, supra undas.

16. *Sterna media* F. (**)

Octob. 12.

Sterna cauda forficata, corpore albo, dorso cano, capite nigro, fronte alba.

(*) *Xylocopa Antiguensis,* Bombus Antiguensis Fab. (Syst. Piez. 346. 15.) Africae aequinoctialis et australis incola. Erichson.

(**) *Sterna australis* Lin. Gm. Lath.

Habitat in Oceano australi extra Tropicos.

Frons alba non bifida sed rotundata. Rostrum et pedes nigra, rubentia tantum. Magnitudo Charadrii Hiaticulae. Nunquam naves presse sequitur; non raro tempestuoso mari gregaria. Nunquam hamo inescanda.

OCEANUS ANTARCTICUS.

Novb. 30. - Decb. 23.

17. *Procellaria vittata* F. (*)

(Fig. picta G. tab. 86.)

The banded Petrel.

Proc. supra coeruleo cana, vitta transversali nigra; rostro lato pectinato, pedibusque coeruleis.

Habitant a Tropico capricorni in Circulum Antarcticum usque, volant celerrime. Nidos habent in cuniculis sub saxis et radicibus arborum in rupibus novae Zeelandiae. Parentes mane relinquunt pullos et tota die cibum sibi et pullis in mari ex piscibus et vermibus colligunt, noctu vel vesperi redeunt gregatim ad pullos, (nam multa earum millia simul re-

(*) *Pr. vittata* Lin. Gm. et *Pr. coerulea* Lin. Gm. *Pr. Forsteri* Lath. Ind. orn. *Pachyptila vittata* Ill. Prodr. *Prion vittatus* Lacep. Notandum, Forsterum in Observationibus et Itinere, ubi de hac ave loquitur, eam *the blue Petrel* nuncupare. Inde duplex quod Gmelinus et Lathamus pro eadem specie receperunt nomen. Supplendum denique quod Auctor de ptilosi hujus avis prodidit, quum eam densissimam et e pennis duplicibus compositam dicit, (Itin. Ed. angl. I. p. 103.) quae sua fecerunt uterque. Ex editione germanica (pag. 78.) autem patet, hoc solummodo de plumula, singulo scapo adnata (hyporrhachide Nitzsch) paulo ampliore esse intelligendum, qualem quoque in specimine Musei nostri ipse inquirens, offendo. Neutiquam igitur ptilosis duplex ut in Casuario, nec hyporrhachidis amplitudo ita conspicua, ut inter notas speciei eam commemorare opus sit.

Lichtenstein.

deuntia vldi) et tum cibum evomunt in ora pullorum; ante diluculum tantum clamorem faciunt, ubi in cuniculis degunt, ut nescias unde is oriatur, et ut vix prope te loquentem exaudire possis; ipso diluculo mare repetunt gregatim, et tum toto mari sparsae indesinenter horsum vorsum volitando videntur.

Corpus magnitudine Turdi aut Sturni vel majus. A rostro in medium digitum pedum $10\frac{1}{2}$ poll. Alae expansae 25 poll. Rostrum cum rictu longum $1\frac{6}{10}$ poll., latum ad rictum $\frac{7}{10}$ poll., a genu in extremum medium unguem 3 poll. Digitus medius cum ungue $1\frac{6}{10}$. Unguis digiti medii $\frac{3}{10}$. Cauda ab uropygio $3\frac{1}{2}$ poll. Supra plumis coeruleo-incanis, subtus prorsus candidis. Vitta transversalis nigra per apicem alarum (i.e. 5 primas remiges et tectrices superiores) transit, indeque descendit in apices scapularium, et imum dorsum vel regionem supra uropygium.

Caput saturatius coeruleum s. nigrescens, plumulae albidae circa rostrum, supercilia candida, sub oculis circa aures macula saturate coerulea. Oculi inde nigra. Rostrum, depressum, latum, longitudinaliter sulcatum coerulescens. Mandibula superior apice adunca margine exteriore acuto, simplici, interiore pectinato, pectinibus paralellis elasticis, sensim versus apicem decrescentibus. Inferior apice compresso canaliculato. Gula intra duos mandibulae ramos expansilis. Nares cylindricae, bitubulosae, truncatae, e basi rostri in tertiam ejus partem procurrentes, nigrae; et inde rostrum nigrum est supra, inter sulcos longitudinales usque in aduncam ejus partem. Lingua crassa, carnosa, conica.

Remiges primores 10. secundariae 18. quinque primae primorum marginibus exterioribus nigris, interioribus pallidis. Tectrices superiores et scapulares extremae sunt nigrae, hae margine albido.

Rectrices 12, harum 6 mediae apice nigro-fasciatae. Cauda rotundata. Tectrices inferiores caudae nigrae.

Pedes tridactyli, palmati, coerulei, cute granulosa tecti. Margo digiti exterioris membrana longitudinali instructus. Ungues nigri concavi. Unguis sessilis, conicus, niger, loco digiti postici.

OCEANUS AUSTRALIS.

Octob. 12.

18. *Procellaria fuliginosa.* F. (*)

The sooty Petrel.

(Fig. picta G.)

Pr. fuliginosa immaculata, rostro pedibusque atris.

Habitat in Oceano australi extra Tropicos.

Magnitudo circiter Corvi Monedulae, toto corpore fuliginoso, immaculato, remigibus subtus fusco-cinereis.

Rostrum $1\frac{3}{10}$ unc. Anglic. longum, basi $\frac{3}{4}$ unc. latum (non crassum) Mandibula utraque apice incurva. Narium tubus subcarinatus, brevis. Cauda rotundata.

Pedes ungue postico. Longitudo a rostri apice in caudam 14 unc. ped. Angl. Alae expansae 3 pedes unc. 4.

Naves non presse sequuntur. Hamo capi nequeunt.

19. *Procellaria Puffinus* Lin. β. (**)

The Puffin or Shearwater.

Pr. corpore supra fusco, subtus albo, pedibus pallide coeruleis.

(*) *Procellaria fuliginosa* Kuhl Beitr. No. 12., exclusis synonymis Lathami et Banksii. In tabulis a Forstero filio pictis, quas Bibliotheca Banksiana servat, nomina commutata fuisse videntur.

(**) Dolendum, auctorem nostrum hanc avem pro mera Puffini (borealis) varietate habuisse, ideoque in describendo minus fuisse ac-

Habitat in Oceano australi extra Tropicos.

Magnitudo Corvi Monedulae vel paulo major, supra tota fusca, subtus alba, rostro nigro, pedibus pallide glaucis.

Naves non presse sequuntur, continue supra undas volitant. Hamo capi nequeunt.

20. *Diomedea chrysostoma* F. (*)

The yellow-billed Albatross.

(Fig. picta x.)

Alis pennatis, alba, rectricibus, dorso, remigibus nigris, rostro supra linea, faucisque margine inferiore aureis.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum.

Corpus magnitudine vix Anseris domestici. Alae expansae 6 pedum 8 unciarum. Longitudo a rostri apice in medii digiti unguem 2 pedum, 9 unciarum. Caput canescens. Collum cum abdomine, pectore et uropygio album, a rostro versus et circa oculum canities intensior et nigricans. Dorsum, tectrices alae et caudae nigra.

Remiges et rectrices fusco nigra; rachis priorum flavescens, posteriorum alba.

Rostrum nigrum, supra linea flava: mandibula inferior a plumis divisa margine elevato, membranaceo angusto aureo, decurrente postice per fauces et ultra sub oculis, infra desinente in lineam flavam ante apicem terminatam. Lingua brevis, carnosa, lanceolata, apice cuspidato; lateribus postice villosis, serraturis retro-flexis. Palatum tribus ordinibus serraturarum retro flexarum, sub lingua mandibula inferior

---

curatum. Kuhlius (Zool. Beitr. pag. 145) figuram pictam Forsteri commemorat, in Bibliotheca Banksiana asservatam, numero 20 insignitam, cui nomen quidem adscriptum sed temporum injuria deletum fuerat. Hujus simul descriptionem exhibet nostrae prorsus consentaneam, ut ad hunc locum referendam dixerim iconem.

Lichtenstein.

(*) *Diomedea chlororynchos* Lath.

lateribus serie unica utrimque serraturae retro flexae. Sub oculo a cantho postico ultra medium oculi macula alba. Irides avellaneae.

Pedes aequilibres palmati pallide glauci, sine digito et ungue postico. Digitus interior phalangibus 5, medius 4, exterior 3, et hic praeterea membrana marginali instructus ut in congeneribus.

Observ. Vidi et quosdam rostro toto superiore flavo. Caro sapida, postquam cutis detracta est. Avis laesa vomit et mordet vehementer. Sternum breve. Nunquam aethera petunt, sed pedes circiter 5-6 supra undas volitant.

Octob. 14.

21. *Procellaria glacialis* F. (*)

The Fulmar.

(Fig. picta G.)

Pr. supra cana subtus alba, remigibus nigris.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum.

Magnitudine circiter Corvi Cornicis. Narium tubus unicus, bilocularis, coerulescens in rostro incarnato, apice nigro. Corpus album. Dorsum canescens. Cauda rotundata.

Remiges fusco-nigrae margine interiore albido. Secundariae canae, margine interiore albicante. Rectrices breves. Pedes pallide glauci incarnato tincti.

Capta hamo et inescata vervecina pingui.

(*) *Procellaria glacialis* Lin. in antarcticis aeque ac arcticis regionibus eadem, sibi constans esse videtur. Lessonius ad insulas Malvinas eam vidit, specimina Banksiana ex itinere antarctico, nullo modo a borealibus diversa, teste Kuhlio (Beitr. p. 139.). Ita quoque haec descriptio in specimina borealia quadrat, nisi quod apicem rostri nigrum et pedes glaucos faciat, qui cum toto rostro in omnibus mihi visis flavi sunt.

Lichtenstein.

Octob. 24.

22. *Procellaria nigra* F.

The black Petrel.

(*Pr. aequinoctialis* Linn.)

Procellaria fusca, maculis tribus connexis albis in genis et gula, rostro flavo, pedibus fuscis.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum, (nunquam visa ad lineam aequinoctialem, unde patet, in ipsam nomen *aequinoctialis* non quadrare).

Corpus magnitudine Corvi Coracis. Alae expansae ped. 4½ Angl. Ab apice rostri in apicem medii digiti ped. 1. unc. 10¾. Color fusco-niger. Caput saturatius nigrum.

Rostrum 2¼ unc. longum sordide flavum: utraque mandibula incurva. Narium tubus depressus, supra antice emarginatus, constans tubulis binis diaphragmate distinctis. Macula alba trigona sub gula, connexa maculis duabus in genis.

Alae subtus e fusco cinerascentes. Remex prima reliquis longior. Scapi remigum e fusco flavescentes. Pedes atri sine postico digito, at ejus loco ungue valido instructi. Genu (suffrago) et pars crurum nuda. Membrana digitos connectens fusca, maculis flavescentibus.

Observ. Hanc avem pro varietate, *Proc. aequinoctialis* Linnaei habendam censeo, quam Edwards tab. 89. depinxit et Brisson 6. p. 137. descripsit sub nomine *Puffini Cap.* b. *Spei.* Maculae gulares vel aetatis vel sexus discrimen, vel varietatem constituunt. (*)

(*) In *Procellaria aequinoctiali* (quod nomen speciei servandum censeo, licet minus sit congruum) macula gularis major in adultis, (maculis ad basin mandibulae saepe evanescentibus); in seniore ave demum in aream trigonam gularem transit. Pulli gastraeum totum album habent, notaeum fuliginosum, vertice primum nigrescente.

Lichtenstein.

23. *Diomedea Albatrus* F. (*)

(*Diom. exulans* Linn.)

(Fig. picta G.)

The large white Albatroſs.

Diomedea. Alis pennatis albo nigroque varia, remigibus nigris, rostro incarnato.

Habitat in Oceano Australi extra Tropicum.

Corpus magnitudine Cygni vel Onocrotali, bene plumosum. Alae expansae 10 ped. Angl. 2 unc. Ab apice rostri, in extremum medii digiti unguem 4 ped. 3 unc. (Rostrum ad frontem 7 unc.). Colore plumarum albo; Capitis, colli, pectoris et dorsi plumae eleganter notatae lineis pluribus (3-4) transversis, undulatis nigris.

Alarum os cubiti longissimum, unde in alis complicatis remiges primariae occultantur a secundariis in cubito. Tectrices supra albo nigroque variae: subtus albae. Remiges primores et secundariae supra nigrae, rachi fusco-flavescente, subtus cinereo-fuscae. Scapulares apice nonnunquam rufescentes. Rectrices albo nigroque variae cauda brevis rotundata.

Rostrum colore incarnatum, non serratum. Lingua subconica, parva, postice ad latera serraturis retro flexis. Palatum ter carinatum, carinae postice serraturis retro flexis, mandibula inferior intus sub lingua lateribus utrimque serratura una serie. Oculi iride nigra.

Pedes aequilibres; femoribus infra nudis, pallide glauci tridactyli palmati membrana granulosa, exterius membrana marginali instructi, digitus interior phalangibus 5, medius 4, extremus 3. Ungues albi obtusi submarginati.

(*) *Diomedea exulans* Lin. XII. haec ipsa avis. Nominis mutandi rationem haud perspicimus. Conferantur de Diomedeis Temminckius (Pl. color. ad tab. 456.) et praestantissimus omnium Pallas, loco infra laudato et a Temminckio prorsus neglecto!

Quaecunque Cl. Pallas in Spicilegio V. p.32. de hac nostra Diomedea memorat, ea libenter mea facio; nisi quod Rostri tubum conicum lateralem multum a cylindricis tubis narium, qui in Procellariis observantur, differre repererim et ideo haec duo genera avium prorsus distinguenda esse sentio, id tamen haud negans, eas in aliis momentis similes sibi invicem esse. Diomedea Albatrus plumarum colore maximum inconstans est. Maximas magis albas, nigro undulatas reperi, minores vero magis fuscas observavi unde credidi, me colligere posse, has juniores illas vero aetate paulo provectiores esse.

Captae hamis vivae, irascuntur vehementer; et inter se omni vi pugnant rostrique ingentis ictibus sese appetunt. Novem una hora captae hamo et vervecinae pellis frusto pro esca affixo, quum in navem essent depositae nunquam avolare potuerunt, ideoque eas liberas deambulare vel potius titubare in instabili navi sivimus; ut eo melius pugnas earum spectare possemus. Ea specimina quae Cl. Pallas Petropoli vidit, fuere minora; utpote vix 5 unciarum rostro instructa; in nostris speciminibus rostra usque ad 7 unciarum longitudinem excreverunt. In maximis alae expansae ultra 10 ped. in minoribus circiter 7 ped. erant longae.

Observatio. Avis haec certe maximis inter aequaticas annumeranda. Constanter supra undas volitat alis expansis, praedae ex piscibus et molluscis inhians, nunquam aethera scandit. Habitat sine ullo dubio extra Tropicos (non intra Tropicos Pelagi) in Oceano australi universo. Statura Pelecani Onocrotali, sed nequaquam *Pelecani Aquili*, a quo toto coelo differt. *Diomedea demersa* ad hoc genus referri nequit sed potius separatim genus novum constituit vel ad alias referenda. *Diomedea chrysostoma* p. 38. et *Diomedea palpebrata* p. 89. utique ad Diomedeas referendae. Vidi et quasdam Diomed. Albatros toto dorso alarumque tectricibus rufescentibus, quas postmodum examinavi et

juniores Diomedeas Albatros esse reperi. Caro nostrae Diomedeae, dummodo cutis sit detracta, satis sapida. Sternum in omnibus brevissimum. Avis laesa seu vulnerata vomit.

Pediculorum duo genera in eis observavi: unum ovatum nigrum capite postice truncato, antice rotundato, minus, alterum elongatum majus atrum, pedibus 4 longis, 2 brevissimis, capite in altero sexu cornuto, in altero antennis setaceis moniliformibus.

Octob. 12.

24. *Cnide ungula* F. (*)

Cnide uniarticulata, hyalina, ungulam equinam prorsus referente.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum, mari innatat.

Corpus liberum, hyalinum oblongum, cavitate intestina et osculo unico instructum, ungulae equinae figurae.

25. *Clio Conchacea* F. (**)

(Fig. picta G.)

Clio vagina subtus plana, supra convexa, rostro ascendente retuso, cauda tricuspide.

Forskål Fauna Aegyptiaca et Arabica p. 124. t. xl. fig. B. Anomia tridentata.

Habitat in Oceano australi extra Tropicum, mari innatans ope alarum duarum membranacearum oppositarum.

Corpus oblongum, ¾ unc. longum, supra testa fusca conchacea gibba tectum; subtus planum pallidum. (***)

(*) Salpae species, cui similem nullam apud auctores descriptam invenio; novam igitur et hoc nostro tempore eam censeo.

Lichtenstein.

(**) *Hyalea lanceolata* Lesueur?

(***) Quae hic prona animalis pagina dicitur et plana, supina est ex disquisitione recentiorum. Inde quoque rostrum ascendens apparet.

Rostrum ascendens, revolutum, apice retusum.

Cauda in cuspides tres excurrit, quarum media reliquis lateralibus longior.

Alae binae, oppositae, membranaceae, albae, ovatae postice sinuatae intra vaginam conchaceam e regione rostri retractilis; puncto purpureo fusco utrimque prope vaginam.

Membrana alia albida prope rostrum, retractilis, puncto et linea transversa purpureo fusca.

Membrana alia ad cuspides laterales, retractilis alba.

CAPUT BONAE SPEI.

Octob. 31. - Novb. 23.

(*Mammalia capensia.*)

Postquam in terram escendimus, illico cum filio ubique coepi animalia varia colligere, et quaedam delineare ac describere, inter ea sequentia digna mihi visa, quae heic discriberentur.

26. *Talpa asiatica* Lin. (*)

(Fig. picta G.)

Talpa, ecaudata palmis tridactylis, rostro lato obtuso, marginato, pilis e murino et sericeo-viridibus.

Corpus 4 pollices ped. Angl. longum, pilis mollissimis nigro murinis et viridi sericeis splendidum. Caput breve, rostro obtuso, lato, marginato, arcuato. Os parvum, labio superiore acutangulo, inferiore semicirculari.

Dentes. Incisores 2 supra conici acuminati, convergentes ambo in unum apicem; 4 infra oblongi, erecti, compressi, apice angulosi. Laniarii 3 supra utrimque, primo majore, conici, discreti. Laniarii 2 infra utrimque

---

(*) *Chrysochloris aurata* Cuv.

obtusiuculi, angulosi. Molares 5 supra utrimque apice bicipiti, 5 infra utrimque vix visibili apice bicipiti. Dentium numerus 36.

Macula in genis pallide-flava, oblonga. Pedes brevissimi, antici tridactyli, extimo digito majore, interiore minuto, cum vestigio quarto calloso; postici pentadactyli. Cauda nulla.

Haec animalcula fodiunt ut nostrae Talpae Europaeae; nec praeter hanc Europaea ad Caput bonae spei reperitur. Unum specimen Spiritui vini immersum Londinum ad Regiam Scientiarum Societatem misi.

27. *Fossor Genus.*

Mammale Glis.

Dentes primores utrimque approximati, extra os positi, 2 superiores breviores truncati, 2 inferiores praelongi, recurvi, apice oblique scissi, truncatique.

Laniarii nulli; Molares 8 in qualibet maxilla.

Oculi minuti.

Pedes pentadactyli.

Auriculae vix ullae.

Quum ad Caput bonae spei primum venissem anno 1772, Talpas hujus regionis examinare avebam, et paulo post voti compos factus, specimen vivum accepi, quod per biduum observavi, descripsi, delineavi. Examinanti idem illico patuit, ea quae incolae vocant *Talpas* esse animalia generis a talpis diversissimi et ob dentium orisque structuram, cibique genus e solis Vegetabilibus, ad Ordinem Glirium non ad Feras spectare, hosque ordines rite conjungere. Incolae promontorii bonae spei, eisdem pro cibo utuntur quidam, et inter lautia reponunt, uti idem a viro primario edoctus fui qui pluries hoc genere cibi usus fuerat. Fodiunt, victus imprimis bulbis oxalidum variarum; cuniculi subterranei non connexi, verum hinc inde sine ordine aperti. Noctu vagantur, cibum-

que capiunt; foetent, pulicibus infestantur. Mordent. Casu quosdam per aliquot horulas pedibus colligatos in cubiculo reliqueram et unus validior pedes duorum singulos praeciderat. Cuniculis campi suffossi difficultatem pariunt equitandi.

28. *Fossor capensis* F. (*)

(Fig. picta G.)

Fossor auriculatus, supra leucophaeus, subtus albidus. La Caille Journal p. 299. Taupes fort grosses.

Kauw-howba. Nomen quo appellatur a Hottentottis significans *Talpam hippopotamum*, forte a dentium similitudine petitum.

Descriptio:

Corpus magnitudine Muris Marmotae circiter, quadratum, ponderosum. Pilis supra e fusco pallidis, lanuginosis, basi fuscis apice pallidis, subtus totum corpus ut et macula frontalis in quibusdam albida.

Caput conicum, depressum, cervice crassa brevi corpori junctum. Oculi minutissimi, Auriculae breves, apertura subtilis conspicua. Rostrum truncatum, nares parvae. Os sub capite, inter dentes primores reconditum, longitudinale, oblongum. Dentes primores extra os positi, superiores rectiusculi, semipollicares, terram spectantes, apice quadranguli. Inferiores $1\frac{1}{2}$ pollicem longi, adscendentes, recurvati, quadranguli, apice oblique scissi, truncatique. Laniarii nulli. Molares 16; in utraque maxilla 8 (utrimque 4) planiusculi.

Pedes, breviusculi, pentadactyli. Palmae plantaeque supra pilis raris nudae, margine setis pectinatae. Ungues palmarum longi, incurvi, exceptis duobus exterioribus, plantarum vero breves, depressiusculi, obtusi. Cauda pollicaris, undique setis longiusculis consita.

(*) *Georychus capensis* Illig.

29. *Antelope.*

Cornua concava, teretia annulata s. spiralia, persistentia.

Dentes primores inferiores VIII.

Laniarii nulli.

Ungulae spuriae, parvae.

Cystide bilari gaudent.

Ossiculo cordis carent.

Observ. Antelopae nomen Arabicae originis, generi animalis proprium, quod inter Cervos et Capras est medium, et ab utrisque satis distinctum; imprimis eleganti corporis figura, et ad celeritatem, qua omnes Antelopae excellunt, maxime comparata. Cornua persistentia ut in caprino genere, at non compressa verum teretia et plerumque vel annulata vel spiralia, substantia nigra plerumque ac opaca. Saltu agilitateque nulli pecorum cedunt; multae species gregariae sunt; oculis plane vividis, et quasi coruscantibus sunt conspicuae, ad proverbium usque inter orientis gentes.

30. *Antelope oryx* F. (*)

Antelope cornubus teretibus rectis spiralibus, palearibus laxis pilosis.

Habitat ad Prom. b. spei, in montanis regionibus.

Plin. hist. nat. 8. c. 23. *Oryx.*

Oppian. venat. 2. vs. 445. 551. *Oryx.*

Alce capensis (Kaapsche Elandt) Kolbe 2. 110.

Coudou Buffon. hist. nat. XII. t. 46. 6. Cornua.

Antelope oryx Pallas Spicil. I. p. 15.

Pennant Syn. Quad. p. 26. *Indian Antelope.*

(*) *Ant. Oryx.* Pall. Spic. I.
Ant. Oreas. Pall. Spic. XII.
quod nomen postremum apud omnes receptum.

Corpus magnitudine Cervi vel Equi, totum ex fusco griseum s. cervinum, linea dorsi, et genubus nigricantibus; abdomen et interior pars pedum pallida.

Cornua teretia, recta cum rostro, spiralia s. potius flammantia, nigra, opaca, longitudine vix duôrum pedum: apice $1\frac{1}{3}$ pedes distantia. Uterque sexus cornutus, cornua capiti ad perpendiculum insistentia.

Gula strumosa s. pomo Adami instructa sub gutture. Paleare laxum pilosum pilis nigris. Ungulae parvae pro mole corporis.

Observ. Vescitur pane et variis vegetabilibus in vivario, praesertim hordeo et brassicae foliis. Homines sequitur et ni caveant insilit, quod ob maris defectum fieri dicebatur.

31. *Antelope pygargus* Pall. (*)

(Fig. picta F.)

Antelope cornubus teretibus annulatis; dorsi linea abdomine uropygioque candidis.

Pennant Syn. quadr. p. 34. *white Antelope*.

Reliqua auctorum nomina ad hoc nostrum animal referre nec potui commode, nec volui, ne incerta certis miscerem; id enim suspicor, clarissimi Pallas Antelopes *pygargum, Dorcadem* et *Kevellam* easdem prorsus esse et idem fere de Antelopibus *barbara, platycera* et *alba* amici summi mei Pennantii suspicor.

Habitat in interioribus Africae, nec promontorii bonae spei viciniam accedit, nisi ob aquae penuriam in superiore siticulosa Africa. Gregaria vivit, gregibus x millium simul pascentibus. Tempestates et ventos praesagit, subsultim ingentique repercussu sese a terra elevando, tumque caput demittit, pedesque, imis eorum articulis retrorsum flexis, dor-

(*) Minime haec Pygargus, quam celeb. Pallas in I^mo Fasciculo Spicilegiorum (1767) descripserat, sed illa ipsa quam Forsterus postea *Euchoren* nuncupavit, quum errorem animadverterat.

soque et toto corpore mire arcuato, pilis in uropygio erectis et maculam ingentem candidam constituentibus. Una subsiliente totus grex illico idem facit. A rusticis fustibus percutiuntur, quod ob nimium ingentemque numerum fugae nullus sit locus. Mas et Feminae aeque cornuta. Cornua in variis vivis animalibus variant. Ab incolis Belgis vocatur *Springbock*.

Corpus magnitudine fere Cervae Damae, seu potius Axis bengalensis elegantis formae.

Cornua teretia fronti insistentia (non vertici) dimidio-annulata 10 circiter pollicum ped. Angl., in quibusdam primum recta, dein apice antrorsum redunca, in aliis medio arcuata ad latera, apiceque rursum coeuntia. In omnibus capiti ad perpendiculum insistunt; nec in feminis minora quam in maribus pro mole.

Caput elegantis formae, candidum, linea ab oculis in oris angulum ducta nigricanti-spadicea. Collum, corpus, pedesque cinnamomea. Dorsi linea, uropygium, abdomen pedesque introrsum candida. Ab armis ad femora linea lata obliqua nigricanti-spadicea, abrupte contermina albedini ventris. Genua non vidi pilosa, forte domestica cicuraque animalia his pilis carent. Cauda 7 pollicum apice pilis nigris in penicillum 4 pollicum exeuntibus. Ungulae nigrae oblongae.

Aures longitudine fere capitis, angustae, acutae, suberectae. Regio ad clunes magis obscura ubi est albedini contigua. Nares curvae connexae, ubi connectuntur in medio glomerulus est glandularum hemisphaericarum humidarum atrarum.

Pili dorsi paralleli in postica vergentes, at medio circiter dorsi oblique sursum convergentes et rimam formantes, quam prolubitu animal potest aperire, et quae includit strigam cuneatam candidissimam, ad caudam latissimam. Sub oculis in linea spadicea est glandula obscura lacrymalis.

32. *Antelope Tragulus* F. (*)

(Fig. picta F.)

Antelope cornubus (in quibusdam) teretibus, rectis parallelis, subulatis nudis: colore rufo-spadiceo. (*Steenbock*).

Habitat in rupibus et montibus lapidosis circa Promontorium bonae spei. Vidi plures et quod observatu dignum, cornutos mares, feminasque cornibus carentes.

Corpus magnitudine bimestris Damae pulli, circiter 2 ped. Angl. altum, in omnibus supra intense rufum, circa abdomen uropygium pedumque interiora, colore albo.

Cornua teretia, 5 circiter pollicum ped. Anglic. recta parallela subulata, nuda, nigra: capiti ad angulum obliquum insistentia. Aures magnae, patulae, concolores. Cauda fere nulla. Ungulae acutae nigrae triquetrae.

Varietas Traguli, colore rufo pilis albis mixto ab incolis *Grysbok* vocatur.

33. *Antelope Strepsiceros* Pall.

Antelope cornubus teretibus, carinatis, rectis, divergentibus, longissimis, flexuosis, basi subrugosis.

Strepsiceros Caji. ap. Gesnerum icon. quadr. 31.

Houttuyn natuurlyk hist. vol. III. t. 26.

Condoma Buffon. hist. nat. XII. t. 30.

Antelope Strepsiceros Pallas. Spicil. I. p. 17.

Pennant Syn. Quadr. p. 31. *Striped Antelope*.

Habitat in interioribus Africae, a Belgis ad Prom. bon. spei appellatur *Koedoes*, quod Galli per *Coudous* et Angli *Coodoos* pronunciarunt.

(*) Haec prima et genuina hujus speciei descriptio, cui nomen a Forstero appositum ab omnibus tribuitur. Conferantur caeterum quae auctor sub finem huius operis in §. 270 de universo Antiloparum genere correctiori adumbratione disquisivit.

Lichtenstein.

Corpus magnitudine cervi seu equi esse fertur. Cornua quae sola vidi erant teretia; carina elevata omnes flexus seu revolutiones sequente, recta, apice duorum pedum et 8 pollicum spatio divergentia, longitudine linea recta sesquitripedali, flexuosa, basi rugis annularibus notata, atra, apice subulata.

34. *Viverra tetradactyla* F. (*)

(Fig. picta G.)

Viverra pedibus omnibus tetradactylis, cauda annulata, corpore cinereo, maculis rufo-fuscis virgatis.

Rumph. Herb. Amboin. App. 71. *Surikatje* s. Javanorum *Tupe.*

Buffon. XII. 72. t. VIII. *Surikate.*

Pallas. Misc. Zoolog. 59. 60.

Pennant Syn. Quadr. p. 228. *Mustela tetradactyla.*

Habitat in Java insula et ad Cap. b. spei, non vero ad Surinamum. Sedet erectum dum apricatur, pedibus anticis dependentibus; pascitur carne, aviculas et minora quadrupeda venatur. Irritatum latrat ut catulus mas, at crotali instar sonum edit dum contentum est sua sorte et bene se habere indicare vult.

A Belgis appellatur *Surikatje* vel etiam *Muishond.*

Descr. Corpus magnitudine circiter pedis a capite ad caudam. Cauda 8 circiter pollicum; pili cinereo rufescentes maculis virgatis fuscis. Caput depressum cinereo-rufum, auriculis rotundatis brevibus, nares atrae, maxilla superior longior inferiore mobilis.

Pedes anteriores breves unguiculis nigris, digitis 4.

(*) *Ryzaenam* (genus ab Illigero conditum, hac unica specie nitens), Africae esse propriam et ab animalibus indicis, sub eodem nomine Belgico in Java insula familiaribus toto coelo diversam, nostro tempore inter omnes satis constat.

Lichtenstein.

Pedes posteriores longiores, tarsis pro habitu corporis longioribus, digitis 4, unguiculis nigris.

Pectus et Abdomen depressa, cinerea, Dorso lateribusque maculis rufo-fuscis virgatis, a dorso versus abdomen descendentibus. Cauda attenuata, annulata; ante apicem fulva et ipso apice nigra.

35. *Viverra putorius* β varietas capensis. (*)

Viverra nigra, lineis tribus dorsalibus albis.

Kolbe. Descr. Cap. II. 133. *Stink-bingsem.*

Blaireau puant. La Caille 182.

Pennant. Syn. Quadr. p. 232. *Fizzler (Paedens).*

Habitat ad Caput bonae spei, infesta avibus et gallinis, mures quoque venatur, unde ipsi nomen haesit: *Muishond.* Captum animalculum ligna exedit et rursus evadit: foetet et etiam moschum olet.

Descr. Corpus magnitudine congenerum (scil. Putorii rel.) nigrum, linea longitudine dorsi et utrimque alia alba undata, ab oculis in caudam usque.

36. *Viverra genetta* Linn.

Corpus cinereum, maculis nigris. Cauda annulis 8 nigris albisque alternis. Hinc inde pili paullulum flavescunt, sed minime sunt fulvi. Belgis quoque appellatur *Muishond.*

37. *Viverra Ichneumon* Linn. (**)

Corpus totum rufo fuscum cauda basi incrassata, pedem et dimidium circiter longa; muribus, gallinisque infesta. Belgis quoque vocatur *Muishond.*

(*) *Mustela Zorilla* Cuv.
Mephitis africana N.
Conferatur generis adumbratio in Actis Acad. Berol. 1836.

(**) *Herpestes Caffer* Desm.

38. *Sciurus palmarum* Linn. Var. β. (*)

Sciurus griseo-rufus, dorso striis duabus flavicantibus, cauda albo nigroque varia.

Habitat ad Cap. bon. spei, frugivora.

Cauda sagittata, erecta. Auriculae rotundae, parvae.

9. *Hyaena maculata* F.

Hyaena maculis nigris, cervice auribusque brevibus.

Pennant Syn. Quadr. p. 162. *Spotted Hyaena.*

Kolbe. Descr. Cap. II. 108. *Tygerwolf.*

Hyaenas genus novum constituere debere cum Pennantio suspicor: at cum nondum plura hujus generis animalia examinaverim, etiamnum dubius haereo circa novi generis characteres; forte plura dicturus si in Caput bonae spei redux, viva vel mortua specimina viderim et dissecuerim; nam nunc solam tantum pellem vidi.

Vivit in parte interiore Africae.

Caput breve rotundato-depressum, auriculae breves fuscae.

Corpus magnitudine lupi majoris; pilis cinereo pallidis, maculis hinc inde rotundatis (nec virgatis) nigris.

Cervix brevis crassa.

Corpus productius et rectius quam figura apud Pennantium nec adeo elevatum ad humeros.

Cauda brevis genua non attingit, at longior quam apud Pennantium.

10. *Sus Aethiopicus* Linn.

Sus sacculo molli ad oculorum latera, callisque sub oculis.

(*) *Sciurus albovittatus* Desm.
Sc. setosus Smuts.
Sc. capensis Thunb.

Engalla Sorrente iter ap. Churchill. I. 667. Barbot iter Guin. 487. Dampier iter I. 320.

Aper Africanus Adanson iter 139.

Sus Aethiopicus Hardlooper.

Pallas Misc. Zool. 16. tab. II. Spicil. Fascic. II. tab. I. (figura mala)

Flaccourt hist. Madagascar 511.

Sanglier du Cap vert. Buffon XIV. 409. XV. 148.

Sus Aethiopicus. Linn. Syst. XII. App. Tom. III. 223.

Voesmaer Monographia: *het wilde Kaapsche Verken.*

Si figuram Capybarae apud Buffonium, capiti Apri apud Pallas Spic. et Misc. Zool., demptis pedibus et ungulis, adaptaveris, tum magis veram hujus animalis habebis delineationem quam ullam aliam. Nil habeo, quod addam iis, quae Pallas et Pennant dedere.

41. *Equus Zebra* Linn.

Equus fasciis fuscis transversis versicolor.

Pulcher onager Martial. Epigr. XIII. 101. Oppian. Cyneg. III. 183.

Zebra Nieremberg 168. Raji Syn. quadr. 64. Klein quadr. 5.

Zecora Ludolf Aethiop. 56.

Le Zebre ou *l'Ane rayé* Brisson quadr. 70. Buffon XII. I. tab. 1. 11.

Wild Ass Kolbe Descr. Cap. 11. 112.

Equus Zebra, fasciis fuscis versicolor, Linn. Syst. XII. 101. Edwards 222.

Zebra Pennant Syn. quadr. 2.

Notissimum animalium; cui non dictus Hylas!

42. *Bos Poëphagus* F. (*)

(Fig. pict.)

(*) *Antilope Gnu* Auct. *Bos Connochaetes* Forst. in hoc ipso opere §. 287.

Bos cornibus antrorsum flexis, fronte villosa, mento, jugulo, pectoreque barbatis juba setosa.

Antelope Gnou Sparrmanni.

Poëphagus Aelian. hist. anim.

Poëphagus Kolbe Descr. Cap. II.

Habitat in penetralibus Africae rarissimum animal vix semel visum. Unum specimen vivum in Belgarum urbem adductum, navique impositum, obiit; at vitulus erat vix anniculus, cornubus adhuc carens.

Pelles seu tergora boum hujus speciei nonnunquam venum afferunt rustici, qui interiora Africae regiones inhabitant.

43. *Lanius frontalis* F. (*)

Lanius cauda rotundata, fronte rubra; auribus dorsoque nigris, remigibus rectricibusque fuscis, abdomine albo.

Habitat in interioribus Africae, *Kanarienbyter* ab incolis appellatur.

Corpus magnitudine circiter Loxiae capensis. Frons rubra. Caput, gula, aures dorsumque nigra. Supercilia flava in lineam albam desinentia, alia fascia alba e mandibula inferiore in scapulas ducta. Abdomen album. Dorsum et tectrices superiores alarum maculis flavis notata.

Tectrices et Remiges fuscae. Tectrices secundae et Remiges secundariae margine exteriore flavae. Uropygium totum flavum. Rostrum crassum, nigrum, dentatum. Mandibula superior arcuata.

Unum huius Lanii specimen medicatum et siccatum Londinum ad Reg. Societatem Scient. misi.

(*) *Brubru* Le Vaill. Ois. d'Afr. t. 71.
Lanius Brubru n.
Quae hic rubra et flava dicuntur, ferrugineo sunt colore, modo saturatiore, modo dilutiore.

44. *Corvus morio* F. (*)

Corvus ater, collo supra pectoreque albis.

Planches enlum. 327. *Corneille du Senegal.*

Habitat ad Caput bonae spei.

Corpus magnitudine Corvi Cornicis atrum; alba sunt pectus atque totum collom superius a nucha ad interscapulium.

Unum huius corvi specimen Sp. vini immersum Londinum ad Reg. Soc. Sc. misi.

45. *Corvus Cafer* F. (**)

Corvus ater nitens, collari albo, cauda rotundata.

Habitat ad Cap. bon. Spei.

Corpus magnitudine Corvum Coracem aequat. Rostrum latum, compressum, dorso convexum, cultratum nigrum; mandibula inferior apice alba. Nares subrotundae setis crebris obtectae. Capitis et Colli pennae ligulatae. Inferior pars colli cincta torque albo. Reliqua corporis tota atra, virescenti-relucentia.

Cauda rotundata rectricibus 12. Pedes ambulatorii, validi atri.

46. *Cuculus Persa* Linn. (***)

Cuculus cauda aequali, capite cristato, corpore viridi, remigibus sanguineis.

Habitat in interioribus Africae, ultra montes qui ad Caput bonae spei Euraquilonem spectant: unde et Belgis appellatur, *Kaapsche groene overbergsche Papagai* s. *Lory*.

Corpus magnitudine circiter Columbae domesticae. Rostrum rubrum, fascia ocularis nigra, linea alba supra in-

---

(*) *Corvus scapulatus* Daud.

(**) *Corvus albicollis* Daud.

(***) *Corythaix Persa* Ill.

fraque oculos. Crista viridis, margine in apice albo (non ut in Brisonii specimine rubro). Corpus saturate laeteque viride seu prasinum (non caerulescens).

Crissum et Tectrices alarum viridi-caerulea s. purpurascentia. Remiges 4 primi coccinei. Pedes fusci-nigri.

47. *Picus capensis* F. (*)

Picus, dorso, alis rectricibusque transversim, abdomine pectoreque longitudinaliter albo nigroque striatis, nuchâ rubrâ (in mare), Uropygio nigro, flavoque striato.

Habitat ad Caput bonae spei.

Corpus magnitudine Pici minoris. Rostrum rectum nigrum aequale. Caput supra griseum, Nucha subcristata, coccinea (in mare), Caput supra totum nigrum (in femina). Linea nigra a mandibula inferiore in scapulam ducta. Genae, aures, collum subtus, pectus et abdomen plumis medio nigris, marginibus (non apicibus) flavicante albis. Dorsum, alae et remiges nigro et flavicante-albo transversim striata. Uropygium nigro-flavoque striatum. Scapi remigum et recticum flavo-aurei. Pedes scansorii nigri.

Marem et feminam siccatam medicatamque Londinum ad Reg. Soc. Scient. misi.

48. *Upupa Promerops* Linn. (**)

Hanc avem, rostrum et lingua utique non ad Upupas spectare probant; forte rectius inter Certhias est collocanda, at lingua non est acuta, verum apice penicillata.

Unum huius avis specimen Sp. vini immersum Londinum misi ad Reg. Soc. Scient.

(*) *Picus fulviscapus* Ill. *Le petit pic à baguettes d'or* Temm.

(**) *Epimachus Caffer* n. *Ptiloturus Caffer* Swains. *Nectarinia Caffra* Ill. *Merops Caffer* et *Certhia Caffra* Linn. Gm.

49. *Anas Gambensis* Linn. Var. *β*. (*)

Corpus magnitudine Anseris domestici. Rostrum semicylindricum, rubicundum, tuberculatum. Caput rufum. Collum, pectus, dorsumque grisea. Alae nigrae. Tectrices cinereo-rufescentes, apice albo nigro-cincto. Scapulares rufae. Abdomen crissumque alba. Rectrices et uropygium nigra.

In dorso, et in pectoris extremo quaedam plumae rufae. Pedes rubicundi.

Ab incolis Capitis bonae spei Belgis appellantur huius speciei Anseres: *montanae* (*Berg-Gansen*), quod in montosis locis nidos habeant.

50. *Anas montana* F. (**)

(Fig. picta Schumacher).

Mas et Femina.

Anas rufa, remigibus rectricibusque atris, capite griseo, rostro pedibusque nigris.

Habitat ad Caput bonae spei: in montibus nidum facit; clangor altus, sonorus; incolis Belgis *Berg-Eend*.

Corpus magnitudine A. Boschadis fere, mas caret penna caudae recurva. Pennae omnes rufae. Caput griseo-plumbeum. Remiges atro-virentes. Tectrices candidae omnes, sub alis albae; pennae scapulares rufae totam fere alam ita obtegunt ut pennae albae nullo modo in conspectum veniant. Rectrices atrae.

(*) Species ab Ansere gambensi toto coelo diversa. Nullam inter aves Africae meridionalis novi, cui adsociari possit. Tamen Asiaticam fuisse suspicor, quam auctor in Vivario capensi viderat, *Anserem cygnoidem* scilicet, coloniis Batavorum omnibus familiarem et mira varietate prolificantem.

(**) *Anas cana* Linn. Gm., ab *Anate rutila* et *Kasarca* Pall. probe distinguenda.

Observ. In omnibus tectrices alarum sunt albae. In Feminis frons et fere totum caput sunt alba.

51. *Anas xanthoryncha* F. (*)

Anas fusca, pennis cinereo marginatis, rostro flavo, supra nigro-maculato.

Habitat ad Caput bonae spei, ubi huius speciei aves a Belgis incolis appellantur *Geelbecken*.

Corpus magnitudine circiter A. ferinae. Rostrum flavum, supra macula nigra pone basin et alia in apice. Remiges primores fuscae, secundariae speculo anatino, margine nigro et albo. Plumae fere omnes corporis fuscae, margine cinereo transverso cinctae, at in dorso plumae ligulatae, aeque cinereo marginatae. Pedes supra rubri, apice nigricantes.

52. *Anas pyrrhorhryncha* F. (**)

Anas supra fusca, pennis rufescenti-marginatis, infra cinerea, fusco-maculata, rostro rubro, pileo atro-fusco.

Habitat ad Caput bonae spei, ab incolis vocantur aves huius speciei *Roodbecken*.

Corpus magnitudine vix Creccam excedit. Caput pileo atro-fusco et a rostro infra oculos jugulum cum genis temporibusque abrupte ochroleuca. Rostrum depressum, margine lamellatum rubrum, supra macula nigra; ungue corneo. Nares ovatae, nudae. Pedes caerulescente-fuliginosi, ultra genua nudi. Oculi iride rubra.

Colli inferiora, pectus, abdomen et crissum cinerea, pennis ante apicem macula pallide fusca notatis. Cervix, dorsum et crissum pennis atro-fuscis rufo marginatis.

(*) *Anas capensis* Linn. Gm.

(**) *Anas erythroryncha* Linn. Gm.

Alae complicatae pene longitudine caudae. Tectrices supra atro-fuscae, ultimae secundariarum margine apicis rufescentes. Remiges primariae fuscae, apice exteriore macula grisea, secundariae lamina externa infra rufescente, supra anatina (speculum efficiente), interna fusco-grisea. Scapulares elongatae fuscae, rufescenti-marginatae. Cauda rotundata. Rectrices XVI acuminatae omnes, fuscae, rufescenti-marginatae.

53. *Anas assimilis* F. (*)

(Fig. picta G.)

Anas fusca, pennis rufescenti marginatis, rostro pedibusque rubentibus, capite cinereo-fusco punctato.

Habitat ad Capitis bonae spei maritima imprimis, a Belgis appellatur *Smee*.

Corpus magnitudine ferinae vel majus. Caput cinereum, maculis s. punctis crebris fuscis aspersum. Pectus fuscum, marginibus pennarum rufescentibus transversis. Dorsum virente fuscum, pennis pallide rufescenti marginatis.

Remiges primores exterius virenti fuscae: secundariae speculo anatino, utrimque albo cincto. Rectrices in caudam acutam cuneatam desinunt. Rostrum et pedes colore nigricante-rubro.

Observ. Hae postremae tres anates revera maxime sunt inter se similes; at prima rostro flavo destincta, secunda minor quam reliquae, et pileo atro distinguenda, tertia capite fusco punctato facile dignoscitur a reliquis.

54. *Larus littoreus* F. (**)

Larus supra canus subtus remigibusque apice albis, 4 primoribus apice fusco-nigris, rectricibus albis.

(*) *Anas guttata* Mus. Berol.

(**) *Larus dominicanus* n. *Grande Mouette* Azar.

Habitat ad littora maris ad Caput bonae spei.

Brisson. VI. 160. t. 14. *Larus cinereus.*

Planches enluminées t. 253. *Goéland cendré.*

Corpus magnitudine circiter Anatis Boschadis. Caput, Collum supra, Dorsum, Remiges cinerea. Collum subtus, Pectus, Abdomen, Rectrices, Remigum apices candida; 4 remigum primorum apices et extima exterius fusco nigra. Rostrum flavum, mandibulae inferioris apex rubet. Pedes carnei, Ungues rubro nigri.

Duo hujus Lari specimina Sp. vini immersa Londinum ad Reg. Soc. Scient. misi.

55. *Ardea palearis* F. (*)

(Fig. picta Schum.)

Ardea (Grus) coeruleo-cinerea, facie rubra papillosa; collo, pectore, palearibusque albis; remigibus rectricibusque nigris.

Corpus magnitudine Ardeae gruis mel majus. Caput pileo cinereo. Rostrum pallide fuscum. Facies papillis coccineis. Collum, Genae et Pectus alba. Sub Gula dependent, duo Paleares, sacculorum instar, plumis albis vestiti, et antice papillis coccineis consiti. Remiges, Rectrices et Abdominis latera nigra. Pedes fusci s. plumbei. Tectrices cinereae. Scapulares elongatae falcatae, ultra caudam protensae.

Observ. Uuica hujus speciei avis in Vivario Societatis Mercatorum in India mercaturam facientium ad Caput bonae spei obvia et capensis esse dicitur.

56. *Ardea fusca* F. (**)

Ardea cristata, tota fusca, remigibus saturatius fuscis, rectricibus striis circiter sex transversis saturatius fuscis.

(*) *Grus carunculata* n. *Ardea carunc.* Linn. Gm.

(**) *Scopus Umbretta* Linn.

Habitat ad Caput bon. spei.

Corpus magnitudine circiter A. Nycticoracis fuscum. Rostrum rectum compressum, nigrum, supra apice aduncum, longius mandibula inferiore. Crista magna in occipite ex plumis magnis, dense pinnatis. Remiges saturate purpurascenti-fuscae. Rectrices apicibus transversimque saturate fusco striatae. Pedes nigri, unguis medius crenatus.

Unum hujus Ardeae specimen medicatum siccatumque Londinum ad Reg. Soc. Scient. misi.

57. *Tantalus capensis* F. (*)

(Fig. picta G.)

Tantalus facie, rostro, pedibusque rubris, corpore atro virenti.

Habitat ad Caput bon. spei et ab incolis Belgis aves hujus speciei vocantur *Kalkoenen*.

Corpus magnitudine Scolopacis arquatae, totum vestitum plumis atro-cyaneis. Caput cum occipite calvum, calvitiei pileus est ruber, genae, gula (saccata paululum) cum regionibus ophthalmicis et periotio sordide alba, pilis nigris brevibus rariter aspersa, aures nudae oblongae. Oculi iride purpureae. Rostrum arcuatum rubrum pedesque rubri. Lingua brevissima carnosa, deltoidea, adnata, postice ciliata. Palatum sulcatum postice membrana truncata ciliata. Nares in basi rostri oblongolineares ad initium sulci rostralis in apicem rostri exeuntis. Oculi palpebris denudatis albidis.

Pedes 4-dactyli seminudi, rubri, granulati. Femora semitecta, Genua nuda. Tibiae mediocres postice subcarinatae, Digiti 3 antici, posticus brevissimus sublateralis, medius longissimus (tibiae circiter longit.), lateralis exterior medio annexus membranula brevi vix primam phalangem connectente. Ungues nigri, obtusi.

(*) *Ibis calva* Lath.

Observ. In Vivario Soc. Mercat. ad Caput bonae Spei, duo erant mares totidemque feminae. Vescitur carne.

58. *Scolopax caffra* F. (*)

(Fig. picta G.)

Scolopax rostro arcuato pedibusque atris, supra cinerea, abdomine uropygioque candidis.

Habitat ad loca paludosa, humida; gregaria in Cap. b. Spei.

Corpus magnitudine inter Scol. Gallinaginem et Gallinulam circiter medium, supra cinereum, subtus candidum. Pectus cinereo et ferugineo maculatum. Uropygium candidum. Remiges fuscae, rachi alba. Primores 1-4 totae fuscae, 5-9 margine exteriore albo. Secundariae radiis interioribus supra albis. Tectrices secundae supra apicibus albis. Remiges subtus canae, Tectrices secundae subtus albae. Margo superior alarum subtus albo griseoque varius.

Quatuor hujus Scolopacis specimina spir. vini immersa Londinum ad R. Sc. Soc. misi.

59. *Fulica Porphyrio* Linn. (**)

(Fig. picta G.)

Fulica rostro pedibusque rubris, dorso anatino, reliquo corpore violaceo, crisso albo.

Habitat ad Caput bonae Spei et in Madagascar in palustribus. Gressus satis celer, volatus brevis et gravis. Vox clara, alta, ingrata. Mansueta vescitur oryza, pane et aliis. Belgis vocatur *de schoone Riedhaan.*

Corpus sesquipedale a terra, magnitudine vix Galli gallinacei. Membrana frontis rubra (non lobata) appressa

---

(*) *Rynchoea capensis* Cuv. annotina.

(**) *Porphyrio smaragdonotus* Temm.

ut in Fulicis. Rostrum basi crassum, teres, obtusum, rubrum. Nares in tertia rostri parte, squamula basi tectae non perviae. Oculi iride rubra.

Dorsum viridi-anatinum. Reliqua violaceo-sericea. Crissum album. Remiges nigrae, extima apice albo. Tectrices violaceae. Spinula 4tam partem unciae longa, appressa, in apice alulae.

Femora seminuda, crassa, miniata sine armillis. Genua nodosa, crassa, concolora. Tibiae validae concolores. Digiti crassi, medio longissimo, postico dimidio breviore. Ungues nigri. Cauda brevis, viridi-anatina.

60. *Rallus caffer* F. (*)

(Fig. picta G.)

Rallus supra fuscus, genis, collo abdomineque coeruleo-cinereis; crisso, femoribus albo-nigroque undulatis, rostro pedibusque rubris.

Habitat ad Caput bonae Spei in arundinetis et paludosis caricetis. Belgis incolis *Riedhaan*.

Corpus magnitudine Ralli aquatici, supra fuscum. Genae, collum, abdomen coeruleo-cinerea. Crissum, femora, tectricesque inferiores alarum albo nigroque undulata.

Rostrum longum, rectum, compressum, supra parum arcuatum, acutum, rubrum, linea longitudinalis nigra supra. Nares longae. Oculi iride rubente. Femora seminuda cum totis pedibus rubra. Ungues nigri. Cauda brevis; rectricibus binis extimis albis.

Observ. Descripta haec Ralli species ex specimine vivo in vivario Societ. Belgicae. Ind. orient. ad Cap. bonae Spei. An vero haec nostra species, satis sit distincta a *Rallo*

(*) *Rallus coerulescens* Lath. vix a *capensi* diversus.

capensi Linnaei, vel tantum varietas, vel sexus differentia, nunc mihi non satis liquet.

61. *Otis Afra* Lin.

(Fig. picta G.)

Otis nigra, supra ex pallido fulvo nigroque undulato-nebulosa, auribus albis.

Illustres comes Buffonius hist. nat. av. vol. 3. ed. in 12mo. p. 76. seq. dum de Otide agit, inter alia et Linnaei *Otidem afram* memorat. Verum dein male cum ea committit avem ab Adansonio et le Maire memoratam nomine *Autruche volante* (Struthio volans). Avis haec Adonsonii et le Mairii est magnitudine Cygni, haec Galli; illa est collo admodum longo, haec nostra collum non habet praelongum, imo ex Adansonio planissime patet eum intelligere *Otidem arabem*. Linnaeus adhibuit vocem *aurium* pro designanda macula aures tegente; Buffonius id de plumis longioribus ad aures intellexit. Linnaeus *Aethiopiam* ejus patriam meminit, lato scilicet sensu, at Buffonius Abissiniam inde collegit ejus patriam. Facile suspicabar, Aethiopiam hic intelligendam esse circa Caput bonae Spei, quia Linnaeus eam ex pictura apud Burmannum descripsit, qui praecipue Capensium icones habuit.

Habitat in campestribus et fruticetis ad Caput bonae Spei; cauta avis, difficilis accessu, ideo raro capitur. Belgis appellatur *Korrhaan* vel *Knorrhaan*.

Knorrhahn Kolbe 2. p. 129. ed. angl.

Corpus magnitudine Galli gallinacei vel majus. Caput, collum, pectus, abdomen, femora, remiges et crissum nigra coracina. Dorsum, tectrices alarum, uropygium et rectrices ex pallide-fulvo nigroque undulato-nebulosa. Macula ad aures, collare, apices tectricum secundariarum in alis, macula in margine interiore remigis 7mae et in margine exteriore remigum 13-20 alba. Oculi

iride pallida, cincti orbita papillosa rubra. Crista in occipite nebulosa. Rostrum, pedesque flava; apex rostri et ungues nigra.

Unum hujus rarae avis specimen Londinum ad R. Soc. Sc. misi.

62. *Columba sylvestris* F. (*)

Columba orbitis nudis pedibusque rubris; Dorso colloque fusco-azureo; abdomine rufo; fronte gulaque canis.

Habitat ad Caput bonae Spei; *Boschduif* Capensibus.

Remiges fusco-nigrae, marginibus extimis albis; rectrices nigrae, extima apice alba.

Rostrum fuscum. Pedes rubri. Orbitae oculorum rubrae.

In Vivario Soc. Belg. Ind. or. ad Cap. b. Spei, descripta ex duobus vivis Speciminibus.

63. *Turdus Mimus* F. (**)

Turdus rufescens, capite pectoreque atris; superciliis, fronte, jugulo, abdomineque albis.

Habitat ad Caput bonae Spei, canorus, voces omnium avium imitatur, imo et latrat ut canis, praeterea et ovium balatum assequitur voce, quarum greges sequitur, unde ipsi nomen *Schaap-wachtertje* haesit, ut et aliud ob vocem canoram suavem Lusciniae similem: *Nachtigal.*

Corpus magnitudine Turdi capensis. Collum, dorsum, tectrices alarum rufa. Remiges fuscae rufo marginatae. Abdomen, femora, crissum ex albido pallide rufescentia. Frons, linea superciliaris et jugulum alba. Reliqua capitis cum pectore atra. Cauda atra, 12 rectricibus, quarum utrimque 5 a basi ad medium fere albae.

(*) *Columba larvata* Temm.

(**) *Saxicola pileata* n. *Turdus pileatus* Lin. Gm.

Duo Speciminia Sp. vini immersa et unum medicatum Londinum ad Soc. R. Sc. misi.

64. *Loxia Oryx* Lin.

(Fig. picta G.)

Loxia aureo miniata, facie, pectore, abdomineque atris, alis rectricibusque fuscis.

Emberiza oryx Lin. Syp. nat. 310. Loxia oryx. Mantiss. 2dae. p. 527. Cardinalis Cap. b. Spei Briss. av. 3. p. 114. t. 6. f. 2. Grenadier Edw. av. 178.

Corpus magnitudine fere pyrrhulae. Rostrum atrum, sic et frons; Genae ultra oculos, gula, abdomen atra. Occiput, fascia collaris cum parte pectoris aureo miniata, (in quibusdam hujus speciei flavo aurea). Dorsum, crissum et uropygium miniata.

Remiges fuscae, marginibus exterioribus albidis. Rectrices concolores. Femora pallide fulva. Pedes fusco rubicundi.

Observ. Plura hujus avis Specimina Londinum ad R. Soc. Sc. misi.

Hae aves pro ratione temporis, aetatis, cibi, mire variant. Aliae enim sunt aureo-miniatae, pulcherrimae, aliae fulvo-sanguineae, aliae fulvae s. aurantiae, aliae pallide fulvae. Praeterea in quibusdam totum pectus est atrum sine collari fulvo s. rubro. Feminae sunt totae fuscae, marginibus pennarum albidis.

65. *Emberiza caffra* F. (*)

Emberiza atra, tectricibus alarum miniato-aureis, rectricibus quatuor longissimis.

(*) *Loxia Caffra* Thunb. Lin. Gm. *Loxia longicauda* Miller. *Emberiza longicauda* Lin. Gm. *Vidua longicauda* Cuv.

Habitat in penetralibus Africae, rarissima avis, a Dmo. Bergh mihi dono data, et statim antequam eam describerem, Londinum ad R. Soc. Sc. missa.

Corpus magnitudine excedit *E. citrinellam*; totum atrum. Remiges fuscae. Tectrices alarum miniato-aureae, colore sensim versus apices plumarum, magis diluto seu flavescente; adeo ut avis ideo simillima sit *Oriolo phoeniceo*, et non nisi rostro, cauda et magnitudine differat. Rectrices 4 longissimae; mediae scilicet paulo sunt longiores proximis.

66. *Hirundo capensis* F. (*)

Hirundo atro-coerulescens, capite uropygioque fulvis, gula abdomineque albido-fulvis, fusco lineatis, rectricibus quatuor utrimque macula alba notatis.

Habitat ad Caput bonae Spei, ut rustica in Europa intra tecta. Migrat Aprili, Septembri redit.

Corpus magnitudine H. rusticae. Rostrum breve, pedesque fusca. Digiti 3 antici. Unus posticus reliquis crassior; Ungues fusci. Dorsum et tectrices superiores alarum atro-coerulescentia, nitida.

Remiges et Rectrices fuscae, margine exteriore virescente. Caput nuchaque castanea, Uropygium fuscum. Genae, gula, abdomen et crissum albida, ad fulvedinem inclinante colore, lineis longitudinalibus fuscis notata. Alula infra fusco et fulvescenti-albido variegata. Tectrices inferiores alae albae. Rectrices caudae maxime forficatae, utrimque 4 in margine interiore macula alba notatae. Irides obscuro-fuscae.

Duo hujus Hirundinis specimina Londinum ad R. Soc. Sc. misi Spir. vini immersa.

(*) *Hirundo capensis* Lin. Gm. rel.

67. *Hirundo hyemalis* F. (*)

Winter-Swaluwe apud incolas.

Hirundo fusca, gula pectoreque albidis, rectricibus aequalibus, quatuor utrimque mediis macula alba notatis.

Habitat ad Caput bonae Spei hyeme, i. e. ab Aprili ad Septembrem: et hoc tempore nidificari dicitur: at alii volunt, eam toto anno circa caput bonae spei reperiri; id certum, me nullam vidisse vivam.

Unum medicatum Specimen ad. R. Soc. Sc. Londinum misi.

OCEANUS ANTARCTICUS.

Decbr. 5. 1772 - Jan. 13. 1773.

68. *Diomedea palpebrata* F. (**)

(Fig. picta G.)

The Sooty or the brown Albatroſs.

Diomedea fusca, capite remigibus tectricibusque fuliginoso-nigris, palpebris niveis.

Habitat in Oceano antarctico a gradu latitud. austr. 47 in circulum antarcticum.

Corpus magnitudine circiter Anseris domestici, cinereo-fuscum. Rostrum atrum, Nares cylindricae. Caput

---

(*) *Hirondelle fauve* Le Vaill. tab. 245. fig. 1. a Lessonio male cum *H. capensi* confusa, jamdudum a nobis sub nomine: *H. fuligula* distincta, licet denominationem ab auctore nostro propositam, mihi prius ignotam, haud recusaverim. Gula cum pectore helvola potius quam albida dicenda. Rectrices 12 aequales, quarum extimae aeque ac intimae binae concolores, reliquae, quas recte medias utrimque Forsterus dicit, macula ovata alba notatae.

Lichtenstein.

(**) *Diomedea fuliginosa* Lin. Gm.

fuliginoso-nigrum. Oculi iride pallide lutea; ad utrumque angulum oculi est membrana nictitans et supra oculos in parte posteriore et partim infra oculos plumae albae cingunt oculum, sed non in parte anteriore. Remiges fuliginoso-nigrae rachi alba. Rectrices 12 caudae cuneatae fuliginoso-nigrae, rachi alba. Dorsum, collum, pectus, abdomen, femora cinereo-fusca.

Pedes aequilibres tridactyli rubicundi, vel etiam glauci, palmati sine digito et ungue postico, totidemque phalangibus in digitis, ac membrana laterali ut in congeneribus. A Rostro in caudam 2 ped. 10 poll. In unguem medium 2 ped. $7\frac{1}{2}$ poll. Alae expansae 6 ped. 7 poll. Rostrum 4 poll. A Rostro in medium oculi $5\frac{1}{2}$ poll. Pedes nudi 9 poll. Digitus med. 5 poll. Unguis medius $\frac{1}{2}$ poll. Cauda ab uropygio in mediam rectricum 11 poll.

69. *Aptenodytes antarctica* F. (*)

(Fig. picta G.)

The Antarctic Pinguin.

Aptenodytes capite nudo, linea gulari nigra ab aure in aurem, pedibus incarnatis. Haec avis non ad Alcas, sed potius ad novum Genus referenda, cui postmodum nomen *Aptenodytae* dedi ob rationes ad §.259. allegatas.

Habitat a gradu latitudinis australis 48 in circulum antarcticum; visa in aperto mari, procul a terra et non raro prope glaciei montes et insulas in hoc mari obvias; quas nonnunquam si fuerint acclives et nive tectae ascendit; observata mari tranquillo et etiam ventis agitato. Gregaria est, nec nisi raro mihi una sola visa. Clangit prope ut anseres solent, ve-

(*) Species a nemine hucusque recensita, a reliquis apud Ornithologos enumeratis satis distincta, affinis *A. demersae* quae pictura gastraei differt. Nomen ideoque ei servandum. Plura de hoc genere addenda habemus sub finem operis.

Lichtenstein.

rum voce magis rauca et gutturali. Urinatur, alis utitur pro remigio aquarum et pedibus pro gubernaculo. Vivit piscibus quorum praedae inhians salit, et mersa denuo mox emergit, iterum subsultim sub aquam et quasi jaculatorie itura, ad praedam capiendam. Vitae tenacissima est et nonnisi magno vulnere perit. Unam hujus speciei avem, saepius vulneratam per 3 ad minimum milliaria in mari cymba sequutus, nec nisi cerebro disperso per globum plumbeum assequi potui. Alia pisis plumbeis e vicinia appetita, tamen plus quam horam post vulnus inflictum vixit.

Corpus ponderosum, torosum, pendens $11\frac{1}{2}$ libras, magnitudine circiter anseris domestici; tectum pennis brevibus, ima parte adhaerente pluma in qualibet penna; rachis compressa, plana, concava; ex ea procedunt bifariam radii paralleli, itidem, sed laxe, pinnati, at in ipso apice radii nonnisi dimidia sui parte sunt pinnati et in extremitate abeunt in setas splendentes instar pilorum, unde tota avis relucet, quasi sericeo amictu. Pennae sunt densissimae, validae, incurvae, corpori appressae, in alis minimae, unde prorsus ut squamae apparent.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	2	ped.	1	poll.
» » » apicem unguis med.	2	»	2	»
Alae expansae	1	»	8	»
Rostrum longum	-	»	$2\frac{8}{10}$	»
» crassum ad basin	-	»	$\frac{7}{10}$	»
a Rostri apice in med. oculi	-	»	$3\frac{1}{2}$	»
Linea gularis ab aure in aurem	-	»	6	»
Ala sola	-	»	$8\frac{1}{2}$	»
Pedes nudi in extremum unguem digiti medii	-	»	$4\frac{1}{2}$	»
Unguis medius	-	»	1	»
Digitus medius cum ungue	-	»	$3\frac{1}{2}$	»
» posticus cum ungue	-	»	$\frac{8}{10}$	»
Cauda circiter	-	»	4	»
Diameter in medio dorso, pone alas	-	»	$6\frac{8}{10}$	»

Corpus parte superiore atrum, subtus candido-sericeum. Rostrum laeve sub-conicum, acutum, atrum; Nares lineares in sulco obliquo a fronte in marginem interiorem ante apicem incurvum desinente. Mandibula inferior subtruncata. Oculi iride pallide-flava. Linea atra sub gula, parallela nigredini, at circa aures curvatur. Palatum et lingua tecta villis pendulis, retrorsum flexis, angustis, acutis, $\frac{1}{10}$ poll. circiter longis.

Alae pinniformes, rectae, horizontales, pennis minimis instar squamarum consitae, supra nigro-coeruleae, margine infimo albo, subtus albae, apice nigro.

Pedes compedes, palmati, validi, digito postico distincto, antrorsum verso, latere membrana cincto. Pedes supra incarnati, infra nigri. Talus distinctus, cui insistit avis, quando erecta stat. Digitus interior margine interiore membrana laterali instructus.

Cauda cuneata rectricibus circiter 16 (forte 32), laxe pinnatis, setosis, rigidis.

70. *Procellaria nivea* F. (*)

(Fig. picta G.)

The Snowy Petrel or Snowbird.

Procellaria tota nivea, rostro atro, pedibus glaucis.

Habitat in Oceano antarctico a gradu Latitudinis australis 52 usque in circulum Antarcticum, plerumque observavimus eas in vicinia glaciei.

Corpus magnitudine circiter Proc. capensis, omnino niveum.

A Rostro in extremam caudam	1 ped.		
» » » medium unguem	1 »	$\frac{1}{4}$	poll.
Alae expansae	2 »	5	»

(*) Nomen ab omnibus receptum.

Cauda ab Uropygio	- ped.	$3\frac{1}{2}$	poll.
Rostrum longum ad basin in fronte	-	»	$\frac{6}{10}$	»
» » usque ad rictum	-	»	$1\frac{1}{2}$	»
» latum	-	»	$\frac{3}{10}$	»
Pedes nudi in extremum medium digitum	-	»	$3\frac{4}{10}$	»
Digitus medius cum ungue	-	»	$1\frac{8}{10}$	»
Unguis medius	-	»	$\frac{1}{2}$	»

Decbr. 28.

71. *Procellaria similis* F. (*)

(Fig. picta G.)

The white edged silvery Petrel.

Procellaria supra cana, vitta transversali fusca, rostro angusto simplici atro, rectricibus albo marginatis, pedibus coeruleis.

Habitat in Oceano antarctico, circa gradum latitudinis 58 primum observata, gregaria mari tranquillo insidebat.

Corpus primo aspectu simillimum *Proc. vittatae* at rectius examinatum, differt; magnitudine *vittatae*, at color magis pallidus, et vitta fusca non adeo nigra.

Caput saturatius coeruleum; circa rostrum candidum superciliis albis (sed non productis pone oculos ut in vittata). Oculi iride nigra. Remiges nonnisi 6 primores marginibus exterioribus fuscis, interioribus pallidis: *secundariae* 18. Rectrices 12 omnes apice candido-fasciatae, exteriore utrimque et tectricibus inferioribus albis. Rostrum compressum, angustum, longitudinaliter a naribus sulcatum, atrum, muticum (i. e. non pectinatum). Lingua carnosa, conica. Pedes ut in priore (vittata); digito externo membrana marginato.

(*) Species obscura, ulteriori examini relinquenda. A *Pr. vittata* (*Pachyptila*) non esse diversam, nisi aetate, suspicor.

A Rostro ad extremam rectricem 11 poll., ad extremum unguem digiti medii $10\frac{1}{2}$ poll. Alae expansae 2 ped. 2 poll. Rostrum longum $1\frac{3}{10}$ poll., latum $\frac{4}{10}$ poll. Pedes nudi $3\frac{3}{10}$ poll. Digitus medius cum ungue $1\frac{8}{10}$ poll. Unguis digiti medii $\frac{3}{10}$ poll.

Observ. An haec avis a vittata sexu tantum sit distincta mihi non liquet. Specie diversas esse suspicor, asseverare non ausim. Rostrum tamen valde et toto coelo, diversum. Remiges nonnisi 6 primores erant in 4 hujus avis peciminibus, quod vix crediderim casu accidisse; sed tamen forte 4 excidere, nam novae tunc pennae succrescebant tempore deplumationis.

Decbr. 26.

72. *Procellaria antarctica* F. (*)

The antarctic Petrel.

Procellaria supra fusca subtus candida, remigum apicibus, uropygio et rectricibus albis, rostro pedibusque nigris.

Habitat a gradu 58 Latitudinis australis, in circulum antarcticum, circa quem gregarias vidimus; antequam eo successerimus vix singulas observaveram. Plures sclopeto necavi, nulla in navem incidit; ideo quae de ave hac dixi, ita sunt intelligenda, quod eam discripserim, dum circa navem volitaret et prorsus propinqua mihi esset. Magnitudine circiter capensis est.

NOVA ZEELANDIA.

1773. Martii 27 - Junii 7.

3. *NOVA ZEELANDIA.*

Emenso ingenti spatio Oceani australis, inter ingentis molis insulas glaciales, inter nives, nimbos et procellas re-

(*) *Pr. antarctica* Auct.

deunte sole ad Boream, diebus decrescentibus, optimum Navarchus duxit, loca temperata repetere et in portum quendam appellere Novae Hollandiae; verum ventus contrarius nos prohibuit; itaque vela direximus in Australem Insulam Novae Zeelandiae, *Tavai Pöe na moo* ab incolis appellatam, et 27mo Martii anchoram in *Portu obscuro* (Dusky-Bay) jecimus et post 7 hebdomadum moram alterum, in Septentrione ad Cookii fretum situm, *Aestuarium Reginae Charlottae* (*Queen Charlotte's Sound*) petere instituimus, et post unius circiter hebdomadae navigationem in id feliciter pervenimus et aliam sociam navem, ante tres menses a nobis separatam, magna mutuaque congratulatione ibi reperimus, et rursum tres hebdomadas illic substituimus.

Decem igitur hebdomadum spatio in hac insula morati sumus. At quod tunc jam hyems ingrueret, nonnisi paucas plantas florentes reperimus, et eas omnes illico describendas et delineandas curavi: tamen nonnisi 54 novas ut credo species reperire potui. Certe meliori successu indagaturus plantas fuissem, si alio tempore huc venissem. Zoologicas descriptiones et delineationes meliori facere successu instituimus. Nam 52 novas species obvias habuimus: quod certe maxime mirabile fuit, nam vix duas mammalium species illic vidimus; nonnisi unicum exemplar Insectorum delineandum curavi, reliquae descriptiones Aves et Pisces exprimebant omnes novos; adeo tamen ut in novis Avibus imprimis sese jactaret natura. Observandum quoque censeo, nonnisi paucas aves antea notas in Nova Zeelandia a nobis repertas fuisse, et eas praecipue ex ordine Anserum vel Grallarum. Unica *Tetrao coturnix* ex gallinarum ordine obvia mihi fuit. Reliquas heic enumerabo: *Anas strepera. Procellaria vittata. Diomedea exulans* et *palpebrata. Pelecanus carbo, Graculus* et *Bassanus; Larus naevius* et *fuscus; Ardea alba* et *jugularis; Scolopax Gallinago, Haematopus Ostralegus.*

Inter Amphibia nantes ex notis observavi *Squalos Galeum, Catulum* et *Mustelum. Raja Batis.* Inter pisces noti sunt *Scomber trachurus, Trigla Cuculus, Mugil albula?*

Inter Insecta aquatica: *Cancer Homarus* sapidissimus, *Pulex, Diogenes* et *Oniscus Asilus.* Ex Molluscis notavi *Sepias octo-podiam* et *loliginem, Asterias auranciacam* et *papposam? Aplysiam depilantem, Argonautam Argon, Echinum Lucunter* et *Lepadem anatiferam,* ut taceam alia.

Incolae hujus regionis robusti torosi, colore aegypio s. fusco, crinis nigris, barbati, *Loripedes* et *magnis genubus* praediti (quae utraque postrema ex ratione sedendi) superiore parte corporis symmetrica atque concinna. Vivunt piscibus imprimis et radicibus filicum, in boreali insula plantant *Convolvulum batatas*; praeterea sunt Anthropophagi, comedentes eos quos bello interfecerunt. Nonnisi unicum animal habent domesticum nempe *Canem familiarem domesticum* quem Buffon vocat *Chien de Berger* et Pennant in Synopsi quadruped. *Shepherds Dog.*

Mai 22.

73. *Vespertilio tuberculatus* F. (*)

The New Zeeland Bat.

(Fig. picta G.)

Vespertilio caudatus, naso simplici, bituberculato, dentibus primoribus supra 4, infra 6.

Vespertilionum genus a magnis Zoologis Linnaeo et Brissonio minus recte quam reliqua designatum; charactere nempe a Dentibus primoribus desumto eorumque numero et conformatione, qui in hoc Mammalium genere adeo variat, ut ad minimum 6 vel 7 distincta inde genera potuissent effin-

(*) Species ad *Scotophilos* recentiorum forte referenda. Conferatur quoque *Miniopterus Ursinii* Charl. Bonap.

gere. Id certissimum, quod *Noctiliones Linnaei* et *Pteropi Brissoniani* sint postliminio restituendi in antiquum jus et inter Vespertiliones cum reliquis congeneribus ordinandi, quum omnia habeant cum iis communia et nonnisi dentium primorum numero differant. Rectius Vespertilionum familia in plures sectiones dividenda a cauda. Sunt itaque quidam *ecaudati*, alii *caudati*, hi rursum naso sunt *foliaceo, vel simplici.* Hi characteres, et dentium numerus et conformatio species determinant cum quibusdam aliis differentiis adhibitis.

Vespertilio hic discriptus in *estuario reginae Charlottae* vespertino tempore ad maris littus silvae marginem circumvolitabat, et sclopi ictu in ala membranacea vulneratus fuerat. Vivus per biduum, a me descriptus et a filio delineatus, at quod non meum esset exemplar hujus Vespertilionis, non potui idem cultello anatomico subjicere postquam ad possessorem redierat mortuum. Masculum specimen erat, nec ideo de sexuum differentia vel similitudine quidquam affirmare queo. Plura e minutiore descriptione patebunt.

Haec species similis *V. noveboracensi* Pennant Syn. Quad. no. 283.

Magnitudo circiter *V. communis*, vel paulo major. Caput murino simile, mediae magnitudinis. Rostrum obtusum, emarginatum, simplex, naribus bituberculatis. Maxilla inferior, paulo brevior superiore. Lingua apice subcylindrica, elongata, papillis minutioribus consita, posterior pars linguae versus basin latior, supra papillis majoribus.

Dentes incisores supra 4, per paria distantes, quorum duo majores interiores duo minores extrorsum illis proximi. Dentes incisores infra 6, minimi, aproximati. Dentes Laniarii supra 1 utrimque. Dentes Laniarii infra 3 utrimque. Dentes Molares supra infraque 4 utrimque, acuti quadrifidi.

Oculi minuti, inter rostrum et auriculas. Auriculae mediocres, glabrae, subovales, capiti adpressae, infra lobulo interiore, semiorbiculato; margine exteriore intus rugis aliquot transversis notato. Alae amplae, fuscae, membrana crispata, caudam includente. Pollex unguiculatus, ater. Pedes postici, pentadactyli, digitis subaequalibus. Unguiculi aequales, atri. Vellus ubique molle, tenellum, fusco-ferrugineum.

Mensurae.

A naribus ad basin caudae	unc.	2
Cauda	»	$1\frac{3}{10}$
Alae expansae	»	$10\frac{1}{2}$

Martii 31.

74. *Phoca ursina* L. (*)

(Fig. picta G.)

Phoca capite auriculato, manibus exsertis, pedibusque palmatis subtus et inter digitos nudis, vix unguiculatis.

Haec Phocae species mea opinione, simillima *Phocae ursinae*, at multo minor et in paucis differt. Gregarie victitat, mares, feminae et catuli promiscue in scopulis mari cinctis portus obscuri degunt. Timidae, hominibus appropinquantibus e scopulis sese in mare projiciunt, at seniores vulneratae vel undique obseptae ut fugere nequeant, arma oblata mordent; imo in cymbam persequentem eos, in aqua, ultro involant. Impetuosissime per longum spatium sub aqua quoque natant, ut cymba remigio sex robustorum hominum impulsa vix eas assequi queat. Vitae sunt tenacissimae; siquidem globis plumbeis pluribus locis et per caput trajectae tamen vivebant, imo securibus capite comminuto per aliquot adhuc horas gemitus edebant graves. Seniores intensissime

(*) *Otaria ursina* Péron, Cuv.

foetent. Juniorum caro sapidissima, non ex penuria sed ob bonitatem comesa a nobis. Aliae usque ad 220 libras pendebant, catuli vix 10 vel 12, illae ultra 6 vel 7 pedes longae, hi vix duos pedes cum dimidio.

Corpus subconicum a humeris ad caudam, et obconicum a humeris in caput. Pili corpus tegentes conferti, breves, molles, nigri, apice rufescenti-griseo. Sub pilis vellus molle, densum, tenerum, rufescens. Caput subglobosum, versus rostrum attenuatum ad oculos, versus corpus subito incrementum capit. Os prominens. Nares nigrae, nudae. Septum canaliculatum. Narium aperturae primum sursum ascendunt; dein ad angulum rectum in latera divaricantur. Labia mediocria. Mystaces rarae, validae, setaceae, per 5 ordines in quincuncem dispositae, atrae; posticae imprimis in senioribus, validiores, albae.

Dentes discreti, albi.

Incisores apice latiores in utraque maxilla 4,
superiores apicibus binis antico et postico 4,
inferiores simplices 4.

Canini superiores utrimque 2 validi, subconici, incurvi postice carinati; interiore minore, exteriore majore $\frac{6}{10}$ unciae longo.
inferiores utrimque 1, minor exteriore maxillae superioris, at major interiore.

Molares supra utrimque 6, validi, subconici, caninis similes, ad quorum radices utrimque sunt gemmae quasi novorum dentium
infra utrimque 5.

Omnes in maxilla superiore dentes		20
	inferiore	16
In utraque simul omnes dentes		36

Lingua papillosa, apice incisa vel emarginata. Palatum rugosum. Oculi prominuli, ampli, globosi membrana nictitante instructi in cantho interiore. Irides fuscae. Au-

riculae parvae, plicatae, erectae, rigidiusculae sublanceolatae, extus pilosae, intus glabrae.

Manus exsertae, pinniformes (non ut in plerisque Phocis intra cutem reconditae), extus usque ad ungues pilosae, reliqua et subtus nudae, atrae; figura subtrigona, infra ab apice ad corpus laciniato-undulatae. Rudimenta unguiculorum minima, lentiformia, ad apices phalangium, ante epiphyses cartilagineas sitae. Tota forma manuum moles rudis, et indistincta, at interius sub cute articulatae.

Pedes palmati, exteriore digito triplo reliquis latiore, interiore duplo latiore. Digiti omnes subaequales, supra pilosi, at inter digitos et totus pes subtus nuda. Inter digitos membrana emarginata. In digito exteriore et interiore rudimenta tantum unguiculorum; in tribus intermediis, ungues ad apicem phalangis, ante epiphysem cantilagineam, lineares, obtusi, semicylindrici.

Cauda brevis, conica, pilosa inter pedes.

Observ. Exemplar descriptum erat parvum, vix mediae magnitudinis et tantum $32\frac{1}{2}$ libras pendebat, et ex hoc mensurae; in majoribus omnia membra majora eadem proportione observata.

Mensurae:

	Phoca ursina.		Phoca jubata.	
	ped.	unc.	ped.	unc.
A naribus ad apicem medii digiti pedum	3	$9\frac{1}{2}$	6	$10\frac{1}{2}$
» » ad extremitatem caudae	3	$2\frac{1}{2}$	5	10
Cauda	»	2	»	3
Pes posticus longus, usque in apicem pollicis	»	9	1	6
Pes latus ad lacertos	»	$2\frac{2}{5}$		
» » ad extremitatem membranae palmatae	»	5		
Pes a lacertis ad initium unguis digiti medii	»	$6\frac{1}{2}$		

	Phoca ursina.		Phoca jubata.	
	ped.	unc.	ped.	unc.
Unguis digiti medii longus	»	$\frac{7}{10}$	»	1
» » » latus	»	$\frac{1}{5}$		
Manus s. pes anticus longus	1	»	1	10
» » » » latus ad insertionem armi	»	$3\frac{3}{5}$		
Manus s. pes anticus latus ab apice locum ubi primi pili crescunt	»	6		
Manus s. pes anticus longus usque ad initium unguis	»	9		
Unguiculae lentiformes longae	»	$\frac{3}{10}$		
» » latae	»	$\frac{1}{10}$		
A labio superiore ad apicem nasi sursum	»	$1\frac{3}{10}$	»	$2\frac{1}{2}$
Septum narium	»	$\frac{2}{10}$		
A labii superioris extremitate in canthum oculi anteriorem	»	$2\frac{1}{2}$		
A Cantho majore ad minorem	»	1		
A labii superioris extremitate ad radices auriculae	»	5	»	$8\frac{1}{2}$
A labii superioris extremitate ad angulum oris	»	$2\frac{3}{10}$	»	4
Auriculae longae	»	$1\frac{6}{10}$	»	$\frac{6}{10}$
Vibrissae longae	»	$3\frac{1}{2}$		
» » in alio majori specimine	»	$5\frac{1}{2}$	»	$5\frac{1}{2}$
Circumferentia capitis pone aures	1	3	2	3
» corporis ad scapulas	2	$\frac{2}{10}$	4	2
» » ad anum	»	$10\frac{1}{2}$	1	$8\frac{1}{2}$
Ab ore ad anum longitudo	3	$1\frac{2}{10}$	5	7

April 4.

75. *Falco Harpe* F. mas. (*)

(*Nomen apud Plinium occurrit.*)

The chocolate-coloured Falcon.

(Fig. picta G.)

Falco cera pedibusque coeruleis, corpore supra nigro-fusco, subtus fusco, guttis rufis; remigibus et rectricibus punctis griseis.

Corpus magnitudine circiter *Falconis gentilis*. Rostrum aduncum, emarginatum, apice fuscum, infra coerulescens. Cera emarginata coerulea pilis atris consita. Nares rotundae, septum lineare, apice clavatum, desuper in medium naris descendit. Oculi iridi orbitisque nudis coeruleis. Caput nigro-fuscum. Superciliis, linea in genis, gulaque rufis. Pectus, abdomen et crissum fusca, punctis guttatis rufis. Dorsum totum obscure seu nigro-fuscum. Femora semilanata, fusca rufo-marginata; parte interiore rufa.

Remiges 22 et tectrices supra nigro-fuscae, rachi nigra margine extimo punctis sparsis minutis griseis, at interiore fasciis pluribus albis rufescentibus. Subtus tectrices fuscae, rufo-guttatae; Remiges cinereo-fuscae, fasciis albis pluribus. Rectrices 12 sub-aequales, supra nigro-fuscae, punctis fasciatis minutis griseis, fasciis circiter 7, apice itidem griseo; Subtus pallide-fuscae, fasciis circiter 7 vel 8 griseo nebulosis. Pedes virenti-coerulei. Ungues fusci, adunci, postico reliquis longiore.

(*) *F. Novae Zeelandiae* Lath., teste Temminckio, qui icones a Forstero filio delineatas, numerisque 36. 37. 38 insignitas, in Bibliotheca Banksiana examinavit ac recognovit. (Vid. Planch. color. tab. 192. Texte.)

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudem	18	unc.
» » » in unguem digit. medii	$15\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	33	»
Rostrum in fronte	1	»
» usque ad angulum faucis	$1\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$8\frac{1}{2}$	»
» nudi	5	»
Unguis digiti medii	$\frac{5}{8}$	»
Cauda longa	$8\frac{1}{2}$	»

76. *Falco Harpe* F. fem. (*)

(Fig. picta G.)

Falco cera pedibusque flavis, corpore supra fusco, subtus albido fusco-striato; femoribus ferrugineis; remigibus rectricibusque albo transversim fasciatis.

Habitat in Aestuario Reginae Charlottae (Australis insulae Novae Zeelandiae.)

Corpus magnitudine Falconi gentili cedit. Rostrum aduncum, emarginatum, nigrum. Cera et Orbitae nudae, flavae pilis nigris. Nares rotundatae, septo ut in masculo. Caput et totum dorsum saturate fusca. Gula, pectus et abdomen albida lineis oblongis fuscis notata. Femora semilanata, ferruginea, nigro-striata. Crissum ochroleucum, striis longitudinalibus ferrugineis. Remiges 22 et tectrices supra fuscae, fasciis linearibus transversis obsolete albis. Subtus tectrices supremae ochroleucae, fusco striatae, inferiores s. secundariae fuscae, maculis subrotundis albis, remiges pallide fuscae, fasciis circiter 7 ex maculis albis marginis interioris.

Rectrices 12 subaequales, supra subtusque fuscae, fasciis linearibus transversis obsolete albis.

(*) Femina praecedentis.

Pedes flavi. Ungues adunci nigri.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	17	unc.
Alae expansae	34	»
Ab oculis ad apicem rostri	$1\frac{1}{4}$	»
Cauda longa	8	»

77. *Falco Leucaëtos* F. (*)

(Fig. picta G.)

Falco cera pedibusque flavis, corpore toto candido.

Habitat in Novae Hollandiae parte Australi, eiusque littore orientem spectante. Quum duas tantum hactenus avium species novas ex hac orbis parte viderim, allatas nave socia, quae antequam Novam Zeelandiam appelleret, primum oras Novae Hollandiae exploraverat, nolui eas ab avibus Novae Zeelandiae separare.

Corpus totum candidissimum, magnitudine Falconem gentilem excedit. Rostrum convexum, aduncum, nigrum; mandibula superior ante apicem emarginata; inferior altera triplo minor et multo brevior. Cera flava, basi pilis canis obsita. Nares subrotundae. Oculi orbitis flavis, iridibus ...? Pedes validi, flavi, Femora semilanata. Digiti fortes, Ungues magni, incurvi, atri, postico reliquis duplo longiore.

Alae complicatae paulo ultra initium rectricum protenduntur.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	20	unc.
Alae expansae	32	»
Tibiae	$3\frac{1}{4}$	»

(*) *F.* (*Astur*) *Novae Hollandiae* Lath. quem auctor ipse in itinerario (I. p. 196.) Asturem dicit, non Aquilam.

Digitus anticus medius cum ungue $2\frac{1}{2}$ Unguis digiti medii	$\frac{8}{10}$ unc.
Digitus posticus medius cum ungue $2\frac{1}{2}$ Unguis digiti postici	$1\frac{4}{10}$ »
Rostrum cum cera	1 »
Cauda	$8\frac{1}{2}$ »

Mai 30.

78. *Strix fulva* F. (*)

(Fig. picta G.)

Strix capite laevi, corpore fusco, supra maculis albidis, subtus fulvis.

Habitat in *Aestuario Reginae Charlottae* insulae Australis Novae Zeelandiae.

Corpus magnitudine passerinam aliquanto excedit. Rostrum basi coeruleo-corneum, apice nigrum. Nares pennis atris, apice setaceis, recumbentibus tectae. Oculi iride flava. Frons fusca, maculis-fulvis. Genae pallide-fulvae. Caput, collum et dorsum usque ad interscapulium fusca, pennis margine utroque fulvo; reliqua dorsi fusca, pennis maculis tribus albidis; Uropygium fuscum. Pectus et abdomen pennis fulvo marginatis. Crissum pallide fulvum.

Femora fusca maculis albidis. Pedes usque ad digitos lanati, fulvo fuscoque nebulosi. Digiti lutei, supra pilosi, pilis fuscis, subtus papillosi. Ungues nigri, basi albicantes.

Remiges supra fuscae ordinibus 6 vel 7 macularum pallidarum, (in remigum 3-5 reliquis longiorum margine exteriore *albarum*). Remigis 1 et 2 margo exterior serratus. Tectrices supra fuscae, maculis rotundis albis, Subtus

(*) *Strix Bubuk* Lath. Suppl.

fulvo fuscoque nebulosae. Remiges subtus cinereo fuscae, fasciis 6 vel 7 ex ordinibus macularum albarum. Rectrices 12, fasciis 7 apiceque pallidioribus.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	11	unc.
Alae expansae	$10\frac{1}{2}$	»
Digitus medius cum ungue	$1\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	5	»
Pedes sine femoribus	3	»

79. *Psittacus hypopolius* F. (*)

(Fig. picta G.)

Psittacus subbrachyurus, capite cano, supra olivaceus, subtus sanguineus, remigibus rectricibusque fuscis, rubro-fasciatis.

Habitat in insula utraque Novae Zeelandiae, victitat baccis et nucibus, garrulus, fistulat voce alta et clamosa, praesertim mane et vesperi. Maxime australis congenerum, quippe vivens in 46° Lat. Austr.

Corpus magnitudine circiter Corvi Coracis.

Rostrum atrum, cera retusa cinereo-coerulea. Nares rotundatae intra ceram. Lingua carnosa, obtusa. Oculi pupilla nigra, iride coeruleo-cinerea, Orbitae nudae canae. Pedes scansorii, nigri. Pileus et tempora cum regione aurium cana. Anguli oris et basis mandibulae inferioris tecta pennis setaceis recumbentibus, rubicundo-fuscis. Cera cincta pilis brevibus nigris recumbentibus. Genae pennis flavo aureis. Gula, jugulum, pectus et collare pennis plumbeis rubro marginatis, abdomen, uropygium, crissum et femora purpureo-sanguinea. Dor-

(*) *Ps. meridionalis* Lin. Gm. — *Ps. Nestor* Lath. Ind. — *Ps. australis* Shaw. — *Nestor hypopolius* Wagl.

sum, interscapulium et tectrices penultimae remigum secundariarum, olivaceae seu cinereo-virentes, marginibus pennarum fuscescentibus.

Remiges primores et secundariae cum tectricibus primorum supra e coerulescenti virentique fuscae: subtus remiges fuscae, fasciis circiter 5 ex maculis pallide rubris in margine interiore. Tectrices subtus fulvo-aureae. Rectrices: Cauda aequalis ex viridi fusca, maculis pallide rubris in margine interiore rectricum.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	18	unc.
Alae expansae	32	»
Cauda	$6\frac{1}{2}$	»
Ab angulo postico oculi ad apicem rostri	3	»
Ab angulo faucis ad apicem	$1\frac{4}{5}$	»
Pedes cum femoribus	7	»
Pedes nudi	$3\frac{1}{2}$	»

April 3.

80. *Psittacus pacificus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Psittacus macrourus viridis, fronte rubra, remigibus extimis coeruleis, fasciis utrimque duabus subalaribus flavis.

Habitat in tota insula australi Novae Zeelandiae, victitat baccis, nam in arboribus et fruticibus bacciferis plerumque obvius: praecipue in Coccoloba australi et Phytolacca completa.

Corpus magnitudine Turdi, totum laete virens.

Rostrum atrum, cera pallide coerulea. Nares in basi rostri, rotundatae. Lingua carnosa, obtusa. Oculi

(*) *Ps. pacificus* Lin. Gm. Lath. — *Ps. Novae Zeelandiae* Sparrm. Mus. Calls.

iride aurea. Frons et tempora sanguinea. Dorsum viride, Pectus abdomen et crissum viridi-flavescentia.

Remiges 18 fuscae. Externae 2-8 margine extimo coeruleae, apice fuscae. Alula et tectrices secundae 5 extimae coeruleae, apice fuscae. Alae subtus fuscae; per remigum marginem interiorem fascia ex maculais flavis, et alia concolor per marginem interiorem tectricum secundarum inferiorum. Rectrices 12, supra fusco-virides: subtus fuscae. Cauda subcuneata. Rectrix utrimque 3 et 4 apice flava. Pedes scansorii breves fusci.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	9	unc.
Ab apice rostri in unguem digiti interioris	$7\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	14	»
Rostrum longum in fronte	$\frac{3}{5}$	»
Cauda	$4\frac{1}{2}$	»
Pedes nudi	$1\frac{9}{10}$	»

81. *CALLAEAS.*

Novum Genus.

Rostrum incurvatum, fornicatum supra mandibulam inferiorem, nudum.

Nares depressae, semitectae membrana subcartilaginea.

Lingua truncata, serrata, ciliata, parallela, subcartilaginea.

Pedes ambulatorii, postice carinati.

Paleare caruncnlatum ad angulum faucis.

Callaeas cinerea F. (*)

(Fig. picta G.)

Callaeas tota nigro-cinerea, ad angulum faucis paleari orbiculato aureo.

(*) Haec avis primum e descriptione, quam Forsterus Lathamo

Habitat in utraque Novae Zeelandiae Insula, ambulat humi et per arbores et fructiceta quoque vagatur. Cantillat voce fistulari, exaestuat quoque in arboribus simul obmurmurans. Vescitur baccis, insectis, et uti mihi relatum parvis quoque aviculis. Caro ejus satis sapida.

Corpus magnitudine Corvi glandarii, totum nigro cinereum. Rostrum incurvatum, validum, fornicatum supra mandibulam inferiorem; ad frontem planiusculum, nudum atrum. Nares depressae in scrobiculo membranaceo; orificium narium erectiusculum, orbiculare, semitectum membrana semirotunda, subcartilaginea. Ad angulum faucis paleare e caruncula suborbiculari, compressa pendula, fulvo-aurea, ad insertionem macula subrotunda coerulea. Lingua truncata, parallela, triserrata, serratura media acuta, reliquis duplo longiore, margine ciliata subcartilaginea. Oculi iride nigro-coerulea. Aures amplae, patulae, pennis raris tectae.

Caput a fronte in angulum faucis, et a naribus ad oculum pennis confertis, erecitis, aterrimis, fronte emarginata.

Remiges et Rectrices nigrae. Remiges 1-3 reliquis breviores 4-18 subaequales, pro corporis mole mediocres. Rectrices 12, cauda rotundata. Pedes fissipedes, ambulatorii, macri, postice carinati, lateribus utrimque lineati atri. Ungues compressi, adunci, atri, postico reliquis longiore.

---

suppeditaverat, Synopsi avium I. 1. 364 inserta, sub nomine; *the cinereous wattle-bird* innoluit, unde Gmelinus (edit. XIII. Syst. Linn. I. p. 363.) genus novum: *Glaucopis* condidit, a colore iridis nuncupatum. Lathamus ipse deinde in Supplemento ad Synopsin I. p. 149. nomen genuinum: *Callaeas cinerea* recepit, seriores, si Vieillotum excipias omnes Gmelinum secuti sunt. Temminckius ei nonnullas species e corvino genere (rostri forma affines) junxit. Omnes Callaeam Corvis et Paradiseis adsociant.

Mensurae.

Ab apice rostri in apicem caudae	$14\frac{1}{2}$	unc.
» » » in unguem digiti medii	$15\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	$18\frac{1}{1}$	»
Rostrum in fronte longum	$1\frac{1}{4}$	»
» ad angulum faucis latum	$\frac{7}{10}$	»
» ante carunculam longum	$1\frac{1}{10}$	»
Ab apice rostri in medium oculum	$1\frac{3}{5}$	»
Paleare totum longum	1	»
» latum	$\frac{7}{10}$	»
Pedes cum femoribus	7	»
» nudi	$4\frac{1}{2}$	»
Digitus medius	$1\frac{1}{2}$	»
Unguis digiti medii	$\frac{1}{2}$	»
Rectrices	$9\frac{1}{4}$	»

Obs. I. Haec avis ob structuram rostri fornicatam ad Gallinas forte esset amandanda, verum ob reliquum habitum corporis, ob pedes macros, et figuram rostri incurvatam potius ad picas spectare videtur, et hos ordines avium connectit.

Obs. II. Nomen *Callaeas* huic generi tribuimus ob duplex *καλλαίον* vel *paleare* carunculaceum ad angulum faucis.

Apr. 4.

82. *Alcedo cyanea* F. (*)

(Fig. picta G.)

Alcedo submacroura, dorso cyaneo fusco; superciliis, torque, abdomineque luteis, rostro depresso nigro.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, victitat pi-

(*) *Alcedo sacra* Lin. Gm.

sciculis, helicibus, chamis et cancris ad littora ab aestu maris relictis; similis aliquanto A. torquatae.

Corpus magnitudine Ispidam excedit.

Rostrum subtetragonum, crassum, rectum, longum, depressum nigrum, subtus pallidum, apice subtruncatum, mandibula superiore longiore. Lingua carnosa, brevissima, spatulata plana. Oculi iride fusco-lutea. Frons fusca, pennis testaceo marginatis. Lorum pennis luteo-rufescentibus. Supercilium candidum. Vertex et occiput cyaneo-fusca. Fascia a rostro per oculos et nucham atra, et alia huic infra contermina, candido-rufescens.

Gula candida. Pectus rufescens, pennis fusco-marginatis. Dorsum virenti-fuscum. Uropygium cyaneum. Abdomen et crissum rufescentia.

Remiges 25 supra margine extimo cyaneae, interiore et apicibus nigrae. Tectrices penultimae virenti fuscae, testaceo-marginatae. Tectrices ultimae cyaneae, apice testaceae. Subtus remiges pallide fuscae, tectrices rufae. Rectrices 12 cyaneae, apice nigrae, subtus fuscae cauda rotundata. Pedes gressorii, fusci. Ungues compressi atri.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$8\frac{3}{4}$	unc.
» » » ad unguem medii digiti	8	»
Alae expansae	14	»
Rostrum in fronte longum	$1\frac{1}{2}$	»
» ad angulum faucis longum	2	»
Ab apice rostri in medium oculum	2	»
» » » ad nucham	$3\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{2}$	»
» nudi	$1\frac{1}{2}$	»
Cauda	$2\frac{5}{8}$	»

Apr. 3.

83. *Certhia cincinnata* F. (*)

Certhia tota atro-viridis nitens, pennis aliquot cincinnatis in jugulo, tectricibus penultimis alarum candidis.

Habitat ubique in Novae Zeelandiae Insulis et ab incolis appellatur *Rògho Etooee,* et quod incolae insularum maris pacifici vitreos globulos, pro collaribus usitatos *Pòhe* appellare soleant, nautae Angli hanc avem *the Pòhe bird* nominarunt, quod plumae juguli cincinnatae, quandam inaurium vel globulorum vitreorum candidorum similitudinem habeant. Avis haec plerumque gregaria est, victitat insectis et florum nectare; Capta pane et sacharo. Imitatrix, irrequieta, in arena pulveratur, in aqua se lavat, pugnax, garrula, dulce canit voce fistulari. Volatu gravi et strepero, ex arbore in arborem se proripit, aestus impatiens. Nidificat in fruticetis. Nidus ex virgultis minimis et muscis; ova ponit plerumque quatuor.

Corpus magnitudine circiter Sturni vulgaris, totum atro-cyaneum, virentique-nitens. Rostrum subarcuatum, tenue, subulatum-acutum, longum, subtrigonum, atrum. Nares depressae in foveola, amplae, subrotundatae, tectae squama cartilaginea convexa, apice emarginata. Lingua lanceolata, apice penicillo longissimo. Oculi iride fusca.

Subjugulo utrimque fasciculus plumarum, cincinnatarum nutantium elongatarum candidarum. In cervice usque ad interscapulium, plures pennae basi decompositae, rachi alba, apice ligulatae. Uropygium ex chalybeo colore nitidissimum.

Remiges 18, quarum tres primae reliquis breviores, reliquae subaequales, omnes atro-cyaneae seu ex chalybeo ni-

---

(*) *Merops novae Seelandiae* Lin. Gm. — *M. cincinnatus* Lath. Ind. orn. — *Sturnus crispicollis* Daud. — *Prosthemadera cincinnata* Gray.

tentes. Tectrices penultimae alarum apicibus candidis fasciam candidam efficientibus. Rectrices 12 nitentes, atrocyaneae; cauda rotundata. Pedes atri, elongati, macri, postice carinati. Ungues compressi subuncinati, atri, postico reliquis longiore.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	$11\frac{1}{2}$	unc.
» » in unguem digiti medii	11	»
Alae expansae	17	»
Rostrum in fronte	1	»
» ad angulum faucis	$1\frac{2}{5}$	»
A rostri apice in medium oculum	$1\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$4\frac{1}{2}$	»
» nudi in unguem digiti medii	3	»
Unguis digiti medii	$\frac{2}{5}$	»
Cauda	$4\frac{1}{2}$	»

Martii 30.

84. *Certhia olivacea* F. (*)

(Fig. picta G.)

Certhia olivacea, capite violaceo-nitenti; subtus flavescens; genis macula lineari alba.

Habitat in utraque insula Novae Zeelandiae iisdem locis cum Certhia cincinnata. Suaviter cantillat instar Currucae, at ita variata et modulata voce, ut omnes silvarum aves imitetur; unde ipsi nomen apud Anglos haesit ab imitatione, (*the Mocking-bird*). Iisdem pene moribus et victu ac Certhia cincinnata.

Corpus magnitudine circiter Turdi iliaci, vel minus, supra olivaceum, infra viridi-flavescens. Rostrum subarcuatum, tenue, subtrigonum, longum, nigrum. Nares de-

---

(*) *Certhia Sannio* Lin. Gm. *Meliphaga Sannio* n.

pressae amplae, tectae squamula cartilaginea convexa, oblonga. Oculi iride avellanea. Lingua acuta lanceolata apice penicilliformi. Genae macula lineari alba. Remiges fuscae. Quarta reliquis longior. Secundariae apice obtusae cum acumine, margine olivaceo. Rectrices 12 fuscae, margine exteriore olivaceo, cauda subfurcata. Pedes lividi, macri, postice carinati. Ungues compressi nigri, postico reliquis longiore.

Mensurae.

Ab apice rostri, ad extremam caudam .... $7\frac{1}{5}$ unc.

Alae expansae .... $9\frac{1}{2}$ »

April. 3.

85. *Columba argetraea* F. (*)

(Ab ἄργος albus et ἦτρον venter.)

(Fig. picta G.)

Columba orbitis nudis rubentibus, dorso ferrugineo, abdomine albo, rectricibus atris.

Habitat in insula Australi Novae Zeelandiae. Victitat baccis *Coriariae sarmentosae* et *Coccolobae australis*.

Corpus magnitudine C. Oenadem superat.

Rostrum rectiusculum, sanguineum, mandibula superiore apice incurva. Nares lineares obliquae, membrana turgida semitectae. Oculi orbitis nudis, rubentibus: irides sanguineae. Caput, collum, pectus, tectrices alarum, remiges secundariae, uropygium viride-sericea nitidissima. Dorsum purpureo-ferrugineum. Abdomen totum candidissimum. Remiges primores supra fusco-virides, medio cinereae, apice nigrae, subtus cinereae, apice fuscae. Tectrices subtus candidae. Rectrices supra

(*) *Columba spadicea* Lath.

atrae, subtus cinereae, apice nigrae, cauda rotundata. Pedes rubri pennis candidis semitecti. Ungues nigri.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$20\frac{1}{2}$ unc.
» » » in unguem digiti medii	$16\frac{1}{2}$ »
Alae expansae	33 »
Cauda	$8\frac{3}{4}$ »
Rostrum in fronte	$\frac{7}{10}$ »
» ad angulum faucis	$1\frac{2}{5}$ »
Pedes cum femoribus	$6\frac{1}{2}$ »
» nudi	$2\frac{1}{4}$ »
Unguis digiti medii	$\frac{1}{2}$ »

Martii 30.

86. *Sturnus curunculatus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Sturnus ore flavescente, imo faucis angulo in carunculam desinente, corpore atro, dorso, tectricibus et uropygio ferrugineis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae: voce fistulari canit.

Corpus magnitudine Sturni vulgaris, atrum; pennis dorsi, uropygii et tectricum ferrugineis.

Rostrum fere longitudine capitis, angulatum, cuneato-compressum supra planiusculum, apice obtusum, atrum, mandibulis deflexis aequalibus. Nares supra lamina marginata tectae. Lingua apice emarginato-lacera. Faucis angulus interior et exterior flavus, in imo angulo in membranam plicatam, carunculaceam desinens in adultis. Oculi iride obscure-avellanea. Aures magnae, patulae, vix plumis spar-

(*) Nomen e Synopsi avium Lathami primum innotuit, apud omnes huic avi haesit.

sis tectae, in imo capite collocatae. Frons acute emarginata.

Remiges et Rectrices nigrae, cauda rotundata. Pedes ambulatorii, fusco-nigri. Tibiae postice carinatae, sine incisuris. Ungues compressi, postico reliquis majore.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$9\frac{8}{10}$	unc.
Alae expansae	$10\frac{1}{5}$	»
Rostrum in fronte	$1\frac{5}{10}$	»
» ad nares	1	»
» pone nares	$1\frac{5}{10}$	»
» ad faucis angulum	$1\frac{6}{10}$	»
Caput cum rostro	$2\frac{6}{10}$	»
Pedes nudi	$3\frac{3}{10}$	»

Obs. Mares adulti carunculam habent majorem, feminae et pulli minorem. Mares adulti quoque sunt dorso ferrugineo et reliquo corpore aterrimo. Juniores et Feminae sunt colore nigro-fusco, et dorso olivaceo.

Mart. 27.

87. *Turdus ochrotarsus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Turdus nigricans, subtus pallide rufescens, capistro albo, plantis luteis.

Habitat in australi insula Novae Zeelandiae, victitat insectis et minutis cancellis ad littora maris, suaviter cantillat; homines non formidat, sed ubique ob insecta in ambulando inter frutices excussa et circumvolitantia sequitur, saepius manu captus vel pileo.

Corpus magnitudine circiter *Fringillae caelibis*.

Rostrum atrum, apice colore corneum. Ad basin circa

(*) *Turdus albifrons* Lin. Gm. Lath.

rictum cum ore, palato, et lingua fulva. Nares superne squamula convexa semitectae. Lingua lacero-emarginata. Faux cincta vibrissis atris. Oculi iride avellanea. Capistrum album. Caput, gula, dorsum, remiges et rectrices tota fuliginoso nigricantia. Pectus abdomen et crissum pallide rufescentia.

Remiges omnes margine exteriore fusco: at 6-15 margine interiore macula alba. Pedes fusci, plantis luteis. Ungues fusco-nigri, compressi, postico reliquis longiore.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	7 unc.
Alae expansae	12 »

Mai 3.

88. *Turdus minutus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Turdus ater, capistro rectricibusque tribus extimis albo maculatis, abdomine luteo.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae et *Turdo ochrotarso* maxime affinis est; at differt statura pumila, colore pennarum multo vividiore et maculis rectricum, quae in *T. ochrotarso* prorsus desunt. In reliquis et ratione victus, ac mansuetudine *ochrotarso* simillimus. Minimus Turdorum.

Mas. Corpus magnitudine Pari coerulei. Rostrum rectum, cultratum, atrum; mandibula superiore apice deflexa et emarginata. Nares ovatae, membranula convexa superne semitectae. Faux setis crebris ciliata. Lingua linearis, apice subemarginata, ciliata. Oculi iride brunnea. Corpus supra cum gula et jugulo atra. Capistrum (seu macula lunata in fronte), remiges (prima excepta) fascia, et rectrices tres extimae macula, alba. Pectus, abdomen et crissum lutea seu fulva.

(*) *Muscicapa multicolor* Lin. Gm. — *M. erythrogastra* Lath. — Avis adulta abdomine est coccineo.

Rectrices 12, cauda subcuneata. Rectrix extima alba, basi apiceque oblique nigromaculatis, 2da alba maculis ad basin et apicem nigris, illa majore; tertia nigra, macula magna alba ab apice ad medium, reliquae 4-6 totae nigrae. Pedes fusci, tetradactyli; tarsis ferrugineo-testaceis. Ungues fusci.

Femina a mare in pluribus differt. Ubicunque mas ater, ibi haec cinereo-virens, cauda excepta, quae atra est, et remigibus qui sunt fuscae. Capistrum non adeo candicat, sed est magis sordidum, remigum macula rufescenti alba; maculae caudales ut in mare albae. Pectus, abdomen et crissum sordide lutea. Pedes ejusdem ac in mare coloris. Rostrum fuscum, mandibula inferiore colore corneo.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$4\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	$8\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{2}$	»
» nudi	$1\frac{1}{2}$	»
Rostrum ab apice ad angulum faucis	$\frac{1}{2}$	»

Aliud hujus aviculae specimen in insula Botany ad Eurum Novae Caledoniae sita, accepi et sic descripsi: (Femina erat).

Rostrum atrum, basi trigonum, rectum, apice incurvum; Mandibula superior longior, ante apicem emarginata. Faux vibrissis patentibus cincta. Lingua cartilaginea, ensiformis, subtruncata, bifida, ciliata. Nares oblongae, squamula tectae. Oculi iride fusco-nigricante. Pedes graciles, longiusculi, fusco-nigri. Tibiae nulla incisura. (*) Ungues nigri, posticus longior. Caput et genae cinerea. Dorsum et uropygium fusco virentia. Supercilia albida (non alba). Gula, pectus et crissum alba. Abdomen, hypochondria et femora flavescentia. Alae

(*) Id est: *tarsi caligati.*

complicatae medium circiter caudae attingunt. Remiges fuscae, marginibus flavo-virentibus. Remex 4ta longissima. Alae subtus fusco-fuliginosae. Cauda cuneata. Rectrices (4 extimae quae tantum in specimine nostro aderant, reliquis sclopeto evulsis) fuscae, tertia parte ad apicem nigrae, marginibus extimis flavo-virentibus, 6ta extima utrimque macula ante apicem obliqua alba, 5-3 margine interiore ante apicem macula rotundata alba.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$3\frac{5}{8}$	unc.
» » » ad unguem digiti medii	$3\frac{3}{4}$	»
Ala expansae	9	»
Cauda	$1\frac{5}{8}$	»
Pedes cum femoribus	2	»
Rostrum ad faucis angulum	$\frac{1}{2}$	»
» in fronte	$\frac{3}{16}$	»

Apr. 4.

89. *Loxia Turdus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Loxia supra fusca, subtus maculis longitudinalibus albis, rectricibus rufis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, simillima *Turdo*, statura, colore, pedibus.

Corpus magnitudine Turdi viscivori, supra fuscum. Rostrum crassum incurvum atrum: margine faucis cincto vibrissis nigris deflexis. Nares nudae, pennis aliquot recumbentibus, et vibrisis tectae. Mandibula superior, supra inferiorem fornicata, prope apicem emarginata. Lingua elongata, lanceolata, cartilaginea, ante insertionem sagittata. Oculi iride fusca. Caput fuscum, frons maculis paucis rufis.

(*) *Turdus crassirostris* Lin. Gm. Lath. (Species obscura.)

Pectus, abdomen et **crissum** fusca, maculis longitudinalibus cuneatis, rufescenti albis. **Dorsum** et **remiges** olivaceo-fusca, harum primores rufo marginatae, **tectrices** subtus rufae. **Rectrices** ferrugineo-rufae rachi concolore. **Pedes** fusci. **Tibiae** nudae, macrae, postice carinatae (sine ulla incisura ut in Turdis). **Ungues** compressi incurvi fusci, postico reliquis longiore.

Observ. Altera varietas est pectore abdomine et crisso ferrugineo-rufis et totum corpus paululum rufescens.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$10\frac{3}{4}$	unc.
» » » in unguem digiti medii	9	»
Alae expansae	13	»
Cauda	$4\frac{3}{4}$	»
Rostrum in fronte longum	$\frac{3}{4}$	»
» ad angulum faucis	$1\frac{1}{5}$	»
Pedes cum femoribus	4	»
» nudi	$2\frac{1}{2}$	»

Mart. 27.

90. *Muscicapa Ventilabrum* F. (*)

(Fig. picta G.)

Muscicapa cauda corpore longiore, cuneata, corpore fusco, subtus luteo, palpebris gulaque albis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae. Continuo insecta venatur, volitans, cauda in ventilabri formam expansa; mansueta homines ob insecta in ambulando exturbata sequitur, ac saepe capiti vel humeris insidet; sono pipiente canit.

Corpus magnitudine circiter *Pari biarmici*; supra fuscum. **Caput** nigricans. **Rostrum** nigrum, breve, rectum subtrigonum, vibrissis crebris tectum. **Palpebrae** et **gula**

(*) *Muscicapa flabellifera* Lin. Gm. Lath.

alba. Oculi et collare nigra. Pectus, abdomen et crissum lutea. Dorsum fusco-olivaceum. Uropygium pennis apice testaceis.

Remiges nigrae, 4ta reliquis longior, prima brevissima. Secundariae apice obtusae cum acumine, margine exteriore testaceo. Tectrices penultimae apicibus rufescenti-albis, ultimae apicibus albis.

Rectrices 12 obtusae cum acumine, extimae totae candidae; 2-5 albae margine exteriore fusco: intermediae nigrae, rachi apiceque albis. Pedes atri, unguibus compressis concoloribus, postico reliquis longiore.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	$6\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	8	»
Cauda	$3\frac{1}{2}$	»

Observ. Varietas hujus Avis magis nigricans, palpebris, auribus gulaque albis, rectrices intermediae atrae, rachi nigra, reliquis nigris, rachi alba, margine interiore et apice albicante; extimae griseae fere totae: reliqua ut in M. Ventilabro. Habitat in insula *Tanna*.

Apr. 4.

91. *Muscicapa Chloris* F. (*)

(Fig. picta G.)

Muscicapa supra fusco-virens, subtus capiteque aureo-flava.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae.

Corpus magnitudine Emberizae citrinellae (vel paulo minus).

Rostrum subtrigonum, incurvum, apice paululum emarginatum. Mandibula superior cincta vibrissis patentibus, versus fauces. Nares subovatae, squamula convexa

(*) *Muscicapa ochrocephala* Lin. Gm. Lath.

semitectae. Oculi iride obscure fusca. Pileus, genae, tempora, gula pulcre flava. Dorsum, remiges, rectrices fusco-virentia. Pectus et abdomen flava. Crissum album. Remiges subtus fuscae, marginibus interioribus flavis. Rectrices virenti-flavae. Pedes fusci. Ungues concolores, compressi: postico reliquis longiore.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	$6\frac{1}{2}$	unc.
» » » ad unguem digiti medii	7	»
Alae expansae	10	»
Rostrum in fronte longum	$\frac{1}{2}$	»
» ad angulum faucis	$\frac{5}{8}$	»
Pedes cum femoribus	4	»
» nudi	$2\frac{1}{4}$	»
Cauda	3	»

Apr. 21.

92. *Motacilla longipes* F. (*)

Motacilla supra virens, subtus cinerea, superciliis albis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae.

Corpus magnitudine M. Trochili vel majus.

Rostrum rectum, subulatum, fere longitudine capitis, atrum. Frons fusca. Supercilia et macula sub oculis alba. Ex cantho oculi antico pili in semicirculum dispositi, versus angulum faucis fusci. Tempora virenti fusca; gula albida. Dorsum totum virens. Remiges 18, supra fuscae marginibus extimis virentibus; subtus fuscae, tectrices flavae. Abdomen cinereum, crisso cinereo-virenti. Rectrices brevissimae, virentes. Femora virentia. Pedes elongati, pallide fusci.

(*) *Mot. longipes* Lin. Gm. — *Sylvia longipes* Lath.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$3\frac{1}{2}$	unc.
» » » in unguem digiti medii	5	»
Alae expansae	$6\frac{1}{2}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	3	»
» nudi	2	»
Cauda	1	»

Apr. 2.

93. *Motacilla citrinella* F. (*)

(Fig. picta G.)

Motacilla cinereo-virens; pectore superciliisque albis, macula alarum, uropygio, rectricumque apicibus flavis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae.

Corpus minus M. Trochilo. Rostrum rectum, subulatum, fere longitudine capitis, atrum; basis mandibulae inferioris flavescens. Nares fere lineares. Lingua lacero-emarginata. Oculi iride subcoerulea; ad canthum anteriorem macula parva nigra. Supercilia, gula et pectus flavescenti-alba. Dorsum virescenti-flavum nigro striatum. Abdomen, crissum et uropygium flava.

Remiges fusco-nigrae, flavo marginatae, ad basin macula flava transversa. Remex ultima et penultima, apicis margine exteriore flavo. Rectrices fusco nigri, apice flavo-fasciati. Pedes longitudine dimidia corporis, flavo-grisei, infra flavi. Ungues compressi, grisei, postico reliquis majore.

(*) *Mot. α Sylvia citrina* Lin. Gm. Lath. — Gmelinum pedes pro lubitu *atros* fecisse suspicor.

94. *Parus urostigma* F. (*)

(Fig. picta G.)

Parus capite, dorso caudaque cuneata rufis; abdomine superciliisque albidis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae.

Corpus magnitudine circiter Pari atri. Rostrum rectum integerrimum, dorso compressum convexiusculum, corneum, apice fuscum, basi setis raris vix tectum. Nares oblongae, squama convexa cartilaginea semitectae. Oculi iride fusca. Caput, dorsum, uropygium, remiges secundariae rufo olivacea. Abdomen et supercilia rufescenti-alba. Cervix, genae et remiges primores cinereo-nigricantia.

Rectrices 12, cauda cuneata, extimis brevissimis; omnibus (exceptis 2bus intermediis) margine interiore macula quadrata nigra notatis. Pedes ambulatorii, tenues, fusci; ungues albidi.

Mai 21.

95. *Alauda littorea* F. (**)

(Fig. picta G.)

Alauda rectricibus extimis duabus extrorsum, gula superciliis, abdomineque albis; pectore subferrugineo.

Habitat ad littora maris in insula australi Novae Zeelandiae, victitans cancris pulicibus inter Fucos in littore ejectos viventibus. Affinis Motacillis.

Corpus magnitudine Alaudae arvensi cedit. Rostrum cylindricum, subulatum, rectum; mandibulis aequalibus, coeruleo-fuscum, infra albidum. Nares semitectae squamula fornicata. Caput et dorsum fusco-grisea. Supercilia

---

(*) *Parus Novae Zeelandiae* Lin. Gm. Lath.

(**) *Alauda Novae Zeelandiae* Lin. Gm. Lath.

a naribus pone oculos usque ducta alba; a fauce ad aures per oculos linea nigra. Genae albicantes. Gula alba. Pectus pallide-ferrugineum maculis fuscis. Abdomen album.

Remiges fuscae, griseo-marginatae. Secundariae postremae et tectrices pallide-fusco marginatae. Rectrices nigrae, duae utrimque extimae candidae, introrsum linea nigra. Intermediae duae fuscae, griseo marginatae. Pedes fusci. Ungue postico rectiusculo elongato.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	7 unc.
Alae expansae	11 »

Observ. Pleraeque Picae et Passeres in australi Novae Zeelandiae insula habent nares depressas in scrobiculo, et semitectas squamula convexa seu fornicata, cartilaginea, scil. *Callaeas cinerea*, *Certhia cincinnata* et *olivacea*, *Sturnus caruncalatus*, *Turdus ochrotarsus* et *minutus*, *Muscicapa Chloris*, *Parus urostigma* et *Alauda littorea*. Aves adeo genere discrepantes hoc eodem charactere gaudere, observatu dignissimum credo. Forte haec narium structura, avibus necessaria fuit, in silvis densissimis degentibus, quae rore et pluviis crebris semper sunt humidae, ne olfactorium organon nimia humiditate debilitaretur.

96. *Alauda.* (*)

Alauda supra subferruginea maculis fuscis, subtus albida, rectricibus supra fuscis, subtus ferrugineis.

Haec Alaudae species, est affinis Motacillis, sed ob rostrum magis cylindricum, ad Alaudas spectare videtur: at digitus posticus erat rectiusculus et vix digito longior: semper

(*) *A. Nov. Zeelandiae* Var. β Lath.; distincta sane species.

inter fructiceta latebat et celerrime cursitabat in insula vulgo longa appellata in Aestuario Reginae Charlottae.

Corpus magnitudine *A. littoreae* vel minus. Rostrum mandibulis aequalibus, cylindricum. Lingua bifida. Pedes albidi, digiti postici ungue vix digito longiore. Pileus, cervix, dorsum, uropygium, tectrices superiores alarum et rectrices pennis ferrugineis; at rachide et parva parte disci macula longitudinali fusca.

Gula, jugulum et pectus albido-fusca. Abdomen et tectrices alarum subtus albida. Hypochondria, femora, crissum ochroleuca. Linea superciliaris a naribus ad nucham alba. Remiges supra saturate fuscae, margine tectaceo-griseo, subtus cano-fuscae. Rectrices subtus ferrugineae.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri in extremitatem caudae...	7	unc.
» a rostri apice ad oculi medium..................	$\frac{1}{2}$	»
Cauda..	3	»

Apr. 7.

97. *Anas cheneros* F. (*)

(Fig. picta G.)

Anas nigro cinereoque nebulosa, alarum tectricibus albis, remigibus rectricibusque nigris, crisso ferrugineo.

Habitat in australis insulae Novae Zeelandiae *portu obscuro* (*Dusky Bay*). Semper per paria a me observata, unde suspicor eandem esse monogamam. Mas sonum streperum instar crotali edit. Difficiles accessu. Ad ostia rivulorum et aquarum dulcium semper reperta. (Nomen apud Plinium l. 10. c. 29.)

(*) *Anas variegata* Lathami (propter locum.) Fusius de Anseribus Oceani antarctici ad §. 253. dicturi sumus.

Corpus magnitudine circiter *Anatis mollissimae*: inter maximas congenerum ordinanda.

Rostrum depressiusculum, obtusum, fuscum; mandibula superiore apice incurvo. Oculi iride fusca. Caput nigrum, paululum cinereo rufoque aspersum. Jugulum et pectus nigro rufoque varium, pennis striis, confertim, transverse, cinereo-undulatis. Cervix, dorsum et abdomen nigra cinereo confertim undulata.

Remiges nigrae, secundariae viridi-nitentes, quinque ultimae extus ferrugineae. Tectrices omnes candidae. Scapulares nonnullae latere interiori cinereae. Rectrices nigrae, cauda brevis, rotundata. Uropygium nigrum. Crissum ferrugineum. Pedes fusci.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	2	ped.	2	unc.
» » » in unguem digiti medii	2	»	2$\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	4	»	4	»
Rectrices	-	»	5	»
Rostrum in fronte	-	»	2	»
Pedes nudi	-	»	6	»

Observ. Feminae in omnibus sunt similes maribus, si exceperis caput cum dimidia parte colli, quae in Feminis sunt candida.

98. *Anas leucophrys* S. (*)

(Fig. picta G.)

Anas fusca, pennis griseo marginatis, speculo anatino nigro, cincto iridibus flavis; superciliis, genis, gulaque albis, rostro nigro, pedibus fuscis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, in portu obscuro et in Aestuario Reginae Charlottae.

(*) *Anas superciliosa* Lin. Gm. Lath.

Corpus magnitudine circiter *A. Boschadis.*

Rostrum fronte rotundato-emarginatum, basi laevi, depressum apice ungue angusto, atrum. Oculi iride aureo-flava. Pedes palmati livido-fusci. Pileus, cervix, dorsum, uropygium, pectus, abdomen, crissum, remiges et rectrices fusca, pennis omnibus marginibus testaceo-griseis. Capistrum eique juncta, supercilia, genae, gula, et pars juguli alba seu ochroleuca. Linea a naribus per oculos horizontaliter ducta, et alia ab angulo faucis versus aures abrupta nigro fusca.

Remiges supra et subtus totae obscure-fuscae. Speculum viridi-smaragdino-anatinum margine antico et postico, itemque latere interiore atro-fasciato, linea antica et postica ochroleuca extima. Tectrices alarum subtus candidae. Rectrices 16 subaequales, breves, fuscae, albo marginatae.

99. *Anas malacoryncha* F. (*)

(Fig. picta G.)

Anas cinerea, pectore ferrugineo-maculato, remigibus secundariis apice albo-fasciatis, apice rostri lateribus membranaceo.

Habitat in aquis dulcibus et rivulis silvestribus insulae australis Novae Zeelandiae in portu praesertim obscuro. Constanter per paria reperta, unde eam monogamam suspicor. Sono acuto fistulat.

Corpus magnitudine fere *A. Boschadis,* totum coeruleo-cinereum.

Caput supra viride-fuscum. Rostrum deflexo-carinatum, album, apice nigrum: apicis lateribus dilatatis membrana flaccida, nigra. Mandibula superior fornicata su-

(*) *Anas malacorynchos* Lin. Gm. Lath.

pra inferiorem. Nares ovatae patulae. Oculi iride aureo-flava. Dorsum cinereo plumbeum, paullulum viridescens. Pectus cinereum, maculis sanguineo-ferrugineis aspersum. Abdomen dilutius cinereum.

Remiges cinereo-plumbeae. Secundariae 1-8 apice albo, 9-12 margine exteriore atro, reliquae cinereo-plumbeae, rachi fusca. Rectrices 14, cauda rotundata. Pedes fusci, margine digiti interioris membrana laterali instructo. Ungues obtusi, pallide-fusci.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae et unguem digiti medii	1	ped.	7	unc.
Alae expansae	2	»	$6\frac{1}{4}$	»
Rostrum in fronte	-	»	$1\frac{1}{2}$	»
» ad angulum faucis	-	»	$1\frac{9}{10}$	»
Ab apice rostri in medium oculum	-	»	$2\frac{2}{5}$	»
Pedes nudi in apicem unguis digiti medii	-	»	$4\frac{1}{2}$	»

100. *Anas atricilla* F. (*)

(Fig. picta G.)

Anas atro-virens; abdomine cinereo-fusco, fascia alarum alba.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, praesertim in portu obscuro; ad ostia rivulorum in sinubus maris vento parum expositis, locisque aestu inundatis. Gregaria a me reperta.

Corpus magnitudine circiter *A. Penelopes*.

Rostrum in fronte acute emarginatum, subgibbosum, (tuberculo ad latus utrumque emarginaturae) depressum, latiusculum, parallelum, plumbeum, apice et ungue atrum. Oculi iride aureo-flava. Caput, dorsum, gula, pe-

(*) *Anas Novae Zeelandiae* Lin. Gm. Lath.

ctus, uropygium, remiges et rectrices virenti-atra, capite praeterea purpureo-nitente. Abdomen cinereo-fuscum.

Remiges fascia in primoribus pallide seu ex-albido fusca; in secundariis alba. Subtus alae tectricibus albidis. Pedes nigro-fusci.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	1	ped.	$4\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	2	»	4	»
Rostrum in fronte	-	»	$1\frac{1}{2}$	»
» ad angulum	-	»	2	»
Pedes cum femoribus	-	»	6	»
» nudi	-	»	4	»
Cauda	-	»	$2\frac{1}{2}$	»

Observ. Femina minus virenti-atra, colore magis ad fuscum inclinante: nec in capite ejus pennae sunt purpureo-nitentes ut in mare.

NOVA HOLLANDIA.

APTENODYTES.

Avis Anser.

Rostrum rectum, laeve, compressiusculum, cultratum, mandibula superior apice incurva, longitudinaliter oblique sulcata, mandibula inferior apice truncata. Nares lineares, parvae in sulco rostri. Palatum et lingua obsita villis, retrorsum flexis. Pedes compedes, tetradactyli, palmati; digitis omnibus anticis; digitus tertius interior membrana laterali auctus. Alae pinniformes, tectae membrana, et pennis minimis instar squamarum, sine remigibus ullis.

Observ. *ἀπτηνοδύτης* ab *α* privativo et *ἵπταμαι*, unde *ἀπτὴν* volare nescius et a voce *δύνω* f. *δύσω* subeo, unde

in compositis τρωγλοδύτης, ψαμμοδύτης, et in nostra voce ἀπτηνοδύτης, quasi urinatrix avis volare nescia.

Etsi sciam iam satis superque nominum in Ornithologia esse, nec temere nova condenda esse genera; id tamen luce meridiana clarius perspectum habui, non omnes aves ad nota genera reduci posse, ideoque sobrie et raro, nec nisi coactus novum condere genus necessarium duxi, quum viderem ob peculiares characteres avem ad nullum genus antea notarum alitum redigi posse.

Alcarum familia, cum nostro *Aptenodytae* genere plura habet communia; erectam nimirum sedendi vel standi in saxis et rupibus formam; pedes pone aequilibrium positos; mandibulam inferiorem truncatam; ut taceam multa alia, quae maximam inter utrasque affinitatem evincunt. At sunt characteres plures maxime constantes, in nostro *Aptenodytarum* genere, qui eas ab *Alcis* et aliis aquaticis avibus dirimunt. Rostrum in omnibus, quas novi *Aptenodytis*, non adeo varias habet formas, ut *Alcarum* genus. Sulcus in omnibus *Aptenodytarum* rostris a fronte oblique ad marginem interiorem utrimque descendit et ante aduncum apicem mandibulae superioris desinit: in hoc sulco semper sunt nares angustae lineares positae. Verum, quam varie rostra *Alcarum* sunt sulcata, non opus est quod moneam: in *Alcis* omnibus alae habent pennas, illa quoque quam Illustris Linnaeus vocat *Alcam impennem*, tamen habet remiges ultra quatuor pollices longas. *Aptenodytae* non alas, sed potius rudimenta alarum pinniformia habent, iisque pinnarum loco pro remigio aquarum utuntur, nec in ulla huius generis remigum vestigium observavi, quum hae alae sint consitae pennis minimis, confertis, squamis simillimis. Porro hae nostrae alites omnes sunt tetradactylae, tribus digitis palmatis, et quarto breviore distincto, membranaque lateralis ad marginem interiorem digiti tertii interioris semper conspicitur.

Habent hae alites praeterea digitos pro corporis mole satis longos et validos, quibus firmiter insistunt, ideoque natura addidit in ipsa extremitate plantae, callum seu tuberculum membrana tectum scabriuscula, ut sic melius firmiusque in rupibus et glacie stare, et in loca acclivia escendere possint. *Alcae* omnes quod sciam sunt tridactylae. Pennarum structura in *Aptenodytis* quoque observatu digna et prorsus peculiaris est. Totum enim corpus est consitum pennis brevibus confertissimis. Cuilibet pennae in ima eius parte subtus adhaeret plumula laxa, mollissima: pennae rachis est compressa, plana, concava; ex eaque procedunt bifariam radii paralleli, itidem at laxe pinnati: in ipso apice pennae radii nonnisi dimidia sui parte sunt pinnati, et in extremitate abeunt in setas splendentes instar pilorum, unde omnes huius generis aves, quasi sericeo amictu relucent; siquidem hae pennae sunt confertissimae, validae, incurvae, corpori adpressae, adeo ut non tantum superficiem faciant mollissimam ac maxime laevem, verum etiam adeo compactam ut omnem aquam excludant. Quod non sine summa ratione sic natura hisce avibus proprium esse iussit; quum constanter in aqua et mari saepe tempestuoso vitam agant, et per longa spatia urinentur; ut sic victum sibi ex piscibus sub unda parare possint. Peculiare quoque huic familiae avium, dum festinant, et celeriter natant, subsultim et quasi iaculatorie ex aqua se proripere et sic demum capite primum, dein et toto corpore immergi, et undas subire; mox iterum emergi, et iterato aquam repetere subsultim.

Inter hasce aves primum locandae sunt, *Aptenodytes antarctica*, *minor* et *Chrysocome*, omnes aves nunquam antea quod sciam descriptae, nisi velis hisce annumerare *Pinguinum magellanicum crista flava* insignem apud Bougainvilleum in itinere, quem perperam *Alcam cirratam* credidi. Dein *Diomedea demersa* et *Phaëton demersus* Illustris Linnaei, utique sunt huc referendae. Quum rostra, pedes, nares, alae

et fauces villosae, prorsus sint simillima characteribus *Aptenodytae*.

Denique Amicissimus T. Pennant Armiger, optimus Britanniae nostrae naturae consultus et imprimis accuratus Ornithologus, in Act. Angl. Vol. 58. descripsit *Aptenodytem Patagonicam* et Pernetty in itinerario ad Insulas Falklandi exhibet *Aptenodytem perspicillatam*. — Omnes hae 7 vel 8 species ad nostrum *Aptenodytae* spectant genus. *Perspicillata* enim est nostra *magellanica*.

At *Alca impennis* etsi habeat alas volatui minus aptas, id tamen certissimum, hasce alas non esse pinniformes, verum habere remiges veras, etsi breves; rostrum, pedes tridactyli et plura alia criteria praeterea evincunt, hanc avem recte inter *Alcas* collocari debere, nec ullum locum obtinere posse inter *Aptenodytas*.

101. *Aptenodytes Chrysocome* F. (*)

(Fig. picta G.)

Aptenodytes crista frontali atra erecta gemina, auriculari sulphurea deflexa; pedibus flavescentibus.

Habitat in Novae Hollandiae parte australi et insulis Falklandicis. Hanc avem cum *Falcone Leucaëto*, altera navis a nobis mense Februario separata, cum in Novam Hollandiam eiusque partem maxime australem incidisset, inde secum attulit. Haec Aptenodytes scopulo insidebat, et adeo stolide secura erat, ut uno ictu baculi appetita et labefactata, facile dein capi potuerit. In navi per plures dies vixit. Quum igitur avem tantum ex pelle descripserim, facile inde patebit, descriptionem in pluribus mancam et imperfectam, necessarioque debuisse talem esse.

(*) *Apt. Chrysocome* Lin. Gm. Lath. Bougainville Voy. p. 64. 65.

Corpus magnitudine aliquanto *Alcam Tordam* excedit.

Rostrum capite brevius, rectum, oblongum, validum, compressiusculum, rufo-fuscum, mandibulis aequalibus, superiore convexiuscula, versus apicem incurva, acuminata; sulcus rectus a fronte in marginem inferiorem ductus et ante apicem desinens; inferiore obtusa. Nares lineares in sulco, vix conspicuae.

Caput magnum, oblongum; crista atra, nitens, occupans frontem et supercilia usque ad aures, sed non pileum, ex pennis angustissimis atro-nitentibus, suberectis; flava, in fronte unita, mox dividitur in binas, pone oculos usque ad nucham deflexas, ex pennis angustissimis flavo-sulphureis, apicibus hinc inde atris.

Corpus totum supra coeruleo-nigrum, subtus albo sericeum, in quibusdam in pectore macula informis nigrofusca.

Collum seu cervix et iugulum fusca.

Cauda cuneata e rectricibus laxe pinnatis atris, rigidis, setosis, quarum duae mediae longissimae, reliquae sensim ad latera decrescunt.

Alae pinniformes angulatae, trium articulorum, pennis squamas imitantibus tectae, fusco-coerulescentes, margine postico s. imo albae.

Pedes compedes, tetradactyli, palmati, flavescentes, digitis omnibus anticis, interiore s. pollice minimo, membrana cincto: digito tertio interiore, membrana laterali aucto. Talus tuberculatus, membrana scabriuscula tectus, in extremitate plantae postica. Ungues modici, rectiusculi, obtusi sphacelati.

Mensurae.

Ab apice rostri ad uropygium	23	unc.
» » » in unguem digiti medii	27	»
Alarum articulus interior	4	»
» » medius	3	»

Alarum articulus extimus	1	unc.
Rostrum longum in fronte	$2\frac{1}{4}$	»
» » ad angulum faucis	3	»
» latum	1	»
Pedes nudi	$4\frac{1}{2}$	»
Digitus medius cum ungue	3	»
Unguis medii digiti	$0\frac{7}{10}$	»

Martii 31.

101. *Aptenodytes minor* F. (*)

(Fig. picta G.)

Aptenodytes corpore supra atro coeruleo, subtus candido sericeo, pedibus albidis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae in portu obscuro, inter scopulos: pleraque quae de *Aptenodyte antarctica* sunt dicta, ea quoque in hanc minorem quadrant; id solum si exceperis, antarcticum inter glaciei insulas vivere, hanc in portu et inter scopulos vitam agere.

Corpus depressum magnitudine circiter *Anat. Querquedulae*, tectum supra pennis minutis atro-cyaneis, subtus candido sericeis.

Rostrum laeve compressum, linea obliqua a fronte in mandibulae superioris marginem interiorem ducta et ante curvaturam desinente sulcatum; apice incurvum, supra nigrum, lateribus pallide-lividum. Mandibula inferior apice truncata, albida. Nares sublineares, angustae, in sulco. Palatum, lingua et faux consita villis cylindricis, retrorsum flexis, apice acutis. Oculi iride livida.

Alae pinniformes, rectae, obliquae, pennis minimis squamarum instar consitae, supra atro-caeruleae, margine infimo albo; subtus albae.

(*) *Aptenodytes minor* Lin. Gm. Lath.

Cauda rotundata, emarginata; rectricibus 16 laxe pinnatis, rigidis, setosis, duabus intermediis reliquis brevioribus.

Pedes compedes, palmati, tetradactali, validi, supra albidi, subtus et apicibus fusco-nigris, digitis omnibus anticis, pollice distincto, remoto, membrana cincto; digito tertio interiore membrana laterali aucto.

Calcaneus tuberculatus, membrana scabriuscula tectus', in extremitate postica plantae. Ungues validi, semicylindrico-compressi, obtusi, atri.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae, ut et in unguem digiti medii	14 unc.
Rostrum longum in fronte	$1\frac{1}{4}$ »
» latum s. crassum ad basin	$\frac{2}{5}$ »
» profundum, i. e. utraque mandibula simul sumta	$\frac{7}{10}$ »
A rostri apice in medium oculum	$2\frac{1}{5}$ »
Alae expansae	11 »
Ala ipsa	$4\frac{1}{2}$ »
Diameter avis pone alas	$3\frac{4}{5}$ »
Pedes nudi in unguem digiti medii	$2\frac{4}{5}$ »
Digitus medius cum ungue	$1\frac{9}{10}$ »
Unguis digiti medii	$\frac{3}{5}$ »
Pollex cum ungue	$\frac{1}{2}$ »
Cauda circiter	$1\frac{3}{10}$ »

Incolis Novae Zeelandiae frequenter in cibum cedit, easque dum e mari ad cuniculos in montibus succedunt capiunt.

Maii 20.

103. *Pelecanus carunculatus* F.

(Fig. picta G.)

Pelecanus cauda rotundata, rostro edentulo facie atra, caruncula ad nares rubra, orbitis elevatis cyaneis.

Habitat in australi insula Novae Zeelandiae, in Aestuario Reginae Charlottae, urinatur ut congeneres. Observandum, hanc insulam 6 ad minimum quod sciam alere Pelecanos scil. ex notis *Carbonem*, *Graculum* et *Bassanum*, ex novis speciebus, eos quos nunc descripturi sumus, *carunculatum*, *Picam* et *punctatum*.

Hunc Pelecanum vidimus numerosissimum in Terra del Fuego et Statuum eiusque vicina Insula novi anni; constanter eum vidimus nidum struere in tumulis caespitosis, ortis e radicibus graminis praealti (*Dactylis glomeratae*), in quibus multa millia pullorum simul vidimus, et quidem 2 - 3 vel 4 in uno nido; ova eius sunt oblonga, viridescentia. Haec observavi diebus 1 et 2 Ianuarii anni 1775.

Corpus magnitudine *P. carbonis* vel maius. Supra, caput, cervix, dorsum, remiges et rectrices virenti-atra. Tectrices cubiti medio albae. Pone interscapulium in dorso macula utrimque alba. Gula, iugulum, pectus, abdomen et crissum candida.

Rostrum coloris cornei, edentulum, apice aduncum. Nares in rima. Facies nigra scabriuscula, pone nares papillosa, elevata, pallide rubra ante oculos. Oculi orbitis elevatis, pulcre cyaneis, iride pallide fusca.

Rectrices 12 atro-virentes rigidae.

Pedes pallide rubentes, 4dactyli, palmati: digitus exterior reliquis longior. Ungues obtusi, fusci; unguis digiti secundi crenatus margine interiore.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$28\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	48	»
Rostrum ab apice in angulum faucis	4	»
Pedes nudi	7	»

Martii 30.

104. *Pelecanus Pica* F.

(Fig. picta G.)

Pelecanus cauda rotundata, rostro edentulo, corpore nigro, subtus candido, facie flava, orbitis caeruleis.

Habitat in tota insula australi Novae Zeelandiae, victitat piscibus, supra mare secundum littora volitat, inhians praedae: scopulis arboribusque erectus insidet, urinatur, nidos in arboribus struit, ova reperimus in nidis mense Aprili; mense Maio pullos circiter 4 vel 5; ova quoque Iunio et Octobri ac Novembri e viridi-caerulescentia, magnitudine circiter ovorum anatinorum: nidi e virgultis et ramulis arborum.

Corpus magnitudine fere *Anseris domestici.*

Caput supra oculos, cervix, dorsum, remiges et rectrices nigro virentia; tectrices alarum nigro-fuscae. Gula, tempora, iugulum, pectus, abdomen et crissum candida.

Pedes tetradactyli, palmati, nigri; digitus exterior reliquis longior. Ungues obtusi, nigri. Unguis digiti secundi margine interiore crenatus.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$30\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	48	»
Rostrum ad angulum faucis	4	»
Pedes nudi	$6\frac{2}{5}$	»
Digiti quatuor palmati expansi s. lati	$5\frac{1}{2}$	»
Rectrix media	5	»

Maii 27.

105. *Pelecanus punctatus* F.

(Fig. picta G.)

Pelecanus cauda rotundata, rostro edentulo, corpore cinereo, interscapulio nigro-punctato, capite bicristato.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae in Aestuario Reginae Charlottae, urinatur, erectus stat in rupibus mari impendentibus, neque unquam, quod sciam arbores frequentat. Femina sine crista, capite et cervice cinereofuscis, reliqua ut in mare.

Corpus magnitudine media inter *P. graculum* et *P. Picam*. Rostrum tenue, subcylindricum, edentulum, apice aduncum, cinereo-corneum. Mandibula superior sulco utrimque longitudinali, laterali; inferior sulco unico gulari. Nares obscurae in rima sulci. Facies nuda papillosa, pallide flava. Facies nonnunquam viridis s. caerulescens visa nobis, oculi iride caeruleo-nigra.

Caput pileo virenti-atro; cristis binis frontali et occipitali reflexo-erectis. Cervix, gula et iugulum virente-atra; pectus et abdomen caeruleo-cinerea, ab oculo ad axillas fascia utrimque lateralis candida.

Dorsum cum interscapulio cinerea: pennis omnibus apice puncto nigro. Dorsum ab interscapulio, uropygium, crissum et femora atro-virentia; femora paucis lineis candidis sparsa.

Remiges supra cinereae, primores apice et margine exteriore nigrae. Tectrices penultimae et scapulares cinereae, apice nigro-punctatae. Remigum rachides omnes atrae. Alae subtus fusco-cinereae. Rectrices 12 rigidae, atrae. Cauda subrotundata.

Pedes tetradactyli, palmati, flavi. Digitus exterior reliquis longior. Ungues obtusi, nigri; unguis digiti secundi reliquis longior, margine interiore crenatus.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$26\frac{1}{4}$	unc.
Alae expansae	41	»
Rostrum ad angulum faucis	$3\frac{1}{4}$	»
Pedes nudi	6	»

Digiti quatuor palmati expansi	5 unc.
Rectrix media	$3\frac{3}{4}$ »

Apr. 13.

106. *Larus scopulinus* F. (*)

(Fig. pict. Hodges.)

Larus albus, dorso cano; remigibus sex primis apice nigris, punctoque terminali albo.

Habitat ad scopulos quos mare alluit, in insula australi Novae Zeelandiae, et imprimis in Portu obscuro; natat, piscatur pisces gregatim aestuaria intrantes pro generandis et pariendis ovis.

Corpus magnitudine *Columbae domesticae*. Rostrum rubrum, apice fuscum. Oculi iride flavescente.

Caput, collum, pectus, abdomen, crissum, uropygium, rectrices candida.

Dorsum ab origine interscapulii, et remiges cinereae. Sex primorum prima tota nigra, ante apicem macula et puncto terminali albis; secunda basi, macula ante apicem, punctoque terminali albis; tertia et quarta ultra medium albae, intus cinerascentes, caeterum nigrae, punctoque maiori terminali albo.

Pedes tetradactyli rubri, digito postico unguiculato ungues nigri.

Mensurae.

		Varietas
Ab apice rostri in extremitatem caudae	14 unc.	$15\frac{1}{2}$unc.
» » » in unguem digiti medii	$14\frac{1}{2}$ »	$16\frac{1}{4}$ »
Alae expansae	34 »	34 »
Rostrum ad angulum faucis	$1\frac{4}{5}$ »	$2\frac{1}{4}$ »
Pedes nudi in unguem digitii medii	$4\frac{1}{2}$ »	$4\frac{1}{2}$ »
Unguis medius	$\frac{3}{10}$ »	$\frac{5}{16}$ »

(*) *L. cirrhocephalus* Vieill., *L. poliocephalus* Temm. ptilosi hiberna; Varietas exhibet statum iuvenilem.

Observ. Varietas huius avis paulo maior, in parvula insula ad orientem Novae Caledoniae sita, gregaria.

Rostrum fusco-rubicundum, apice nigrum, compressum, cultratum, edentulum, rectum, subaduncum apice; mandibula inferior primum recta dein angulata, ac subfalcata. Rictus usque ad oculos. Lingua acuta, apice bifida, cartilaginea, triquetra. Palatum papillis reflexis acutis. Nares longae perviae lineares in medio rostri, antice latiores. Oculi iride lutescenti-fusca. Pedes fusco-rubri, tetradactyli, tribus digitis palmatis, digito postico brevissimo. Femora seminuda.

Caput, collum, pectus, abdomen, crissum, uropygium, rectrices candida.

Dorsum a cervice in uropygium et remiges tectricesque cinerea, maculis rufo-fuscis aspersa.

Remiges: prima nigra, ante apicem macula lineari alba, secunda basi, macula ante apicem, punctoque terminali albo; tertia basi et puncto terminali albis; quarta et quinta ultra medium albae, caetera nigra et puncto maiori terminali albis; reliquae omnes totae canae, macula ante apicem nigra. Alula et 3 primae ultimarum tectricum albae, reliquae tectrices ultimae canae, apice albidae. Tectrices antepenultimae canae, macula rufo-fusca ante apicem, apice margine albido. Rectrices 12, cauda subrotundata, rectricibus candidis, mediis 6-3, ante apicem fusco fasciatis.

107. *Sterna antarctica* F.

Sterna cauda forficata, corpore supra cinereo, subtus albo, macula ante poneque oculos nigra.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, in Aestuario Reginae Charlottae.

Corpus magnitudine circiter *Sternae fissipedis* vel maius. Rostrum basi rubrum, apice nigrum, subrectum, acu-

tam, compressiusculum, subangulatum, angulis antiquatis. Nares lineares, oculi iride nigro-fusca.

Caput canum, macula ante poneque oculos nigra, anterior ex pennis apice setaceis recumbentibus. Gula, genaeque candida. Pectus cinerascens; abdomen candidum. Dorsum cinereum; uropygium album. Remiges nigrae, rachi alba. Rectrices 12 cinereae, cauda forficata. Pedes palmati, rubri. Ungues nigri.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	$10\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	28	»
» complicatae caudam excedunt	$2\frac{1}{4}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$1\frac{3}{4}$	»
» in fronte	$1\frac{1}{8}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{3}{4}$	»
» nudi	$1\frac{7}{8}$	»
Digitus medius cum ungue	$\frac{7}{8}$	»

108. *Charadrius torquatula* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Charadrius fuscus, fronte collarique nigris, remigibus nigro-fuscis fascia alba, pedibus luteis.

Habitat ad ostia rivulorum et littora maris glareosa in insula australi Novae Zeelandiae in portu obscuro.

Corpus magnitudine circiter *Charadrii Alexandrini.*

Rostrum basi aurantium, apice nigrum (mandibula superiore paulo longiore), a basi ultra medium sulcatum 4 sulcis, apice teretiusculum. Nares lineares. Lingua subulata. Oculi palpebris miniatis, iris caeruleo-fusca.

Frons, genae, tempora et collare nigra. Gula et fascia diademalis alba; vertex fuscus. Pectus, abdomen, crissum candida. Dorsum cinereo-fuscum.

(*) *Ch. nigrifrons* Cuv. Temm. pl. col. 47. *Aegialitis nigrifr.* Gould.

Remiges 24, 1-9 nigro-fuscae, fascia alba ex maculis in medio tectricum; 10-16 apice albo, medioque albo fasciatae, 17-19 candidae, 20 margine exteriore albo, interiore fusco, 21-24 fuscae. Tectrices ultimae nigro-fuscae, apice albo: penultimae et scapulares cinereo-fuscae. Rectrices 12, duae intermediae seu 6ta nigro-fuscae, 5ta utrimque candida, macula in margine interiore fusca, 4ta fusca, versus apicem nigra, apice et margine exteriore candidis; 3tia et 2da fuscae, apice albo et ante apicem macula fusco-nigra, duae extimae utrimque totae candidae.

Pedes tridactyli cursorii, lutei digitis apice nigricantibus. Ungues obtusi nigri.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$7\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	$14\frac{3}{4}$	»
Rostrum ad angulum faucis	1	»
Pedes cum femoribus	3	»
» nudi	2	»
Cauda fere	$2\frac{1}{2}$	»

Apr. 4.

109. *Charadrius Glareola* F.

(Fig. pict. G.)

Charadrius fuscus, pectore abdomineque rufescentibus, remigibus fuscis 6-10 medio, 11-12 apice albis.

Habitat ad littora glareosa insulae australis Novae Zeelandiae.

Corpus magnitudine circiter *Scolopacis rusticolae.*

Rostrum teretiusculum, obtusum, atrum, a basi in medium circiter rostrum supra lineatum. Nares lineares. Oculi iride caeruleo-nigra. Frons albido-grisea. Vertex et totum corpus supra fusca, pennis margine testaceo-griseo.

Macula ante oculos cum superciliis albido-grisea. Gula alba. Pectus et abdomen rufescentia. Crissum album.

Remiges 27; prima 1-5 margine extimo nigro; 6-10 fuscae, medio margine extimo albo, apice griseo; 11-22 apice albo et griseo, omnes rachi alba; reliquae 23-27 rachi nigra. Tectrices ultimae apice albo griseoque; antepenultimae fuscae griseo-marginatae. Alula candida. Rectrices 12; extimae albae, ante apicem fusco maculatae; reliquae fuscae, margine exteriore versus apicem albo.

Pedes virenti-grisei, tridactyli, cursorii. Ungues breves obtusi nigri.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae	$10\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti	$11\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	21	»
Rostrum in fronte	1	»
» ad angulum faucis	$1\frac{1}{2}$	»
Ab apice rostri in medium oculum	$1\frac{3}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$5\frac{1}{2}$	»
» nudi	$3\frac{1}{2}$	»
Cauda	$2\frac{3}{4}$	»

Martii 23.

110. *Rallus troglodytes.*

(Fig. pict. G.)

Rallus fuscus, rufescenti-olivaceo varius, rostro pedibusque rubentibus.

Habitant in Novae Zeelandiae insula australi, imprimis in portu obscuro numerosissimae, per omnia littora maris dispersae, imo in minimis insulis a nobis sunt inventae, et quod mirum alas habent brevissimas nec unquam volare tentant, neque ob pedes fissos natare queunt, adeo ut difficile sit dictu qua ratione in omnes pervenerint insulas. In

cavitatibus sub arborum radicibus degunt, et aestu recedente ad littora maris excurrunt, cancellos et varios vermes lecturae, celerrime cursitant, gallinarum more ruspantur humum et in quisquiliis victum quaerunt, noctu et tempore pluvio misere clamant. Caro earum sapidissima, praesertim cute detracta.

Est quoque alia huius Ralli varietas, pennis atro fuscis, maculis rubris varia, in omnibus caeteris simillima; forte sexu vel aetate diversa.

Corpus magnitudine *Phasiani Galli* vel paulo minus.

Rostrum rectiusculum, parum curvatum, compressum basi crassum, apice attenuatum, fusco-rubens, dorso et apice fuscum; mandibulis aequalibus, acutis. Nares ante medium rostri basin versus, oblongae, angustae. Oculi iride sordide-lutea.

Caput supra, collum, dorsum, pectus et abdomen fusca (maris saturate s. atro-fusca seu fere nigra), luteo seu rufo varia omnibus pennis disco fusco, margine luteo seu rufo-griseo. Gula, genae et supercilia cinerea.

Alae brevissimae, fuscae. Remiges fusci; fasciis ex maculis transversis ferrugineis ad utrumque marginem notatis. Tectrices disco fusco, margine rufo-griseo. Alulae spinosae, spina semiunciali, recta, subulata, decumbente interque plumas recondita.

Crissum et hypochondria fusca, ferrugineo transversim striata.

Cauda brevis, rotundata, fusca; rectricum margine tenuissimo rufescenti griseo.

Pedes tetradactyli, fissi, fusco-rubentes; femorum pars ima pennis denudata; tibiae latae at altero latere compressiusculae. Digiti tres antici, fere tibiarum longitudine, posticus brevis. Ungues fusci obtusi; postico reliquis longiore.

111. *Haematopus unicolor.* (*)

(Fig. pict. G.)

Haematopus corpore toto nigro.

Habitat in scopulis, ad quos fluctus algas fucosque eiiciunt. Insectis marinis, cancris, testaceis victitat. Gregaria semper a me visa. Vox fistulans fere *Scolopacis arquatae,* natat et urinatur.

Corpus magnitudine parum cedit *H. Ostralego,* cui haec avis simillima, at in nostra totum nigrum, viridi nitens.

Rostrum miniatum, compressum, apice cuneatum; mandibulis subaequalibus. Nares in sulco depresso, obsoleto, lineares. Oculi palpebris nudis rubris. Iride purpurea.

Remiges subtus cinereae. Pedes tridactyli, incarnati. Digitis utrimque duobus extimis subpalmatis; ungues oblongi, obtusi.

Observ. Quum haec Haematopodis species ab Ostralego sit prorsus diversa (etsi non negaverim, me et Ostralegos paucos vidisse inter innumeros greges unicoloris); necessarium erit, Ostralego hanc differentiam specificam praefigere: Haematopus corpore nigro, abdomine, macula alarum, cauda antice, superciliisque albis.

Apr. 8.

112. *Petromyzon cirrhatus* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Petromyzon fistula in rostro quadricirrhoso, ore cirrhis quatuor.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, in portu obscuro et in Aestuario Reginae Charlottae, a nobis plus semel captus, reti pro Cancris Homa-

(*) *Haematopus niger* Cuv.

(**) *Petromyzon cirrhatus* Bl. Schn. p. 532.

ris in profundum demisso. Quum primum hocce submarinum animal examinarem, non potui non maximam similitudinem observare, quae inter hunc *Petromyzonem* nostrum et *Myxinen glutinosam* intercedit, adeo ut et dubius haererem, an non potius hoc animal vermibus intestinis et imprimis *Myxinis* esset adnumerandum, quam piscibus vel amphibiis. Verum sanguis ruber, qui in venis huius piscis circulabat, et reliqua structura, Petromyzoni simillima, nullum dubium mihi reliquere, quin hoc submarinum animal inter Amphibia nantia et imprimis inter *Petromyzones* recte riteque sit collocandum. Ante triennium et quod excurrit in gratiam amici summi et insignis naturae consulti Thomae Pennant armigeri, Petromyzonem marinum examini adcurato subieceram, et delineaveram; itaque omnes characteres huius animalis recenti memoria tenebam ideoque id statim, comparanti mihi omnia, occurrebat, eundem recte riteque ad Petromyzones referri posse: et si *Myxinae glutinosae* similis est noster Petromyzon, certe id non adeo alienum esse videtur, cum Willoughbejus et Rajus summi Zoologi *Myxinen* vocarint *Lampretam coecam* ob summam affinitatem *Myxines* cum *Petromyzonibus* et *Lampretis*.

Forsitan quoque *Myxine* iterum ad examen revocata poterit inter Petromyzones collocari.

Hic noster *Petromyzon* vivacissimus est, et maxime agilis, undique glutinosus, lacteum ichor ex poris corporis exsudat: plerumque locis maris saxosis degit, et nonnisi in fundo maris serpit, et ex piscibus praedam sibi parat; siquidem non raro firmiter adhaerens piscium fragmentis, pro esca in reti appensis, extractus est. In Aestuario Reginae Charlottae visus a nobis, ab incolis vidi assatum.

Corpus longum, teretiusculum, subtus subcarinatum, alepidotum, versus caudam cultratum, livido-cinereum.

Rostrum apertura subrotunda, depressa, antica, canali fistuloso per aliquot pollicum spatium intrante interiora cor-

poris et ad pulmones descendente; lateribus extra cinctum cirrhis quatuor conicis.

Os inferum, oblongum, contractile. Cirrhis itidem 4 subconicis cinctum; quorum duo anteriores, longiores, acutiores, teretiusculi, laterales, ab ore paululum remoti; duo posteriores breviores, obtusiores, compressi, ori proximi.

Dens solitarius, mobilis, in palato: a basi ad latera oris 2 maxillae laterales, obliquae, convergentes basi, utrimque duobus ordinibus dentium confertorum, deflexorum, subfalcatorum; ordo exterior dentium circiter 12, interior 11.

Oculi obscuri, seu puncta albida parva lateralia ab apice rostri circiter $1\frac{3}{4}$ unc. remota.

Spiracula 7 utrimque lateralia, ab apice rostri quarta circiter totius corporis parte remota: postico reliquis maiore, sensim decrescentibus reliquis antrorsum. Inde caput versus, utrimque continuata series punctorum 16 minorum antiquatorum alborum.

Pinnae pectorales et ventrales nullae.

Pinna dorsalis et analis cum cauda coalita.

Mensurae.

Longitudo totius Petromyzonis	$26\frac{1}{2}$ unc.
Spiraculum primum minimum ab apice rostri	$6\frac{1}{2}$ »
Spiracula 7 ipsa per spatium	$2\frac{1}{2}$ »

Conferantur, quae de hoc pisce disseruit clariss. Io. Müller in Actis Acad. Berol. 1838. p. 171 seq. ubi *Bdellostoma Forsteri* audit.

Apr. 7.

113. *Cyclopterus littoreus* F. (*)

Cyclopterus corpore nudo, pinnis dorsali analique a cauda distinctis, capite striis flavis.

(*) *Cyclopterus littoreus* Bl. Schn. p. 199.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae. Adhaerens scopulis, latet inter saxa in littore, iisque quasi adfixus pinnis ventralibus orbicularibus. Post *C. minutum* ap. Cl. Pallas. Spic. Zool. 7. p. 12 seq. t. III. f. 7-8. minimus inter congeneres, siquidem longus $2\frac{1}{2}$ uncias pedis Anglicani.

Caput depressum, obtusum. Rictus horizontalis, denticulis in utraque maxilla minutis. Oculi laterales, remoti, prominuli. Lineae incurvae rivosae tres flavae pone oculos descendunt in branchias. Membrana branchiostega radiis 4.

Corpus subconicum, glabrum, alepidotum, transparens, griseum, maculis obscure fuscis, brevibus, longitudinalibus notatum.

Pinna dorsalis propinqua caudae et opposita anali, a cauda distincta, radiis 4. Pinnae pectorales antice connatae, supra ventrales ascendunt, radii 4 primi validi, laxi, reliqui ultra 24 minuti, conferti. Pinnae ventrales membranaceae, unitae in orbiculum, sine radiis, conspersae papillis minutis. Anus pone aequilibrium. Pinna analis radiis 6, a cauda distincta. Cauda rotundata, radiis circiter 16.

Apr. 13.

114. *Ophidium blacodes.* (*)

(Fig. pict. G.)

Ophidium maxilla inferiore cirrho utrimque uno, dichotomo; squamis minutis rubens, pinnis dorsali analique caudali connatis, purpureis.

Habitat in mari quod alluit insulam australem Novae Zeelandiae, voracissimum, torpidum et ignavum in fundo maris saxoso iacet, et facile fuscino vel alio telo traiectum ex aqua extrahitur, unde et hoc nomen ipsi merito dare

(*) *Ophidium blacodes* Bl. Schn. p. 484.

credidi; βλακώδης, *ignavum*: inter dapes et instrumenta gulae non ultimus piscis; ab incolis Novae Zeelandiae frequenter captus et venum oblatus nobis. Et ad Caput bonae Spei reperitur idem piscis et inter sapidos ab incolis enumeratur et nomine *de Koning van Klipvischen* appellatur.

Corpus lanceolatum, teres, versus caudam cathetoplateum, squamosum, punctis longiusculis excavatis confertis aspersum, lubricum, pallide rubens, seu incarnatis maculis obsitum; ventre argenteo-vinoso. Squamae subrotundae minutae, vix nudis oculis primoque obtutu dignoscendae.

Caput plagio-plateum, supra planiusculum, declive, acutum, subquadrangulare. Maxillae dentatae, superiore paulo longiore, extractili. Os rictu magno, obliquo. Labia simplicia crassiuscula, papillosa. Lingua immobilis, oblonga, obtusa, laevis. Palatum magnum, plano-convexum, dentibus ordinatis unius ordinis, acutis, confertis, subincurvis, asperatum. Dentes in maxillis ordinati, ordinibus tribus in maxilla superiore, confertissimis: unico in inferiore. Dentes acuti, ordinum exteriorum maiores, interiorum minimi, incurvi. Oculi supremi, magni, rostro vicini, cute communi tecti, iride aurea. Nares singulae, oblongae, patulae, oculis propiores quam rostro; praeterea adsunt tuberculi subrotundi prope rostri apicem (qui forte nares anteriores). Opercula simplicia ossea cute crassa tecta, glabra, subarcuata, parte suprema acuta, membrana corpori annexa. Membrana branchiostega patens, crassa, ampla, radiis 7; ossiculis compressiusculis superioribus maioribus, inferioribus sensim decrescentibus. Cirrhi in iugulo utrimque singuli, didactyli basi elevatae seu ossiusculo insidentes, dactylis inaequalibus.

Dorsum rectum, supra rotundatum. Abdomen proprominens turgidum et latera convexiuscula. Cauda compressa. Linea lateralis suprema, dorso parallela. Anus in medio circiter corporis.

Pinna dorsi longitudinalis subaequalis, pinnae caudali unita, plicatilis, mollis, radiis ultra 150 simplicibus (caudae inclusis). Pinna ani caudali unita, aequalis, mollis, radiis ultra 110 simplicibus (caudae inclusis). Pinnae pectorales mediae, ovatae, radiis 24. Pinnae ventrales nullae. Cauda rotundata.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	4 ped.	-	unc.
Aliud specimen vidi	4 »	$6\frac{1}{2}$	»
» » » ultra	6 »	-	»
Capitis longitudo ab apice rostri in pinnam pectoralem	- »	$10\frac{1}{2}$	»
Piscis latus circa pinnas pectorales	- »	8	»
» » ad exortum pinnae ani	- »	5	»

Observ. Intestina omento valde pingui glanduloso tecta, et inter intestina 6 fuere coeca.

115. *Callionymus acanthorhynchus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Callionymus labio summo semilunato, antrorsum bispinoso.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, post tempestuosum tempus in littus eiectus.

Corpus subcylindricum, squamosum, laeve, livido-rubescens.

Caput plagio-plateum, squamosum; fronte alepidota, planiuscula, declivi. Rostrum obtusum, emarginatum. Maxilla superior paulo longior. Utraque dentibus minutis. Labium superius duplex. Superius apice semilunato, antrorsum spinis duabus. Lingua cartilaginea, lanceolato-spatulata, laevis, obtusa. Palatum papillosum, denticulatum. Oculi vicini, verticales, prominuli, membrana nictitante semiannulari. Iride argentea, rubicunda. Nares inter oculos,

(*) *Hemerocoetes acanthor.* Cuv. Val. XII. p. 311. *Callionymus monopterygius* Bl. Schn. p. 41.

minimae, orbiculares, contiguae. Opercula branchiarum squamosa, fraenata, calcari simplici. Membrana branchiostega radiis 7 sub gula, cute marginali operculorum tecta. Apertura branchialis supra subovata remota, tubulosa.

Linea lateralis recta, submedia, parallela. Anus in prima tertia parte corporis.

Pinna dorsalis unica, radiis 40 subaequalibus, aculeatis, incipiens ante anum, desinens paulo ante caudam, maculis rubris sparsis. Pinnae pectorales sub linea laterali, radiis 17 dichotomis, rubicundae. Pinnae ventrales iugulares rotundatae, radiis 6 dichotomis, rubris. Pinna analis subaequalis, radiis 37 dichotomis, rubris. Pinna caudalis emarginata, radiis 10 dichotomis, rubicunda.

Mensurae.

Longitudo piscis	$8\frac{1}{4}$	unc.
» capitis a rostro ad pinnam pectoralem	$1\frac{5}{8}$	»
Latitudo piscis ante pinnam analem	$\frac{7}{8}$	»

116. *Uranoscopus maculatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Uranoscopus maxillis nudis, dorso monopterygio, occipite bispinoso.

Habitat in australi insula Novae Zeelandiae, ex ore exhalat insignem foetorem, repertus quoque in insula Otahaiti.

Corpus oblongum plagio-plateum, planum, squamis minimis consitum, supra pallide-fuscum, maculis pallidioribus (in quibusdam albis s. argenteis), subtus candicanti-argenteum.

Caput corpore latius, subquadratum, obtusum, plagioplateum; papillis crebris, ordinatis scabrum; lacuna depressa,

(*) *Uranoscopus Forsteri* C. et V. Hist. d. poiss. Vol. III. p. 236.

glabra subquadrata, inter oculos. Rictus magnus, perpendicularis, capite angustior. Os simum; maxilla superior extractilis, subtruncata, brevior, nuda; maxilla inferior arcuata, perpendicularis, multo longior, nuda. Labium superius papilla utrimque singula, inferius margine papillis obsoletis, pluribus. Dentes in utraque maxilla, acuti, ordinati, recurvi; in palato acuti, minuti, conferti; in fauce et branchiis acuti, parvi. Lingua osseo-cartilaginea, edentula crassa, truncata, brevis. Nares extus inconspicuae, verum sub labio superiore sunt foramina s. fossulae duae, magnae, hiantes intra os, approximatae, septo cartilagineo divisae; alia duo foramina minora ad latera priorum; denique adhuc duo alia his anteriora, labio contigua; in universum tria paria foraminum. Oculi mediocres, rostro vicini, supremi, verticales, distantes, pupilla nigra; iride aurea, membrana nictitante integra.

Opercula branchialia ossea alepidota, postice scabra; pone opercula, ad utrumque capitis superiorem angulum, supra pinnas pectorales, spina singula, valida, horizontalis, apice extrorsum flexa, pollicaris. Membrana branchiostega 5-radiata, tecta a latere, sub iugulum flexa.

Anus in aequilibrio fere piscis, capiti quam caudae vicinior.

Linea lateralis infracta, primum a spinis pone opercula branchialia ad dorsum ascendens, dein dorso parallela in extremam caudam.

Pinna dorsalis unica, pone aequilibrium incipiens, paulo ante caudam desinens, radiis 18. Pinna analis ante dorsalem incipiens, paulo ante caudam desinens radiis 17. Pinnae pectorales amplae, deltoideae, apice inferiore arcuatae, supremae radiis 20. Pinnae ventrales iugulares, approximatae, sterno osseo 3tuberculato insidentes, radiis 5. Pinna caudae subaequalis, radiis 14.

Mensurae.

Longitudo totius piscis a mento in apicem caudae	22	unc.
» caudae	$3\frac{1}{2}$	»
» capitis ab apice spinae ad mentum	6	»
» a labio superiore in nucham	$3\frac{1}{2}$	»
Latitudo capitis ante pinnas pectorales	6	»
» » ad rictum oris	4	»
Pinna pectoralis longa	6	»
» » lata	6	»
» ventralis longa	3	»

Observ. Diu mecum dubius haesitavi, num his piscis cum *Uranoscopo scabro* idem esset, vel ab eo diversus: tandem omnibus auctorum descriptionibus minutim ad examen revocatis, id perspectum habui, nostrum Uranoscopum a *scabro* prorsus diversum esse. Noster enim unicam tantum habet pinnam dorsalem, mentum sine ullis cirrhis, et opercula branchialia postice tantum in duas excurrunt spinas; haec omnia aliter in *U. scabro* se habent. In eo enim dorsum est dipterygium, pinna priore spinosa; mentum seu maxilla inferior cirrhis est obsita pluribus, et filamentum praeterea longum vermiculare habet in apice; opercula branchialia denique sunt vallata in margine postico spinis quatuor vel quinque. Ut taceam, me nullum vestigium membranulae quinquelobae sub palpebris potuisse reperire in *U. maculato*; cuius Cel. M. T. Brunnich mentionem facit in *Ichthyologia Massiliensi*, et quam in *U. scabro* observavit. Itaque iam nunc differentia specifica *U. scabri* haec erit: Uranoscopus maxilla inferiore cirrhis pluribus, dorso dipterygio, occipite spinis pluribus.

117. *Gadus Bacchus* S.

(Fig. pict. G.)

Gadus dipterygius, cirrhatus, maxillis aequalibus, corpore pinnisque rubro-vinaceis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae; nunquam vel raro interdiu capti, verum nocturno tempore plures hamis captos nautae extrahebant; caro satis sapida. Nautae eos, ob nocturnum tempus, quo plerumque capiebantur, appellabant *Nightwalkers*, Noctambulos: ego vero ob insignem vinaceum ruborem corporis et pinnarum huic speciei *Bacchi* nomen dedi, quod est proprium speciei *Aselli* apud Plinium lib. 9. cap. 28. et lib. 32. cap. 53.

Corpus oblongo-lanceolatum, supra fusco-rubens, subtus vinaceo rubicundum (i. e. colore vini rubri aqua diluti) squamosum.

Caput subtrigonum, supra planiusculum, subdeclive, squamosum. Rictus magnus, horizontalis. Maxillae aequales; labia crassiuscula; maxilla inferior cirrho unico, conico, semipollicari. Dentes acuti, conferti, subreflexi. Nares rotundatae, supremae, in medio inter oculos et rostrum. Oculi magni supremi, rostro viciniores quam nuchae; pupilla nigra; iris aurea; membrana nictitans canofusca, integra. Opercula branchialia diphylla, oblonga, margine postico membranacea. Membrana branchiostega radiis 7.

Linea lateralis paululum incurva, dorso parallela.

Anus pone aequilibrium, capiti propior quam caudae.

Pinnae dorsales binae, anterior humeralis, radiis 10; posterior dorsalis et lumbaris, versus caudam elevatior et rotundata, radiis 42. Pinnae pectorales oblongae submediae, radiis 22, macula fusca ad basin utrimque. Pinnae ventrales iugulares, attenuatae in acumen, radiis 6. Pinna analis posterius elevatior rotundata, radiis 40. Pinna caudae truncata, radiis 26.

Mensurae.

Longitudo	totius piscis a rostro in extremitatem caudae	22 unc.
»	capitis	$5\frac{1}{4}$ »

Pinna ventralis	3 unc.
» caudae	2 »
Latitudo piscis circa pinnas pectorales	$4\frac{2}{3}$ »

Mart. 27.

118. *Gadus Colias* S.

(Fig. pict. G.)

Gadus monopterygius imberbis, maxillis subaequalibus, pinnae dorsalis radiis 5 primis spinosis, reliquis muticis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, in fundo maris saxoso: in Portu obscuro multo maior; in Aestuario Reginae Charlottae minor constanter hamo captus hic Gadus et quod ob nigro-coerulescentem colorem a nautis esset appellatus *the Cole Fish, G. carbonarius* (a quo tamen toto coelo differt), hunc piscem nomine Pliniano lib. 32. cap. 53. *Coliam* appellavi, ob soni similitudinem; futili quidem ratione, sed non prorsus nova inter scientiae naturalis auctores quandoque summi ingenii et acutissimi iudicii.

Piscis omnium huius maris sapidissimus; ex quo per duos ad minimum menses pransimus et coenavimus, ita tamen ut nunquam nos satias caperet; quod frequenter in reliquis accidebat piscibus, quos raro bis mensae appositos continue ferre quivimus; imo et salsamenta ex eis parata bona.

Corpus oblongo-lanceolatum conicum squamosum.

Caput et omne dorsum supra lineam lateralem coeruleo-nigricantia cum viridi quodam nitore, latera coeruleo-fusca. Abdomen coeruleo-albicans, pinnae cyaneo-nigricantes. Squamae corporis imbricatae, medio glabrae, margine striatae, apice rotundatae: branchiarum ciliatae, tenacissime adhaerentes, sparsae.

Caput subsquamosum (scil. operculis branchiarum), deltoideum declive; fronte et nucha planiusculis, inter ocu-

los depressum. Rictus obliquus, magnus; maxillae subaequales, utraeque membrana transversa fornicatae. Labia retractilia, crassa, imberbia. Dentes anteriores maiores, ordinati, distantes, conici, subreflexi; posteriores minuti, acuti, conferti. Lingua cartilaginea, glabra, parabolica; fornice labii inferioris vaginata. Nares binae, marginatae, rotundae, parvae, supremae, inter oculos et rostrum mediae. Oculi orbiculares, protuberantes, supremi. Membrana nictitans integra, margine superiore cyaneo-nigro. Pupilla nigra, iris fusca. Opercula branchialia squamosa, planiuscula, nigro maculata, triphylla, margine membranaceo aucta; lamina intermedia aculeo plano, lato, adpresso, acuminata. Membrana branchialis iugularis a latere ad iugulum flexa, semioperculata, radiis 7, ultimo obsoleto. Apertura branchialis a nucha ad iugulum, operculata, armata.

Anus medius.

Linea lateralis a nucha ad caudam, obliquo-recta, antice suprema, postice media.

Pinna dorsi a humeris ad caudae viciniam subaequalis, prope caudam nigro punctata, composita radiis 5 primis brevibus, spinosis, reliquis 25 dichotomis, communibus longioribus. Pinnae pectorales truncatae mediae radiis 20. Pinnae ventrales iugulares, attenuatae in cirrhum radiis 6. Pinna ani pinnae dorsi opposita, subaequalis, composita, radio primo spinoso brevi, reliquis 17 dichotomis, communibus, longioribus. Pinna caudae truncata, radiis 18, squamis inter radios.

Mensurae.

Longitudo	totius piscis cum cauda	20	unc.
»	capitis	6	»
»	caudae	3	»
»	pinnae pectoralis	4	»
»	» ventralis	3	»

Latitudo maxima circa pinnam pectoralem	5	unc.
» in medio pinnae analis	3	»
» a nucha ad iugulum	4	»
Diameter capitis transversus, corporis paulo maior	4	»

Maii 3.

119. *Blennius fenestratus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Blennius radiis superciliorum simplicibus, dorso tripinni, pinnis omnibus maculis fenestratis.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae inter saxa ad ostia rivulorum aquae dulcis, locis aestu maris rigatis. Blenniorum species, quas in Nova Zeelandia cepi, imprimis inter saxa latitabant, et a me sunt captae in scrobibus aqua plenis, aestu recedente; unicus *Bl. varius* hamo captus in littore saxoso; mirum, unicam insulam tot continere species huius generis. Nullus quoque dubito, quin reliqua Nova Zeelandia, plures Blenniorum species habeat, sed a me non repertas ob breve tempus, et quod tantum duos portus attigerimus.

Corpus subcatheto-plateum, lanceolatum, squamosum, obscure olivaceo-fuscum.

Caput subconicum, compressiusculum, obtusum, laeve; pinnulis utrimque duabus, prima postica in superciliis posita, rhombea, supra truncata, integra; secunda antica duplo minor, ante nares posita, cirrhiformis, apice fimbriata. Labia retractilia, crassiuscula, superiore et inferiore membranis retro revolutis. Maxillae et palatum denticulis minutis confertis. Nares utrimque binae, supra canthum anteriorem oculi. Oculi prominuli; iride fusco-virente; pupilla coeruleo-nigra, annulo aureo-cincta. Operculum branchiarum superius laeve, torosum; inferius laeve,

---

(*) *Tripterygion fenestratum* Cuv. Val. XI. p. 416.

desinens ad nucham in membranam et radios duos flexiles. Membrana branchiostega radiis 6 inferis, arcuatis, semitectis.

Linea lateralis primum summa, ab initio aperturae branchialis parallela, dein descendens circa finem pinnae secundae dorsalis, denique media recta usque in caudam.

Anus capiti vicinior quam caudae.

Pinnae omnes olivaceo-fuscae, membrana opaca, fenestrata amictae. Pinnae dorsales, prima: inaequalis triangularis, antice alta, postice declivis, radiis 4 simplicibus indivisis; macula solitaria rhombea fenestrata $\frac{3}{4}$. Secunda: radiis 10 subaequalibus simplicibus indivisis ultra membranam porrectis, maculis 3 fenestratis ovalibus $\frac{4}{5}\cdot\frac{7}{8}\cdot\frac{10}{0}$. Tertia: declivis, radiis 13 simplicibus, indivisis, maculis 2 fenestratis oblongis $\frac{4}{5}\cdot\frac{9}{10}$. Pinnae pectorales rotundatae, radiis 11 simplicibus indivisis, macula nivea opaca ad basin radii 4 et 5; macula fenestrata continua 1-6 et alia rhombea discreta in apice $\frac{6}{7}$. Pinnae ventrales radiis 2 digitatis muticis ut in Blenniis omnibus. Pinna analis radiis 24 simplicibus indivisis, maculis 12 fenestratis ovalibus ad basin $\frac{3}{4}\cdot\frac{5}{6}\cdot\frac{6}{7}\cdot\frac{8}{9}\cdot\frac{9}{10}\cdot\frac{11}{12}\cdot\frac{12}{13}\cdot\frac{14}{15}\cdot\frac{15}{16}\cdot\frac{18}{19}\cdot\frac{20}{21}\cdot\frac{21}{22}$. Pinna caudae truncata, radiis 12 dichotomis; maculis pluribus, magnis, fenestratis, subcontinuis.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum cauda	$5\frac{1}{2}$ unc.
Latitudo circa anum	$1\frac{1}{8}$ »
Caput longum a rostro in pinnam pectoralem	$1\frac{1}{4}$ »

Apr. 9.

120. *Blennius tripennis* F. (*)

Blennius pinnulis utrimque duabus palmatis, dorso subtripenni, linea laterali parallela.

(*) *Tripterygion Forsteri* Cuv. Val. XI. p. 415.

Habitat in insula australi Novae Zeelandiae, inter saxa quae maris aestu alluuntur, prope ostia rivulorum aquae dulcis.

Corpus subcatheto-plateum, lanceolatum, squamosum, obscure-fuscum; maculis rubicundis sparsis varium. Abdomen pallide rubrum; ad basin pinnae pectoralis macula semiorbicularis nigro-coerulea, aureo annulata.

Caput depressum, obtusum, laeve; pinnulis utrimque duabus palmatis vel in filamenta plurima divisis; prima antica, ante canthum oculi anteriorem posita, filamentis circiter 6; secunda postica in superciliis oculi versus nucham posita, filamentis circiter 12. Labia rectractilia, crassiuscula; superius labium membrana revoluta; inferius labium membrana separata utrimque semiorbiculata. Maxilla utraque et palatum denticulis confertis. Nares utrimque binae, ad initium superciliorum. Oculi cute communi tecti; iride obscure fusca; pupilla nigro-coerulea, annulo aureo. Operculum branchiale superius torosum; membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis supera, dorso parallela, ad pinnae dorsalis finem desinens.

Pinnae dorsales: prima radiis 3, secunda radiis 16, tertia radiis 15; omnibus simplicibus, indivisis. Pinnae pectorales rotundatae, radiis 16, superioribus dichotomis, inferioribus indivisis; fasciis ex ordinibus circiter 4 punctorum fuscorum. Pinnae ventrales didactylae, muticae. Pinna analis fusco maculata, apicibus radiorum purpureis, radiis 24 simplicibus indivisis. Pinna caudae rotundata, radiis 12 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo	totius piscis cum cauda	$4\frac{1}{4}$	unc.
»	capitis ad pinnam pectoralem	1	»

Apr. 7.

121. *Blennius littoreus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Blennius capite laevi, nudo, linea verticis alba, pinnis dorsali analique subramentaceis.

Habitat ad littora prope ostia rivulorum aquae dulcis in australi insula Novae Zeelandiae.

Corpus subcylindricum, lanceolatum, squamosum, obscure fuscum.

Caput laeve, nudum, depressum, verticis linea alba. Os obliquum, descendens. Maxilla utraque et palatum denticulis minutis confertis. Labia retractilia, inferius superiore paulo longius. Oculi propinqui ori, distantes. Operculum branchiarum torosum macula ocellata, aurea et fusca (macula fusca in omnibus, at non ocellus). Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis media, recta.

Pinna dorsalis radiis 25 spinosis, 4 communibus (flexilibus), a capite ad caudam protensa, ramentis radiorum apice rubris. Pinnae pectorales rotundatae, rubicundo-aurantiae radiis 20, puncto albo ad basin. Pinnae ventrales radiis 4 muticis. Pinna analis radiis 25 spinosis, communibus 3, ramentis apice rubris. Pinna caudae radiis circiter 18.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum cauda	$6\frac{1}{4}$ unc.
» capitis	$1\frac{1}{4}$ »

Iun. 4.

122. *Blennius varius* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Blennius corpore fusco-vario, linea laterali abrupta, dorso tripenni.

(*) *Clinus littoreus* Cuv. Val. XI. p. 389.

(**) *Tripterygion varium* Cuv. Val. XI. p. 414.

Habitat ad littora saxosa insulae australis Novae Zeelandiae, captus hamo.

Corpus subconicum, lanceolatum, squamosum, maculis minutis sparsis fuscis varium.

Caput depressum, laeve, muticum. Os obliquum descendens. Labia retractilia, crassiuscula, aequalia. Maxilla utraque et palatum denticulis confertis minutis. Nares binae utrimque, ad initium superciliorum. Oculi prominuli, cute communi tecti; iride flavescente, pupilla nigro-coerulea, annulo aureo-cincta. Operculum branchiale superius torosum. In operculis et pectore usque ad pinnas pectorales fasciae virgatae, transversae aliquot, circiter 6 vel 7. Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis supera, dorso parallela, pone initium pinnae dorsalis tertiae abrupte desinens.

Pinnae dorsales, prima: radiis 5 simplicibus, indivisis; secunda: radiis 24 iisdem; tertia: radiis 14 simplicibus, indivisis. Pinna dorsalis prima postice macula nigra in apice; secunda radiis apicibus albis et ad basin maculis aliquot rotundis, sparsis, albis. Pinnae pectorales rotundatae, radiis 16 superioribus dichotomis, inferioribus simplicibus, indivisis. Pinnae ventrales didactylae, muticae. Pinna analis radiis 26 simplicibus, indivisis; radii apicibus albis. Pinna caudae rotundata, radiis 14 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo piscis cum cauda	$4\frac{3}{4}$	unc.
» capitis ad pinnam pectoralem	1	»

Mart. 30.

123. *Scorpaena cottoides* F. (*)

(Fig. pict. G.)

(*) *Synanceia papillosa* Bl. Schn. p. 196. *Scorpaenae cirrhosae* Cuv. et Val. affinis, Hist. d. poiss. IV. p. 234.

Scorpaena capite tribus ordinibus aculeorum, linea laterali papillosa.

Habitat in mari alluente Novam Zeelandiam.

Corpus ovato-lanceolatum, catheto-plateum, squamosum, rubrum, maculis fuscis adspersum. Pinnae omnes rubicundae, praesertim apicibus, et pluribus ordinibus macularum fuscarum fasciatae; ventrales totae miniaceae, sine ullis maculis fuscis. Dorsum et caput fusco-rubrum; abdomen miniaceum.

Caput magnum, obtusum, subcatheto-plateum, squamosum, aculeatum, fronte concava. Tres ordines longitudinales aculeorum utrimque; prima series cingit frontem concavam, margine porcatam; secunda a medio oculo in superiorem extremitatem aperturae branchialis procedit; tertia denique ducta ab ore, infra oculos in medium circiter operculorum branchialium, quae habent utrimque spinam validam, divergentem, acinaciformem in margine postico, supra pinnam pectoralem. Rictus obliquus. Labia crassa. Maxillae subaequales, retractiles, denticulis confertis consitae; palatum et faux ampla, ossibus denticulatis instructa; lingua obtusa, nuda. Nares geminae, contiguae, inaequales. Oculi ampli, superi, prominuli, approximati; iride rubra; membrana nictitante integra. Membrana branchiostega gularis, radiis 7 validis.

Linea lateralis a nucha dorso propinquior, in reliqua corporis parte subparallela, papillis aspersa, supera.

Pinna dorsalis composita interrupta; radiis 12 spinosis, declinatis; communibus 11 dichotomis assurgentibus. Pinnae pectorales infimae, amplae, rotundatae, concavae, radiis 16, quorum 10 inferiores sunt simplices apice carnoso s. cirrhoso mutico, reliqui dichotomi. Pinnae ventrales thoracicae, subrotundatae, radiis 6; dichotomis 3-6, primo spinoso, secundo simplici carnoso s. cirrhoso. Pinna ana-

lis composita, radiis 3 spinosis, 5 communibus dichotomis. Pinna caudae rotundata, radiis 16 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum cauda	$12\frac{1}{2}$ unc.
» capitis cum spina operculi	4 »
Latitudo pone pinnas ventrales	$3\frac{3}{4}$ »

Observ. Haec Scorpaena maximam cum *Cotto Scorpio* habet affinitatem, unde et specificum nomen cottoides ipsi imposui; at differt tamen in pluribus, adeo ut satis superque sit distincta, et facile dignosci possit a *Cotto Scorpio* capite magis aculeato, membrana branchiostega 7 radiata et fronte concava; ut taceam colorem magis rubicundum et plura alia, scil. numerum radiorum in pinnis et squamas, quibus *Cottus Scorpius* caret.

124. *Pleuronectes Scapha* S. (*)

(Fig. pict. G.)

Pleuronectes oculis sinistris, ano dextro; dentibus acutis, maxilla inferiore longiore, linea laterali curva.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae; capta reti, rara. In pluribus similis *P. Limandae* at oculi dextri obstant, et quidam alii characteres, quo minus sit Limanda.

Corpus ovatum, valde compressum. Latus sinistrum convexiusculum, squamis imbricatis, subrotundis, ciliatis, at in linea laterali subcarinatis. Latus dextrum planum, squamis laxis. Supra fuscum, maculis obscurioribus fuscis, sparsis. Subtus album.

Caput parvum, squamosum. Rictus arcuatus, obliquus. Maxillae et labia retractilia, sub maxilla inferiore tuberculo gemino, approximato. Dentes ordinati, acutissimi, flexiles. Lingua angustata, subcylindrica, acumi-

(*) *Pleur. Scapha* Bl. Schneid. p. 163.

nata. Nares binae in foveola inter rostrum et os. Oculi binati, sinistri, approximati, rostro vicini. Membrana nictitans flavo-fusca, integra. Pupilla nigra reniformis. Iris flava. Opercula branchialia squamosa, triphylla, libera. Membrana branchiostega retroacta, 6-radiata. Apertura branchialis lateralis et iugularis, operculata.

Linea lateralis a summitate operculi et aperturae branchialis ad nucham in thorace dorso parallela superior; dein arcuata; denique recta submedia.

Anus in latere coeco thoracis, capiti vicinus, inferior.

Pinna dorsalis subarcuata longitudinalis, incipiens pone rostrum, desinens ante caudam, radiis 112 versus lumbos convergentibus et illic elevatioribus. Pinnae pectorales submediae, angustae, radiis 12. Pinnae ventrales thoracicae, contiguae, in latere coeco obsoletae, radiis 6. Pinna analis in regione lumbari acuminata, antice subrecta, postice repanda, radiis 90 in lumbos convergentibus. Pinna caudae rotundata, radiis 16.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	12 unc.
» capitis	2 »
Latitudo piscis	5 »
Pinna caudae longa	1 »

125. *Labrus coccineus* S. (*)

Labrus pinna caudali medio truncata, basi nigro-maculata, squamosa; dorsali ramentacea; capite, dorso et pinnis coccineis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, frequenter captus hamo; a nautis (Anglis) ob colorem miniatum s. coccineum *Miles* (*the Soldier*) appellatus, *Labro lunari* similis.

(*) *Labrus miles* Bl. Schneid. p. 264.

Corpus catheto-plateum, ovato-lanceolatum, squamosum, macro-lepidotum; caput et dorsum coccinea. Latera pallide rubentia, maculis rhomboidalibus coccineis. Maxillae inferiores, gula et abdomen rubro-albida; basis caudae nigra; pinnae pectorales, ventrales et analis rubicundae; dorsalis et caudae coccineae, flavo maculatae. Squamae subrotundae, striatae.

Caput catheto-plateum, declive, corpore angustius, acutum; fronte, gula, genis et labiis alepidotis. Rostrum acutum. Rictus transversus, mediocris. Labia duplicata crassa. Maxillae extractiles. Dentes ordinati, acuti, immobiles, recurvi, anteriores maiores, inde sensim utrimque decrescentes. Dentes 2 maiores a caeteris remoti, in maxilla superiore ad angulum exteriorem oris, antice positi. Lingua glabra, acuta, mobilis, apice vaginata septo transverso maxillae inferioris. Nares binae, supremae; anteriores posticis minores. Oculi supremi, postici, rotundi, mediocres; pupilla nigra, iride rubra. Membrana nictitante integra. Opercula branchialia mobilia, diphylla, squamosa, integra, postice membrana acuminata aucta. Membrana branchiostega operculata, arcuata, radiis 6. Apertura branchialis mediocris lateralis et iugularis.

Linea lateralis suprema primum dorso parallela, versus caudam declivis, denique media recta.

Anus medius patulus. Abdomen ventricosum. Latera convexa.

Pinna dorsalis a humeris ad caudam longitudinalis, composita radiis 21 subaequalibus, ramento filiformi auctis, 9 primis spinosis, reliquis communibus. Pinnae pectorales rotundatae, mediae, radiis 13. Pinnae ventrales approximatae, thoracicae, subrotundae cum acumine, paulo post pectorales sitae, radiis 6. Pinna analis subaequalis, ramentacea, radiis 13 vel 14, quorum 3 primi sunt spinosi.

Pinna caudae simplex, medio truncata, marginibus utrimque elongatis, squamosa inter bases radiorum, radiis 14.

126. *Labrus celidotus* S. (*)

Labrus cauda integra, fusco-viridis, macula laterali nigra. Pinnis inferioribus flavis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, hamo captus.

Corpus oblongo-lanceolatum, fronte dorsoque fuscis, lateribus viridibus, abdomine argenteo-albido. Pinna caudae et operculis branchialibus viridi-fuscis, macula nigra $1\frac{1}{2}$ pollicaris subrotunda, suprema lateralis, ano opposita; fasciae 3 obsoletae, fusco-nigricantes versus caudam; pinnae pectorales, ventrales et analis flavae; pinna analis maculis 2 vel 3 nigris; dorsalis pluribus sparsis. Squamae rotundae, striatae, in capite, operculis branchialibus et corpore.

Caput rostro acuto; rictu mediocri; maxillis et labiis retractilibus, longioribus; dentes in maxillis, ordinati, recurvi, acuti, immobiles, antici maiores. Nares binae, superae, posticae. Oculi mediocres; pupilla nigra; iride aurata. Membrana nictitans integra. Opercula branchialia 3phylla, lamina interiori maiori, aucta membrana acuminata. Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis supera, dorso parallela.

Anus submedius, patulus.

Pinna dorsalis solitaria, longitudinalis, subaequalis, ramentacea, ab humeris ad caudam radiis 20, primis 9 spinosis. Pinnae pectorales imae rotundatae, acuminatae, pone acumen operculi branchialis positae, radiis 12. Pinnae ventrales thoracicae, acutae, pectoralibus duplo minores, radiis 6, primo spinoso. Pinna analis ramentacea, subaequalis, radiis 13, primis 3 spinosis. Pinna caudae truncata, pectorali paulo minor, radiis 16.

(*) Bloch Syst. Ichth. ed. Schneid. p. 265.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum cauda	6	unc.
» capitis	1	»
» caudae	1	»

127. *Sciaena lineata* S. (*)

(Fig. picta G.)

Sciaena flavescenti-argentea, lineis 4 longitudinalibus fuscis, pinnis flavis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, frequenter locis saxosis, et imprimis in fretis angustis inter duos scopulos hamo captus. Piscis sapidus. A nautis *Xanthurus* (*yellow tail*) appellatus. Hunc piscem primum eundem suspicabar, quem Linnaeus *Sparum rhomboideum* appellat, donec characteres utriusque accuratius compararem et inde id colligerem, eos toto coelo diversos esse pisces: nam haec nostra *Sciaena lineata* habet caudam bifurcam, *Sparus rhomboides* integram; haec habet dentes acutos, ille obtusos; huius pinna pectoralis est mediocris rotundata cum acumine, illius angusta, magna, rhombea; huic linea lateralis recta; illi supera, dorso arcuato parallela. In nostra Sciaena pinna analis unica tantum est instructa spina, at in *Sp. rhomboideo* pinna ani habet tres spinas, quarum tertia maior. Huic pinnae dorsalis spinis 18 est instructa, illi 13. Pinnae ventrales Sciaenae nullas habent squamas laterales strictas ut *Sp. rhomb.* Os Sciaenae satis magnum quod in Sparo parvum, neque ulla macula nigra apparet inter pinnas pectorales et dorsalem in Sciaena uti in Sparo.

Corpus ovato-lanceolatum, catheto-plateum, squamosum. Caput, dorsum cum lateribus, et pinnis fusca, lineis

(*) *Cichla lineata* Bl. Schn. p. 342.

dorsi et laterum 3 argenteis. Iugulum, pectus et abdomen argenteo-albida. Squamae capitis, operculorum branchialium et corporis parvae.

Caput corpore angustius, compressiusculum; rostrum acutum; maxillae et labia extractilia, labio superiore inferiore paulo longiore, acuto. Rictus transversus, parvus. Dentes in maxillis et palato minuti, conferti, acuti. Lingua parabolica, laevis. Nares binae superae, mediae inter oculos et rostrum; anticae oblongae, marginatae, maiores; posticae rotundae, minores; regio narium depressa. Oculi orbiculati, prominuli; pupilla nigra; iris fusca. Opercula branchialia 3phylla, squamosa. Membrana branchiostega operculis tecta, radiis 6.

Linea lateralis subrecta, ab initio aperturae branchialis in caudam. Latera convexiuscula. Anus in medio inter sternum et caudam.

Pinna dorsalis composita, ab humeris ad caudam fossula recondenda, sine ramentis, radiis 54, primis 18 decrescentibus spinosis, posticis 36 magnitudine et figura praecedentium communibus. Pinnae pectorales imae, rotundatae cum acumine, prope initium aperturae branchialis, radiis 17 superioribus dichotomis, inferioribus simplicibus. Pinnae ventrales thracicae, acutae, pectoralibus paulo minores, pone pinnas pect. positae, radiis 6, primo spinoso. Pinna analis declinata, non ramentacea, in fossula recondenda, radiis 27, primo minimo spinoso. Pinna caudae forficata, radiis 30.

Mensurae.

Totus piscis cum cauda longus	24	unc.
» » latus	7	»
» » crassus	3	»
Caput longum	$5\frac{1}{2}$	»
Pinna pectoralis	$3\frac{1}{2}$	»
Cauda longa	3	»

Cauda lata	6	unc.
Spatium inter insertionem pinnae pect. et ventr.	2	»

128. *Sciaena macroptera* F. (*)

(Fig. picta G.)

Sciaena viridi-argentea, maxilla superiore longiore, radio 10mo pinnae pectoralis simplici longissimo.

Confer: *Cynaedus* cauda bifurcata; dentibus aequalibus minutis, radiis pinnarum pectoralium infimis subulatis longioribus. Gronov. Zoophyl. p. 64. n. 221. tab. 10. fig. 1.

Habitat in mari Novae Zeelandiae insulam australem alluente; captus hamo frequenter a nautis et quoque ab incolis et nobis venum oblatus.

Corpus ovatum catheto-plateum, squamosum; viridi-argenteum; a nucha ad initium aperturae branchialis est macula utrimque cuneata nigra. Squamae magnae, appressae.

Caput squamosum. Frons depresso-plana, alepidota. Labia crassa. Maxillae retractiles, denticulatae, superiore longiore. Dentes minuti, aequales. Nares binae, oculis vicinae. Oculi superi oblongi; iride viridi-argentea. Opercula branchialia squamosa, triphylla. Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis arcuata, dorso parallela, suprema, apparens.

Anus in medio inter sternum et caudam.

Pinna dorsalis in fossula recondenda, inaequalis, composita radiis 43, primis 17 spinosis, 6to reliquis longiore, posticis 26 communibus, subaequalibus. Pinnae pectorales compositae radiis 15, quorum 9 superiores aequales dichotomi; 10-15 simplices, cartilaginei; decimo longissimo

---

(*) *Cichla macroptera* Bl. Schn. p. 342. *Cheilodactylus carponemus* C. et V. Hist. nat. d. poiss. V. p. 273.

(5-pollicari). Pinnae ventrales thoracicae, acutae, paulo pone pectorales sitae, radiis 6. Pinna analis declinata, composita radiis 17, primis 3 spinosis, 14 communibus, dichotomis. Pinna caudae bifurca, radiis 30 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo piscis cum capite et cauda	$15\frac{1}{2}$ unc.
Latitudo circa pinnam analem	$5\frac{1}{2}$ »

129. *Sciaena ciliaris* S.

(Fig. pict. G.)

Sciaena coeruleo-nigra, abdomine carinato, operculo branchiali ciliato, pinnis ventralibus retro remotis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae; captus hamo.

Corpus ovatum, catheto-plateum, subtus carinatum, squamosum, caput supra, dorsum ad lineam lateralem, et omnes pinnae coeruleo-nigrae, latera coerulescentia, abdomen argenteum.

Caput breve, corpore contractius, squamosum. Rostrum acutum; rictus obliquo-transversus, parvus. Labia duplicata. Maxilla superior extractilis, antrorsum membrana fornicata supra maxillam inferiorem. Dentes minuti, obsoleti, in utraque maxilla. Lingua brevissima. Nares binae, superae, prioribus oblongis, maioribus. Oculi superi, globosi, in medio inter rostrum et aperturam branchialem positi; pupilla nigra, iris nigricante-argentea. Tubercula bina supra oculos, ciliaria. Opercula branchialia 3phylla, squamosa, foliolo superiore margine ciliato. Apertura branchialis ampla a nucha ad iugulum. Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis supera, subarcuata, dorso parallela, ab initio aperturae branchialis in caudam.

Anus pone aequilibrium, amplus, patulus.

Duo folia squamea utrimque pro recondendis pinnis dorsali et anali.

Pinna dorsalis composita, pars spinosa cum simplici parum connexa: illa anterior arcuata, radiis 16 spinosis, in fossula dorsi recondendis; haec postica declinata radiis 43 communibus, radio primo et ultimo partis spinosae duplo maior, inter duo folia squamea recondenda. Pinnae pectorales truncatae, radiis 20. Pinnae ventrales laterales, in sterno thoracicae; at multo post pinnas pectorales positae, radiis 5. Pinna analis declinata, radiis 38, quorum duo primi brevissimi spinosi, reliqui 36 communes inter duo folia squamosa recondenda. Pinna caudae carnosa, forficata, radiis circiter 30.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum capite et cauda	$9\frac{1}{4}$	unc.
Latitudo ante anum	3	»
Caput usque ad pinnam pectoralem	2	»
Pinna pectoralis longa	$1\frac{1}{2}$	»
Cauda longa	$1\frac{1}{2}$	»
» lata	$2\frac{1}{2}$	»

Excrescit ad magnitudinem circiter 30 unciarum.
Pinn. dors. 1ma rad. 16 spinos., 2da 38 communibus dichotomis. P. pect. rad. 17. P. ventr. rad. 5. P. anal. rad. 34, duo primi ex eis spinosi. P. caud. rad. 25, forficata.

130. *Perca lepidoptera* S. (*)

Perca pinnis dorsalibus unitis, cauda bifida, pinnis dorsi anique carnosis, squamosis.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae.

(*) Species a nemine, quod sciam, hucusque descripta, ad sectionem Percarum secundam (pinn. dors. solitaria, rad. membr. branch. 7, dentibus minutis confertis) pertinens, proprium forsan genus constituens, ob pinnas squamosas. L.

Corpus ovatum, catheto-plateum, squamosum; una cum pinnis rubicundum, regio subocularis cyanea; macula lumbaris tetragona nigra.

Caput breve, declive, squamosum. Rictus obliquus. Labia et maxillae extractilia, ampla; superiore retusa, fornicata supra inferiorem. Lingua glabra, mobilis, brevis, parabolica, obtusa. Dentes in maxillis et palato, minuti, conferti, acuti, recurvi, immobiles. Nares binae, subaequales, patulae, supremae, ante oculos. Oculi superi, ampli, orbiculati, prominuli; pupilla nigra, iride fulvo-aurea. Membrana nictitante integra. Opercula branchialia diphylla, squamosa; lamina exteriore minute serrata; interiore maiore supra acuminata, spinis duabus adpressis, prope acumen; supera duplo maiore. Apertura branchialis lateralis et iugularis. Membrana branchiostega patens, radiis 7.

Linea lateralis supera parallela, conspicua.

Anus paulo post aequilibrium.

Pinna dorsalis unica, composita, a basi ad medium usque carnosa, squamosa, subaequalis radiis 30; primis 10 spinosis, posticis 20 communibus. Pinnae pectorales imae, acuminatae, radiis 16 simplicibus, squamulis inter radios. Pinnae ventrales thoracicae, paulo pone pectorales, approximatae, acuminatae, radiis 6, primo spinoso. Pinna analis a basi ad medium circiter squamosa, radiis 12, primis tribus spinosis. Pinna caudae bifida, radiis 18.

Mensurae.

Longitudo totius piscis cum cauda	9	unc.
Latitudo	3	»
Caput	2	»
Cauda	$1\frac{1}{2}$	»
Pinna pectoralis	2	»
» ventralis	$1\frac{1}{2}$	»

131. *Gasterosteus punctatus* F. (*)

Gasterosteus spinis dorsalibus membrana connexis, anali solitaria, punctis lateralibus fusco-nigris.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae, hamo captus, at non in fundo, verum in media regione, locis tranquillis, prope rivulos aquae dulcis; nautis Scomber (*Mackrel*) dictus.

Corpus lanceolatum, compressum, lateribus convexiusculum, squamosum. Rostrum, frons, regio oculorum et dorsum fusco-argentea, reliquum caput, latera et abdomen candenti-argentea. Latera serie unica punctorum fusco-nigrorum maculata. Squamae capitis et corporis laxae, deciduae.

Caput parum declive, quarta parte longitudinis totius corporis. Rostrum acutum. Dentes minuti, acuti, ordinati. Lingua glabra, nigricans, cartilaginea, apice rotunda. Oculi orbiculati; pupilla nigra, iride argentea cum macula postica arcuata nigra. Membrana nictitans integra. Opercula branchialia triphylla, squamosa, interiore acuminata. Membrana branchiostega radiis 6.

Linea lateralis supera, parallela.

Anus oblongus, pone aequilibrium.

Pinna dorsalis longitudinalis, decrescens, composita radiis 50, prioribus 7 seu 8 subspinosis, reliquis brevioribus, tenerioribus, communibus. Pinnae pectorales acuminatae, radiis 20. Pinnae ventrales acuminatae, radiis 5. Pinna analis declinata, decrescens, radiis 20, primo brevissimo, spinoso. Pinna caudae bifurca, radiis 20.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	$10\frac{1}{2}$	unc.
Latitudo	3	»
Caput	$2\frac{1}{2}$	»
Pinna pectoralis	2	»

(*) *Scomber punctatus* Bl. Schn. p. 37.

Pinna ventralis	1 unc.
» caudae	2 »

132. *Scomber Dentex* S. (*)
(Fig. pict. G.)

Scomber pinnulis sex, linea laterali non carinata, maxilla inferiore longiore, superioris dentibus 6 maioribus.

Habitat in mari, insulam australem Novae Zeelandiae alluente. Captus reti. Cibus ingratus, ob nimiam ossiculorum in carne quantitatem, ideo a nautis appellatus *Pin-fish*.

Corpus lineari-lanceolatum, compressum, squamosum; dorsum fusco-argenteum, reliqua candicanti-argentea; squamae minutae, laxae.

Caput compressum, subtrigonum, squamosum, supra planum, subtus carinatum, rostro elongato. Rictus amplus, obliquus, usque ad regionem subocularem apertus. Maxilla inferior longior, rotundata. Dentes in utriusque maxillae margine, ordinati, acuti, laxi; incisores in maxilla superiore sex, validi, acuti, compressi, recurvi, subaequales. Lingua lanceolata, argentea, apice obtusa, nigricans. Nares binae, inter rostrum et oculos mediae, foramine anteriore minore, superiore; postico maiore, inferiore, oculis viciniore. Oculi ampli, supremi, plani, medii inter rostrum et aperturam branchialem: pupilla ampla, nigra; iride argentea. Opercula branchialia triphylla, squamosa. Membrana branchiostega radiis 7.

Linea lateralis ab angulo aperturae branchialis ad aequilibrium supera, recta, parallela, inde oblique arcuata, denique usque ad caudam media undulata.

Anus posticus, pone aequilibrium.

Pinna dorsalis composita; prima sensim decrescens, radiis 20 s. 23, spinosis, in fossula profunde recondenda; secunda subfalcata, radiis 14 muticis, dichotomis. Pinnu-

(*) *Scomber dentatus* Bl. Schneid. p. 24.

lae spuriae inter pinnam dorsalem et caudam 6, horsum vorsum alternatim obliquae. Pinnae pectorales acutae, angustae, imae, radiis 15, dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, acutae, radiis 6, dichotomis. Pinna analis secundae dorsali opposita, subtrigona, radiis 14, dichotomis. Pinnulae spuriae inter pinnam analem et caudam 6, horsum vorsum alternatim, obliquae. Pinna caudae forficata, radiis circiter 24.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	21 unc.
» capitis	$4\frac{1}{4}$ »
Latitudo piscis	$2\frac{3}{4}$ »

133. *Esox alepidotus* S.

(Fig. pict. G.)

Esox alepidotus, dorso monopterygio, maxillis subaequalibus.

Habitat in lacubus aquae dulcis et rivulis insulae australis Novae Zeelandiae; hamo captus. Sapidus et a nautis vocatus *Trutta* (*the Trout*).

Corpus lanceolatum, catheto-plateum, triquetrum, alepidotum, glabrum; supra fuscum, maculis litteratis, sparsis, flavo-aureis; subtus abdomen flavescens.

Caput triquetrum, plagio-plateum. Rostrum breve, planum, plagio-plateum. Rictus obliquus, amplus. Labia simplicia. Maxillae subaequales, superiore fornicata supra inferiorem. Dentes immobiles, minuti, acuti, conferti in maxillis. Lingua oblonga, crassiuscula, cartilaginea, dentibus ordinatis, acutis, recurvis; anteriores maiores quam in maxillis. Palatum ordinibus 2^{bus} dentium. Nares binae, superae, foramine anteriore ad marginem rostri. Oculi superi, in antica capitis parte, pupilla nigra, iris fusca, aureo-annulata. Membrana nictitans integra. Opercula

branchialia diphylla, alepidota; apertura branchialis ampla. Membrana branchiostega falcata, patens, radiis 9 vel 10.

Linea lateralis submedia, recta, punctata.

Anus oblongus, patulus, caudae vicinus.

Pinna dorsalis lumbaris, subquadrata, subaequalis, radiis 11 dichotomis. Pinnae pectorales imae, rotundatae, radiis 14. Pinnae ventrales subrotundae, abdominales, in aequilibrio circiter corporis, radiis 7. Pinna analis subarcuata, dorsali opposita, eaque paulo maior, radiis 16. Pinna caudae truncata, radiis 20.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	9	unc.
Latitudo	2	»
Crassities in dorso	$1\frac{1}{4}$	»
Longitudo capitis	$2\frac{1}{2}$	»
A rostro in medium oculum	1	»
Pinnae caudae	$1\frac{1}{2}$	»
» pectorales et ventrales	$1\frac{1}{2}$	»

134. *Esox Saurus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Esox maxillis subulatis, subaequalibus; pinnulis spuriis pone pinnam dorsalem analemque.

Rondelet p. 232. *Saurus* s. *Lacertus*.

Gesn. p. 9. *Acus altera minor*.

Bellon. *Acus altera minor*.

Willoughby pisc. hist. p. 232. c. 15. et 16. tab. P. fig. 2. Figura mala.

Pennant *Iter Scoticum*. 2[da] edit. p. 298. tab. 17. fig. 2. Figura vix bona.

(*) Syst. Ichth. Bl. Schneid. p. 394.

Habitat in mari alluente Novam Zeelandiam; semper post tempestuosum tempus a mari in littus eiectus repertus. Pennantius observat in Aestuario Bodotriae (*Firth of Forth*) plures pisces huius generis post procellam in littora eiectos repertos fuisse mense Novembri anni 1770. At Rondeletius eos enumerat inter raros pisces maris mediterranei. Bellonius vero refert magnam ex hoc pisce piscaturam circa insulam Lissam fieri: eosque solitos exportari.

Corpus lineari-lanceolatum, catheto-plateum, squamosum; dorso atro-coeruleum, latere, abdomineque argenteis. Squamis minutis.

Caput subquadratum, acuminatum; rostro subulato; maxilla inferiore paulo longiore. Dentes minuti, acuti, conferti in utraque maxilla. Nares amplae, patulae, superae, oculis vicinae. Oculi ampli, superi; pupilla nigra, iride argentea. Membrana branchiostega radiis 12.

Linea lateralis infima, abdomini parallela.

Anus pone aequilibrium.

Pinna dorsalis simplex, parva, subtrigona, ex opposito pinnae ani vel potius pone illam sita, radiis 11. Pinnulae spuriae inter pinnam dorsi et caudam 5, nigrae, oblongae, horsum vorsum obliquae, apice subradiatae. Pinnae pectorales parvae, oblongae, hyalinae pone opercula branchialia, radiis 13. Pinnae ventrales imae, pone aequilibrium positae, minimae, hyalinae, radiis 6. Pinna analis parva, paulo ante dorsalem posita, radiis 12. Pinnulae spuriae inter pinnam analem et caudam 7, albae, oblongae, horsum vorsum obliquae, apice subradiatae. Pinna caudae bifurca, viridi-coerulea, punctis transversis nigris striata, radiis 14.

Mensurae.

Longitudo piscis	12 unc.
Latitudo eiusdem	1 »

135. *Mugil Albula* F. (*)

(Fig. picta G.)

Mugil pinnis ventralibus connatis, radiis branchiostegis 5.

Habitat in mari alluente insulam australem Novae Zeelandiae: subit rivos aquae dulcis, gregaria mense Aprili, hamo et etiam reti capta.

Heic observandum, non omnes Mugilis species habere radios 7 branchiostegos, nam Brownius in Iamaicensi Albula tantum 4 enumerat, et haec nostra constanter 5 habet; pinna prima dorsalis in omnibus speciebus 4-radiata. Nam Brunnichius recenter in omnibus a se Massiliae examinatis speciminibus *M. Cephali* non nisi 4 radios reperit. Brunnich. Ichthyol. Mass. p. 81. Nec video, denticulum inflexum supra sinum oris in Cephalo observatum, in reliquis reperiri. Summus Linnaeus et Gouan genericum characterem ex Cephalo decerpsere, ideoque hos characteres pluribus communes credidere, at id naturae non satis respondet.

Nostra species simillima Albulae a Brownio hist. Iam. p. 450. descriptae, ut dubitarem, num non sit eadem; at quod opus Catesbaei hic non sit ad manus, non potui figuram ab eo delineatam et descriptionem eius cum nostro Mugile comparare. Ne vero prorsus supervacaneum opus me fecisse appareat, descriptionem huius piscis Novae Zeelandiae dabo adeo plenam, ut inde facile futuri naturae consulti iudicium facere poterint, an idem sit cum Albula, nec ne. Interim non dubitavi eum Albulam vocare, facile corrigendo errore, si ab illo diversus fuerit.

Corpus lanceolatum, subcatheto-plateum, squamosum, glabrum; dorsum coerulescente-fuscum, reliqua candicanti-argentea. Pinna secunda dorsalis et analis apice macula fusca notatae, pectorales fuscae, cauda luteo-fusca, reliquae hya-

(*) *Mugil Forsteri* Cuv. Val. XI. p. 141. edit. in 8vo.

linae. Squamae mediocres, imbricatae, cartilagineae, basi truncatae, striataeque, facillime deciduae.

Caput subconicum, depressiusculum, obtusum, vix declive, squamosum. Rictus parvus, subobliquus. Labia exigua, membranacea. Maxillae denticulatae, superior paulo longior, inferiorem intus subcarinatam recipiens. Dentes vix conspicui, minutissimi, conferti (dens supra sinum oris nullus). Lingua brevis, adnata, ovata, dentibus minutis consita. Palatum scabrum. Nares binae, ovatae, mediae inter rostrum et oculum, posteriores maiores. Oculi laterales, superi, subrotundi, rostro vicini, iride aureo-argentea. Opercula branchialia ossea, squamosa, subtriphylla. Membrana branchiostega tenuis, radiis 5.

Dorsum subrectum, crassiusculum; latera convexiuscula; abdomen planum. Linea lateralis paulo supra medium posita, dorso parallela, obsoleta. Anus pone medium trunci.

Pinnae dorsales, prima in aequilibrio posita, declinata, perpendicularis, hyalina, radiis 4 spinosis, seu potius aculeatis; secunda remota, anali opposita et quoad figuram similis, declinata, radiis 10 muticis, dichotomis. Pinnae pectorales lanceolatae, breves, mediae, radiis 14. Pinnae ventrales in apice sterni, ante aequilibrium positae, ovatae, mediocres, margine postico s. interiore abdomini adnatae, connataeque, hyalinae, radiis 6, primo aculeato, reliquis muticis, dichotomis. Pinna analis posticae dorsali opposita, brevis, declinata, hyalina, radiis 13, primis 3 aculeatis, reliquis muticis, dichotomis. Pinna caudae bifida, mediocris, radiis 15 seu 16.

Mensurae.

Longitudo totius piscis ab apice rostri ad apicem caudae	$8\frac{1}{2}$	unc.
Longitudo capitis	$1\frac{3}{4}$	»
Latitudo piscsis ad pinnas ventrales	$1\frac{3}{4}$	»

136. *Sciaena Trutta* S. (*)

(Fig. pict. G.)

Sciaena argentea, maculis rubro-auratis, maxilla inferiore longiore, operculo branchiali scabro. (*Kāhāvāi* incolis).

Habitat in mari alluente Fretum Cookii et intrante Aestuarium Reginae Charlottae, hamo capta. Inter mensae delicias numeratur, sapore aliquatenus ad genus Salmonum accedens, unde et a nautis *Salmunculus* (*Salmon-Peel*) appellatur, et ipse ob maculas et saporem hunc piscem *Truttam* vocavi, nomine specifico. Multa quidem suadebant ut piscem inter Mugiles ordinarem, verum collectis omnibus eius characteribus, imprimis pinnae ventralis situ, fossula squamosa, foliosa, pro recondendis pinnis dorsi et ani, capite et operculis squamosis, membrana branchiostega 7-radiata, tandem eundem Sciaenis annumerandum non haesitavi.

Corpus lanceolato-oblongum, catheto-plateum, squamosum, argenteum; dorso coerulescente et fasciis pallide cyaneis, undulatis, obsoletis, usque in medium latus descendentibus, in et infra lineam lateralem maculis ovatis, rubicundo-auratis, pluribus, sparsis. Squamae subrotundae, amplae, facile deciduae.

Caput supra convexum, compressum, obtusum, squamosum. Rictus obliquus; labium superius extractile, hoc inferiore membrana fornicata; maxilla inferiore longiore. Dentes minuti, conferti, in utraque maxilla et in antica parte palati. Lingua mediocris, parabolica, carnosa. Nares geminae, superae, ovatae, prope apicem rostri pene contiguae. Oculi superi, antici, plani; pupilla nigra, iris aurea. Opercula branchialia 5phylla, squamosa. Apertura branchialis arcuata a nucha ad iugulum. Membrana branchiostega radiis 7, tectis.

(*) *Sciaena Trutta* Bl. Schn. p. 542. *Perca Trutta* C. et V. Hist. nat. d. poiss. II. p. 39. edit. in 4to.

Dorsum, latera et abdomen convexiuscula. Anus parvus, posticus.

Linea lateralis subrecta s. obsolete-undulata, supera, ab angulo aperturae branchialis ad mediam caudam.

Anus pone aequilibrium inter sternum et caudam circiter medius.

Pinna dorsalis composita; antica arcuata, radiis 9 spinosis; postica subaequalis, declivis, radiis 18 muticis, dichotomis, in fossula inter duo folia squamosa utraque recondenda, radio postremo elongato. Pinnae pectorales acutae, subpetiolatae, radiis 16 muticis, dichotomis; sub pinnis pectoralibus est fossula nigra, squamis strictis, longis, adpressis, supra infraque tecta. Pinnae ventrales thoracicae, paulo pone pectorales positae, triangulares, cum squamis strictis longis; radiis 6, primo spinoso, reliquis 5 dichotomis. Pinna analis composita, postica decrescens, radiis 12, primis 3 spinosis, reliquis 9 muticis dichotomis, in fossula inter duo folia squamosa recondenda, radio postremo elongato. Pinna caudae bifurca, radiis circiter 20 dichotomis.

137. *Procellaria Gavia* S. (*)

Procellaria supra coerulescenti-nigra, subtus candida, palato et lingua villis deflexis, pedibus pallide-fuscis.

Habitat ad Aestuarium Reginae Charlottae, gregaria, urinatur, in scopulis nidificat, unde et *Gaviam* dixi, quia huius nominis avis ap. Plin. lib. 10. cap. 48. in petris nidos habet.

Corpus magnitudine circiter *Proc. vittatae*.

Rostrum subcylindricum, coeruleo-nigrum. Mandibula superior longior, apice adunco compressiusculo; inferior apice truncato, compresso. Palatum consitum villis cylindricis, deflexis, apice acutis. Lingua mandibulis dimidio brevior, acuminata, lateribus villis deflexis, acutis ciliata. Nares bitubulosae, in basi rostri; aperturae oblique

(*) Inter *P. albae* Lath. varietates latens.

truncatae, ovatae, septo distinctae. Oculi iride-nigra. Pedes compedes natatorii. Tibiae compressae, albo-fuscae, postice carinatae, nigrae. Digiti tres, palmati. Margo digiti interioris membrana longitudinali instructus. Ungues nigri; unguis posticus, brevissimus, sessilis, loco digiti postici.

Pileus, cervix, dorsum, uropygium, femora, cauda et alae supra coerulescenti-nigra.

Gula, iugulum, pectus, abdomen, crissum cuneatum longitudine rectricum et tectrices alae subtus, candida.

Remiges primores 10, secundariae 26, subtus fuscae.

Rectrices 12. Cauda subcuneata.

Mensurae.

Alae expansae	26 unc.
Rostrum in fronte	1½ »
» ad angulum faucis	2 »
Tibiae	1¾ »
Ab ungue postico ad apicem digiti medii	2¼ »
Cauda	2½ »

Observ. Vidi aliam huius speciei in insula Otahaitee varietatem, in omnibus similem, nisi quod subtus esset pennis canescentibus, seu potius coerulescenti-fuscis: iunior forsitan. Speciei huius in Oriadea varietas, crissum non habet candidum cuneatum, sed potius nigro-fuscum subrotundum, apicibus albis. Rectrices: cauda vix cuneata, seu potius rotundata. In pectore ad initium alarum complicatarum, pennae fusco-cinereae, albo marginatae. In Oriadea vocatur *Terā-ò,* in Otahaitee *Etāòwe.*

Nov. 7.

138. *Procellaria tridactyla* F. (*)

(Fig. picta G.)

Procellaria supra fusco-nigra, subtus candida; pedibus tridactylis, coeruleis; gula saccata.

(*) *P. urinatrix* Lin. Gm. Lath.

Habitat ad Aestuarium Reginae Charlottae; gregaria, urinatur, in cuniculis in montibus sylvosis nidificat, noctu quoque volitat et clamat.

Corpus magnitudine circiter *Proc. pelagicae* vel maius.

Rostrum compressum, coeruleo-nigrum. Mandibula superior apice adunco magis compresso; sulcus a naribus supra oblique in marginem descendit, ante apicem desinens. Mandibula inferior apice truncato compresso, basi dilatabilis, saccoque gulari plicatili, intra mandibulam recondendo instructa. Sulcus longitudinalis utrimque latere, ante apicem desinens; basi et ante apicem coerulescens. Palatum glabrum, nudum. Lingua carnosa, apice spatulata, nigra, basi supra planiuscula, triquetra, marginibus ad basin utrimque serraturis retrorsum cartilagineo-spinosis. Nares in basi rostri, patulae, subrotundae, supinae, septo distinctae, prominulae. Oculi parvi, iride nigro-coerulescente. Pedes compedes, natatorii, tridactyli, coerulei, plantis palmisque nigris. Ungues acuti, nigri (membrana lateralis et unguis posticus, communes in Procellariis desunt).

Caput, dorsum, uropygium, femora, remiges et rectrices fusco-nigra.

Gula, iugulum, pectus, abdomen, tectrices subtus et crissum candida.

Remiges 20 breves, fusco-nigrae. Primores 10 sensim decrescunt, complicatae, longitudine caudam extremam exaequant.

Rectrices 12 breves, fusco-nigrae. Cauda rotundata.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	$8\frac{1}{4}$	unc.
» » » » » unguem digiti medii	$8\frac{5}{8}$	»
Alae expansae	16	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{4}$	»
» nudi	$2\frac{1}{8}$	»

Rostrum in fronte	$\frac{5}{8}$	unc.
» ad fauces	$\frac{7}{8}$	»

Nov. 5.

139. *Cuculus nitens* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Cuculus cauda rotundata, corpore supra viridi-aeneo-nitente, subtus fronteque albis, fasciis viridibus.

Habitat ad Aestuarium Reginae Charlottae in sylvis et ad Caput bonae spei.

Corpus magnitudine circiter *Sturni vulgaris*.

Rostrum teretiusculum, subarcuatum, integerrimum, basi subcarinatum, breve, atrum. Nares orbiculatae, patulae, in basi rostri, margine prominulo. Lingua plana, sagittata, brevis, apice integro, cartilagineo, atro; pone serrata. Oculi iride flava. Pedes brevissimi, scansorii, coerulescente-nigri; plantis albis. Digiti longi; interior anticus brevior, posticus brevissimus omnium; exterior anticus longissimus, posticus longus. Ungues compressi, incurvi, acuti, atri.

Frons, supercilia, genae, gula, pectus, abdomen, crissum, femora, hypochondria, tectrices alarum subtus alba, fasciis transversis viridi-aeneis nitentibus.

Capitis reliqua, dorsum, uropygium, remiges et tectrices alarum supra, viridi-aenea nitentia.

Remiges 18, viridi-aeneae. Secundariae et tectrices supra viridi-aeneae nitidissimae. Remex 1 brevissima. Fascia alba, per basin marginum interiorum remigum omnium. Remiges subtus fusco-cinereae, fascia alba baseos ut supra.

Rectrices 10 mediae viridi-aeneae nitentes; 2-4 utrimque concolores, apice marginis interioris macula rotunda alba; extima margine utroque albo-maculato.

(*) *C. lucidus* Lin. Gm. Lath.

140. *Balistes scaber* F. (*)

(Fig. picta G.)

Balistes pinna occipitis biradiata, corpore scabro.

Habitat in mari alluente Novam Zeelandiam, in Aestuario Reginae Charlottae et quoque in mari pacifico intra Tropicos prope Otahaitee et Insulas Societatis.

Corpus catheto-plateum, ovatum, scabrum, tuberculis asperis, irregularibus, fissuris distinctis, fusco-griseum.

Caput acutum, corpore angustius, rostratum, integumento corporis tectum. Os rictu terminali, parvo, transverso. Maxillae labiatae, mediae: inferiore paulo longiore. Labia carnosa, albida, mobilia. Dentes in utraque maxilla plani, secantes, convergentes; utrimque 8. Lingua nulla. Palatum angustatum. Nares postremae, rotundae, geminae, inaequales, parvae, obliteratae; anteriore foramine maiore. Oculi supremi, laterales, orbiculati, prominuli, longe a rostro siti; membrana nictitante annulata, flava semitecti. Iride flavo-fusca. Apertura branchialis lateralis, minima, linearis, obliqua, media, supra pinnas pectorales; pallide coerulea. Branchiae vicinae, retroactae, denudatae.

Linea lateralis inconspicua.

Anus medius inter apicem rostri et caudae extremum.

Pinna dorsalis prima fusca, composita, occipitalis: radius primus validus, osseus, asper aculeis triplicis ordinis reversis, anticis parvis, lateralibus maioribus introrsum versis; radius secundus simplex flexilis, minimus. Pone pinnam scrobiculus pro recondenda ex parte pinna. Secunda flava, radiis 34 simplicibus, flexilibus. Pinnae pectorales flavae, parvae, rotundatae, radiis simplicibus flexilibus 12. Pinna analis flava, radiis simplicibus flexilibus 34. Pinna caudae fusca, radiis dichotomis validis 12. Pinnae ventrales nullae. Earum loco, os carinatum intra cutem, apice

(*) *B. scaber* Bl. Schn. p. 477.

denticulis duobus divergentibus, ad latera utrimque duobus itidem divergentibus.

Mensurae.

Piscis cum cauda longus	10	unc.
» latus	4	»

INSULAE INTRA TROPICOS MARIS PACIFICI SITAE.

Aug. 17 - Oct. 10.

Postquam nautae utriusque navis, ex longinqua inter glaciei insulas circa antarcticum navigatione, refecti et scorbuto prorsus liberati essent in Nova Zeelandia usu quotidiano *Apii graveolentis, Lepidii oleracei, Tetragoniae atriplicifoliae* et *Sonchi oleracei,* ubi praeterea pisces magna copia capti vel ab incolis Novae Zeelandiae emti multum faciebant ad refocillandos aegros, Navarchus tandem necessarium duxit, rursus vela dare ventis et Mare Pacificum explorare: ideoque sublatis anchoris die 7ma Iunii, Fretum Cookii dirimens utramque Insulam Novae Zeelandiae intravimus, et mox Orientem versus cursum navis direximus; plerumque ultra 40^mum^ latitudinis australis gradum, pernavigavimus hunc ingentem Pacificum Oceanum. At quod plerumque ex orientali plaga ventus flaret, non ex spe felicem celeremque habuimus cursum, ideoque mora taedium nobis peperit, nam nonnisi die 17ma Aug. primum anchoram circa Insulam Otahaitee iecimus. Antequam eo pervenissemus, emenso mari usque ultra 220° longitudinis a Londino, tandem in Euraquilonem cursum dirigere coepimus die 14ta Iulii et nonnisi circa 29° latitudinis primum *Phaëtontem aetherum* vidimus; Aug. 2da Tropicum Capricorni traiecimus. Diebus aliquot post 4 humiles parvasque deteximus insulas, vix

antea cognitas Palma Cocos nucifera obsitas. Dein insulam Catenariam (*Chain-Island*) et Osnabrugiam seu *Maiateam* vidimus. Haec ut mons in medio mari apparet, vertice excavato, unde eam suspicor igne subterraneo formatam, ut Lipariam, Therasiam plures. Confirmatur haec opinio saxis omnium insularum altarum prorsus porosis, uti illa esse solent, quae circa montes ignivomos plerumque reperiuntur. Alia praeterea saxa prorsus similia sunt illis, quas Itali hodie *Lavam* appellant et e scoriis liquefactis denuoque congelatis sunt orta. Et quod magis verisimilem reddit meam sententiam, omnes altae montosae insulae intra Tropicos Maris Pacifici, eiusdem pene sunt formae, et craterem excavatum in apice et distinctissima montium ignivomorum indicia habent. Ex quo primum in insulam Otahaitee escendimus, vix septem dierum spatio in ea insulae parte substitimus, nam 24ta Aug. anchoris sublatis in portum Matavai eiusdem insulae profecti sumus, ubi die 26ta Aug. circa vesperum anchoram iecimus et die sequenti in terram escendimus, et 7mo die, nempe 2da Sept. denuo inde profecti sumus, petituri insulam Huaheine, in quam appulimus die 3^{tia} Sept. et ab ea discessimus rursum post moram 4 dierum die 7mo Sept. iter facturi in insulam Ulietea vel Teriadea, in quam die 9. Sept. pervenimus. Ego vero post 5 dies in insulam vicinam Otahaw discessi die 14to Sept. ibique biduum et quod excurrit moratus, pene omnem insulam cymba vel pedibus circumambii et die 17mo redii, quo et anchora soluta discessimus. Die 23^{tio} Sept. novas duas insulas parvas et humiles conspeximus, Coco nucifera obsitas. Inde discedentes tandem die 2da Octobris in insulam Eaoowe s. Middelburg appulimus, proximaque die 3^{tia} Oct. inde profecti in Tonga-Tabu seu Amsterdam insulam pervenimus die 4ta Octobris et post triduum rursus in mare evecti, insulam Pylstaert prospeximus et denuo die 10mo Octobris Tropicum Capricorni subivimus: versus Novam Zeelandiam cursum

dirigentes. Itaque nonnisi 29 dies intra hasce sex insulas substitimus, scil. Otahaitee, Huaheine, Uliatea, Otahaw, Eaoowe et Tonga-Tabu. Omni hoc spatio circiter 50 novas plantas in eis reperimus et ultra 80 ante notas species. Id quidem mirum quibusdam videbitur, nos adeo paucas novas plantas reperisse; at si idem consideraverit, clarissimum virum Ios. Banks per 3 integros menses in unica insula Otahaitee moratum fuisse mensibus Aprili, Maio et Iunio, nos vero in totum tantum 29 dies substitisse, et eos mense hyberno Augusto et Septembri et si inde deduxeris tempus somnii, ientaculi, prandii et coenae, praetereaque id quando in nave mihi standum erat, donec cymba me in terram deferret, nonnisi pauculas habebis horas dierum 29; praeterea pars insulae pedibus erat peragranda hoc tempore, montes scandendi, silvae inviae pervadendae, aves sclopeto necandae, pisces coëmendi, mores incolarum observandi, vocabula linguae colligenda: itaque potius ut mirum videbitur, qua ratione tam brevi spatio potuerimus tot plantas colligere, describere, delineare. Nec id solum, nam et circa 32 animalia nova descripsimus et ex parte delineavimus; praetereaque 47 species antea notas observavimus. Ex his praecipue inter Vermes *Murex Tritonis, Voluta Mitra, Bulla ovum, Cypraea Tigris* et *Spongia officinalis*. Inter Insecta *Cancer Squilla, Homarus, maculatus, Calappa, Pediculus humanus* et *Papilio Bolina,* maxime vulgaris praeterea *Scorpius europaeus*. Inter Pisces obvios habui *Exocoetum volitantem, Esocem brasiliensem, Fistulariam tabaccariam,* ultra 2 pedes longum, *Triglam volitantem, Mullum barbatum* et *Surmuletum, Scombros Hippon* et *Trachurum, Gasterosteum volitantem, Percas guttatam* et *punctatam, Labrum anthiam, Chaetodontes cornutum, striatum* et *vagabundum, Coryphaenas Psittacum* et *Hippurum, Echeneim Remoram, Uranoscopum maculatum.* Inter Amphibia *Ostraciontem quadricornem, Bali-*

stas Vetulam et *aculeatum*, *Squalum caniculam*, *Raiam Batin*, *Anguem laticaudam* et *platuram*, *Testudinem Midan*. Inter Aves *Phasianum Gallum* domesticum, *Fulicam Porphyrionem*, *Scolopacem Phaeopoda*, *Ardeam aequinoctialem*, *Sternam stolidam*, *Phaëtontem aethereum*, *Pelecanum aquilum*, *Procellariam Gaviam*, *Anatem streperam*, *Alcedinem cyaneam*. Inter Mammalia notavimus *Delphinum Phocaenam*, *Suem Scropham* domesticam, *Murem Rattum*, ubique numerosissimum, *Canem familiarem* et *domesticum*, denique *Vespertilionem Vampyrum* in Tonga-Tabu gregatim de *Casuarina equisetifolia* dependentem: at haec est varietas *β minor* ap. Pennant Syn. Quadr.

Incolae harum insularum sunt numerosi, duarum plerumque varietatum: ii qui opus rure faciunt et servorum loco habentur, sunt plerumque graciles, statura communi, colore Aegypio, at minus fusco quam Novae Zeelandiae populi, robusti, agiles, crine barbaque nigra, forma corporis concinna, pedibus pro reliquo corpore maioribus; verum principes in insulis sunt colore cereo-flavo, torosi, corpore staturam communem plerumque excedente, ex desidio ignavi et delicati, adeo ut et cibum sibi ministrari et in os ingeri sinant, forma corporis elegans, laxa, musculis confluentibus; crinibus barbaque nigris; sunt tamen in utroque hominum genere quidam crinibus rufis, oculis caesiis, corpore magis candido. Feminae omnes sunt statura parva, forma delicatiore quam masculi plures, eis multo candidiores, venustae, oculis vividissimis, loquaculis, protervae. Veneris omnes hae gentes appetentissimae, furandi peritissimae, nandi aquamque subeundi optime gnarae, caetera mites, ingeniosae, risui, iocis, choreis et cantilenis deditae, gulae indulgentes sibi. Cibum ex vegetabilibus imprimis sibi parant: natura affatim eis praebente praestantissimos fructus absque magno labore colendos.

Inter eos *Musa Paradisiaca, Artocarpus communis, Chrysomela pomifera, Convolvulus Batatas, Dioscorea alata, Arum macrorhizon* et *esculentum, Eugenia malaccensis* et *Inocarpus edulis* cum *Citro decumano* principem locum obtinent, nec inter haec ultimum locum occupant *Cocos nuciferae* ubique cultae: praeterea piscaturae sedulo student, et inter domestica animalia *Phasianum Gallum, Suem Scropham* et *Canem familiarem* inter dapes enumerant. Omnes cibos, foliis involutos lapidibus ignitis et terra obruunt et sic coquunt vel assant. Domus maiores et nitidiores habent quam incolae Novae Zeelandiae. Naves bellicae eis permagnae, agitandae remigio 144 hominum. Vestes sibi parant ex libro *Mori papyriferae, Artocarpi communis* et pluribus aliis arboribus, praeterea et storeas plectunt ex plantis et imprimis foliis Musae et Cocos. Morbis cutaneis et Leprae obnoxii. Corpus pingunt, punctura cutis atramento inducto instrumento.

121. *Strix Bakkamuna?* F. (*)

Strix capite laevi, corpore supra fulvo-fuscoque nebuloso, subtus albo, pennis omnibus nigro-punctatis; rectricibus fasciis quatuor fuscis.

Pennant Zool. ind. tab. 3.

Habitat in insulis Tonga-Tabu, Namocka, Tupai et Tanna; praeterea in Ceylana. Victitat aviculis et rattis, at carne salsa illico necata fuit.

Corpus magnitudine excedit *fulvam.*

Rostrum aduncum, carnei coloris apice cornei. Nares in basi rostri subrotundae. Cera alba in basi rostri, medio emarginata. Mandibula inferior utrimque duabus emarginaturis et una in apice. Lingua plana, carnosa, oblonga, apice emarginata, margine subintegra. Oculi iride

(*) Species a *Bakkamuna ceylonensi* Lath. (*indica* Gmel.) sane diversa.

coeruleo-nigra. Pedes flavescentes, pilosi; genua subtus et solea nuda. Ungues adunci, validi, fusci.

Orbitae oculorum ingentes, albae, subcirculares, pennis radiantibus, rare pinnatis, oculi cincti pennis fuscis ustulatis, imprimis circa canthum oculi anticum: pone orbitam, aures et sub mento pennae fulvae, rachi apicibusque nigro-ustulatis.

Vertex et nucha cum dorso ex fulvo-fusco, albidoque nebulosa; qualibet penna paulo ante apicem macula nigra albaque notata.

Iugulum, pectus, abdomen et femora alba, pennis omnibus ante apicem puncto nigro notatis. Crissum candidum.

Remiges 22 ex fulvo-fusco alboque nebulosae, fasciis tribus fuscis, apicibus albis, pone maculam nigram. Margo interior $\frac{2}{3}$ albus. Tectrices magis fulvae, caetera ut reliqua nebulosa, apicibus albis, pone maculam nigram. Subtus remiges albae, apice nigro-punctatae. Remigis 1-2 margo exterior serratus. Rectrices ex fulvo-fuscoque nebulosae 4 fasciis nigris, apicibus albis. Subtus albae, obscure nebulosae ac fasciatae. Extimae rectrices margine utroque ultra medium albo.

Mensurae.

Ab apice rostri ad medium unguem	$15\frac{1}{4}$	unc.
Pedes cum femoribus	$7\frac{3}{8}$	»
Cauda	$3\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	34	»

Observ. I. Clarissimus et illustris Linnaeus inter characteres genericos Strigis ponit rostrum aduncum absque cera, hunc characterem nostra *Strix Bakkamuna* non admittit, habet enim ceram.

Observ. II. Idem illustris auctor in differentia specifica Aluconis addit: remigibus primoribus serratis. Iam vero ipse, postquam omnes notas species et aliquot

novas examinassem, id constanter in omnibus observavi, remigem primam et secundam semper esse serratam; corrigenda igitur foret haec differentia specifica, et potius inter characteres genericos collocanda.

142. *Psittacus hysginus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Psittacus macrourus viridis, capite subtusque purpureus, remigibus rectricibusque lateralibus extus sapphirinis.

Habitat in insula Eaoowe, ubi unum eius specimen emi.

Corpus magnitudine *Phasiano Gallo* minus.

Rostrum aduncum, nigrum, apice luteum. Cera nigra, medio emarginata. Nares rotundae. Lingua carnosa, glabra. Oculi iride avellanea. Pedes scansorii nigri.

Caput, collum, gula, iugulum, pectus, abdomen et crissum purpurea s. potius hysgina.

Dorsum, uropygium, tectrices superiores alarum et remiges secundae smaragdinae. Uropygii paucae pennae sparsae hysginae.

Remiges 19. Primores 10 extus sapphirinae, intus nigro marginatae. Tectrices superiores remigum primorum sapphirinae. Tectrices inferiores alae et hypochondria viridia; remiges subtus nigrae.

Rectrices 12, cauda cuneata. Rectrices 3 utrimque laterales extus sapphirinae, intus nigro-marginatae; mediae totae supra smaragdinae. Omnes subtus nigrae.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	15 unc.
Alae expansae	28 »
Pedes cum femoribus	5 »
Cauda	$6\frac{1}{2}$ »

Ab incolis appellatur *Kāghākā*.

(*) *Ps. caledonicus* Lin. Gm. Lath. — ὕσγινος, color inter purpureum et coccineum, Plin.; *Cramoisi* Gallorum, Riemer.

143. *Psittacus euchlorus* F. (*)

Psittacus brachyurus viridis, vertice sapphirino, gula, genis et macula abdominis sanguineis, rectricibus intus subtusque flavis.

Habitat in insula Tonga-Tabu, praesertim in *Cocos nucifera*, plurimae nobis venum oblatae ab incolis, qui avem *Kohaèngā* vocant.

Corpus magnitudine inter minimas congenerum.

Rostrum aduncum, rubrum, mandibula superiore emarginata, inferiore antice intus crenata. Cera ad basin rostri rubra, medio emarginata. Nares rotundae. Lingua carnosa, obtusa, antice pilis obsita. Oculi iride aurea. Pedes scansorii rubri. Frons viridis; vertex sapphirinus; genae, gula et iugulum sanguinea.

Dorsum, uropygium, pectus, abdomen, crissum et remiges viridia. Abdomen macula antice sanguinea, postice amethystina. Femora viridia, intus violacea.

Remiges 18, supra virides, margine interiore fuscae; tectrices virides, subtus remiges fuscae.

Rectrices 12, margine exteriore virides, interiore et subtus flavae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae, itemque ad medii digiti unguem	$6\frac{3}{4}$ unc.
Alae expansae	10 »

Observ. Omnes Psittaci, quibus lingua pilis villosa, ad loquendum inepti esse creduntur.

144. *Cuculus fasciatus.* (**)

(Fig. pict. G.)

Cuculus cauda cuneiformi, corpore supra fusco, ferrugineo-fasciato, subtus albo, lineolis fuscis.

(*) *Ps. australis* Lin. Gm. *Ps. pipilans* Lath.

(**) *C. taitensis?* Lath.

Habitat in insula Huaheine et Otahaitee.

Corpus magnitudine circiter *Cuculi canori* vel potius maius.

Rostrum teretiusculum, rectum, apice incurvum. Mandibula superior fusca, inferiore longior, dorso convexa, subcompressa, apice acuto, incurvo; inferior semiteres, obtusa, flavicans. Nares oblongae, fronti proximae, obliquae, margine antico elevato, prominulo. Lingua sagittata, basi plana, serrato-dentata, apice obtusiuscula, membranacea, integerrima. Rictus amplus, obliquus. Oculi supra angnlum faucis mediocres; irides aureae; palpebrae nudae, viridi-flavicantes. Pedes tetradactyli, fissi, scansorii, virentes. Femora tecta. Tibiae subcompressae, segmentis margine flavis. Digiti scansorii; anticorum exterior, reliquis longior, tibiam fere exaequas, sed tenuior, segmentis omnibus flavo-marginatis; plantae subtus flavicantes. Ungues plumbeo-nigri, tenues, parum incurvi.

Caput supra fuscum, lineis rufis. Cervix, dorsum, uropygium, alae et rectrices fusca, confertim rufo-fasciata. Supercilia et linea genarum rufescenti-alba.

Gula, iugulum, pectus, abdomen, lumbi alba lineolis sparsis, fusco-nigris. Crissum album, nigro fasciatum.

Alae complicatae vix partem tertiam caudae attingunt. Tectrices supra fuscae, rufo fasciatae, apicibus albo punctatis. Remiges fuscae, rufo-fasciatae. Tectrices subtus albae. Cauda cuneiformis.

Rectrices 10, longitudine reliquum corpus excedentes, extimae utrimque mediis dimidio breviores, fuscae, rufo fasciatae, apicibus albis.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	15 unc.
» » » » » digitum	$11\frac{3}{4}$ »
Alae expansae	$20\frac{1}{2}$ »

Rostrum ab angulo faucis ad apicem	$1\frac{6}{10}$ unc.
Rectrices mediae	$8\frac{3}{4}$ »
Digitorum anticorum exterior cum ungue	$1\frac{1}{4}$ »
Unguis eiusdem digiti	$\frac{3}{10}$ »

Observ. I. Ab incolis appellatur *Arèva-Rèva.*

Observ. II. Vidi et aliam varietatem: Dorso fusco, rufo-fasciato, apicibus albis. Subtus luteo colore (nec albo), lineolis fuscis. Crissum totum lutescens. Tectrices subtus rufae. Caetera respondent. An sexus vel aetatis distinctio?

Observ. III. Brisson. av. 4, 130. tab. 12. fig. 1. Buffon planches enluminées t. 277. describunt, delineantque Cuculum naevium Mindanensem huic nostro persimilem. *Cuculus punctatus* Linn. nostro magis similis, at differt striis subtus nigris transversis (in nostro lineolae fusco-nigrae) et quod maior est, quam nostra species.

145. *Alcedo collaris* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Alcedo submacroura supra, olivacea, subtus superciliisque albis, collari nigro; rostro depresso pedibusque nigris.

Habitat in Otaheitee, Huaheine, Uliatea et Otahau et vocatur ab incolis *Eròoro*; praeterea est haec avis apud eos sacra, et imprimis pro genio principis habetur, unde *Eatòoa no Orèo, Eatòo no Opòonèe* et sic porro appellatur; nec eam capere, nec necare amant, sed potius quantum possunt dissuadent ne eam sclopeto conficias: imprimis mulierculae superstitiosae abhorrent avem, nec eam tangere volunt.

(*) Minime *A. collaris* Lathami, quae maior, et collo undique albo; ideoque nomen huius speciei mutandum, simulac a recentiore quodam peregrinatore denuo examinata fuerit. Varietas secunda peculiarem efformare videtur speciem.

Corpus magnitudine circiter *Ispidae*.

Rostrum subtetragonum, crassum, depressum, rectum, longum, nigrum, subtus album, apice obtusum, mandibula inferiore paulo longiore. Nares in basi rostri ovatae, obliquae. Lingua brevissima, depressa, carnosa, spatulata. Oculi iride coeruleo-nigra. Pedes gressorii, fusci; digiti et ungues nigri.

Pileus, dorsum, remiges et rectrices olivacea. Collare nigrum. Gula, pectus, abdomen, crissum alba.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	$8\frac{1}{2}$	unc.
Alae expansae	$12\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{2}$	»
Cauda	$2\frac{7}{8}$	»

Observ. I. Varietas pulcra huius avis reperitur in insula Tonga-Tabu. Pileus, collare, dorsum, remiges et rectrices pulcre cyaneo-viridia. Fascia a naribus per supercilia et nucham ambiens lutea. Gula, pectus, abdomen, crissum alba; sic et reliqua exacte respondent.

Observ. II. Varietas secunda huius Alcedinis a me visa in insula S^tae Christinae, cuius pileus, cervix, gula, pectus, abdomen et crissum candida. Collare, dorsum, remiges et rectrices cyaneo-viridia, nec ulla fascia lutea, verum ea est viridis, sub oculis a rostro incipiens et collum ambiens. Pileus lutescit et ubi dorsum incipit pone cervicem pennae sunt luteolae. Mandibula superior longior, reliqua exacte cum prima varietate ex Tonga-Tabu conveniunt.

146. *Oriolus Musae* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Oriolus supra pallide fuscus flavoque varius, subtus flavus, remigibus caudaque rotundata, fuscis.

(*) *Meliphagae* species minus cognita.

Habitat in insula Uliatea.

Corpus magnitudine vix *Sturni vulgaris.*

Rostrum rectiusculum vix apice declive, trigonum, tenue, acutum, longitudine capitis. Mandibula superior paulo longior, fusca, dorso convexo subcarinata, apice parum descendens; inferior recta, flava. Rictus mediocris, horizontalis. Lingua compressa, acuta, a medio ad apicem antrorsum serrata, apice lacera sive in tres laciniolas circiter divisa. Nares ovato-oblongae, patulae, in basi rostri. Oculi supra angulum faucis, irides avellaneae.

Pedes tetradactyli, fissi, gressorii, tenues, plumbeo-flavescentes. Femora tecta, tenuia; tibiae femoribus breviores subcompressae. Digitorum anticorum medius (absque ungue) tibia dimidio fere brevior; laterales aequales, medio breviores; posticus intermedio fere aequalis, at crassior. Ungues tenues, incurvi, acuti, mediocres fusci; posticus reliquis longior.

Pileus, cervix, dorsum, uropygium, tectrices alarum supra fusca, pennis omnibus apice flavo-marginatis. Supercilia, gula, iugulum, pectus, abdomen, crissum flavissima.

Remiges fuscae; quinque priores immaculatae, caeterae apice flavescente marginatae: complicatae paulo ultra basin rectricum extenduntur. Cauda rotundata. Rectrices fuscae apice flavescente marginatae.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae et in unguem digiti medii	$8\frac{1}{2}$	unc.
Rostrum a fronte ad apicem	$1\frac{2}{10}$	»
» ab angulo faucis ad apicem	$1\frac{6}{10}$	»
» latum ad basin vix	$\frac{2}{10}$	»
Tibiae	$1\frac{2}{10}$	»
Digitus medius cum ungue	1	»
Unguis posticus	$\frac{4}{10}$	»

147. *Certhia caruncula*ta F. (*)

(Fig. pict. G.)

Certhia caruncula gulari, auribusque flavis, corpore virenti-olivaceo.

Habitat in insulis Eaoowe et Tonga-Tabu, cantillat voce fistulari, insecta venatur et e nectariis florum mel sugit, irrequieta.

Corpus magnitudine vix *Certhiae olivaceae.*

Rostrum subarcuatum, validum, apice subulatum, marginibus paululum lateribus inflexis; subtrigonum, capite longius, atrum. Nares depressae in foveola, tectae lamina convexa, cartilaginea, margine inferiore rotundato, rima narium angusta. Lingua lanceolata, subulata, apice bifida, penicilliformis. Oculi palpebris aureo-flavis; iride coeruleo-nigra. Caruncula utrimque pone faucem ad latus mandibulae inferioris, ovata, marginata, aureo-flava. Aures subnudae, flavae.

Pedes flavescentes, macri, postice carinati, tarsis flavissimis. Ungues fusci, compressi, subulati, postico reliquis maiore.

Corpus totum viridi-olivaceum; aures pennis flavis raris tectae et cinctae; a mandibula inferiore ad carunculam pennae fuscae. Subtus corpus virenti-cinereum.

Remiges 20, fuscae, virenti-marginatae, prima remex brevissima. Rectrices 12, fuscae, virenti-marginatae. Cauda rotundata.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremam caudam	$8\frac{1}{2}$	unc.
» » » ad extremum digiti medii	$8\frac{3}{8}$	»
Alae expansae	12	»

Observ. Ab incolis appellatur *Fureehee-òw.*

(*) *Anthochaerae* species, nova, uti mihi videtur.

148. *Columba globicera* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Colümba aenea, subtus incarnata, capite cerviceque cinereis, crisso ferrugineo; cera subglobosa, rostroque nigris.

Habitat in insula Tonga-Tabu et Eaoowe; est quoque obvia in Otahaitee, sed cera vix est globosa. Ab incolis posterioris Insulae appellatur *Aroobee* et ab incolis priorum *Ooroobe*. Facile cicuratur, victitat imprimis Musa.

Corpus magnitudine *C. Argetraea* minus (infra 20 poll.).

Rostrum nigrum. Nares oblongae, subperpendiculares. Cera carnea, nuda, globosa, nigra. Oculi iride sanguinea. Pedes semitecti, rubri. Caput et cervix cinerea. Capistrum album, et mandibula inferior rostri albo-cincta.

Gula, iugulum, pectus, abdomen colore vinaceo, i. e. purpureo et cinereo mixto. Crissum ferrugineum.

Dorsum, uropygium, remiges et rectrices obscure aenea seu ex fusco et viride-nitentia.

Remiges 20. Rectrices aequales, 14. Alae et cauda subtus fusco-nigra. Femora et tibiae semitectae, cinerea.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	16	unc.
» » » » » unguem digiti medii	15	»
Alae expansae	30	»
Rostrum	1	»

Observ. I. Varietas insulae Otaheitee prorsus capite et cervice nigris. Dorsum, uropygium, remiges et rectrices coeruleo et viridi-nitentia. Gula, iugulum, pectus, abdomen et femora fuliginosa. Crissum ferrugineum. Capistrum album. Cera prorsus non globosa.

Observ. II. Haec ipsa Columbae species in Amboina appellatur a Bandensibus *Falor*, Malaccensibus *Burong-Pala*

(*) *C. pacifica* Lin. Gm. Lath. *C. oceanica* Less.

(*Columba Myristicae*) et Batavis (*Noote-eeters*) quia haecce Columbae nuces devorant et dein concocto scil. putamine seu Macis, easdem cum putamine osseo per stercus reddunt, unde novae arbores propullulant. In Tanna vidi in ore Columbae et in ingluvie eiusdem tres nuces myristicas. Vide etiam Rumphii Herb. Amb. Vol. II. p. 20.

Observ. III. Sonnerat Voy. de Guinee p. 169. tab. 102. hanc Columbam bene describit et simul in tabula repraesentat, et eam appellat *Ramier cuivré, mangeur de Muscade* et nuces myristicas per eas disseminatas refert.

149. *Columba porphyracra* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Columba viridis, fronte verticeque purpureis, crisso croceo, rectricibus ante apicem albo-fasciatis.

Habitat in omnibus insulis intra Tropicos situs in mari pacifico a nobis exploratis. Ita tamen ut pileus in Otaheitensibus vix rubeat, rostrum vero sit croceum, nares rubrae, oculi iride flammea et crissum flavum. In Columbis ex Uliatea pileus magis rubescit, rostrum minus croceum, nares vix rubrae, irides croceae, crissum intensius flavum. In Tonga-Tabu pileus plane purpureus, rostrum et nares plumbea, illud apice flavum, irides flavae, crissum croceum, et ab incolis huius insulae appellatur *Kurrikuru*, in Otaheitee *Oopa* vel *Oo-oopa*. Victitat Musa, facile cicuratur.

Corpus magnitudine circiter *Turturis*.

Rostrum plumbeum, apice flavum. Nares sublineares, tectae squama oblonga. Oculi iride flava. Pedes sanguinei. Frons et vertex purpurea, cincta margine flavo. Gula flavicans. Reliqua capitis, collum ad interscapulium, cum pectore virenti-cinerea. Abdomen viride seu

(*) *Columba purpurata* Lin. Gmel.

prasinum. Dorsum, alae et rectrices pulcre viridia. Abdominis pars postica, extremitas femorum et crissum crocea; abdominis pars antica purpurea.

Rectrices 14, virides, intus fuscae (mediis exceptis); omnes ante apicem fascia alba. Cauda rotundata. Remiges et rectrices subtus cinereae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$8\frac{1}{2}$	unc.
» » » » apicem unguis digiti medii	$7\frac{3}{4}$	»
Alae expansae	14	»
Cauda	3	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{2}$	»

150. *Columba leucophrys.* (*)

(Fig. pict. G.)

Columba fusca; fronte, superciliis, gula, pectoreque albis, humeris purpureo-ferrugineis.

Habitat in insula Otaheitee, appellatur ab incolis *Ooeiraò*.

Corpus magnitudine vix *C. capensem* excedit.

Rostrum rectum, apice paululum descendens, atrum. Mandibula superior inferiore paulo longior, recta, dorso plano-convexa; basi lateribus gibba, apice parum arcuata. Nares oblongae, obliquae, membrana tumida fere totae tectae. Lingua lanceolata, acuta, integerrima. Oculi medii, irides fuscae. Palpebrae margine fuscae, extus coeruleae. Orbitae tectae.

Pedes tetradactyli, ambulatorii, sanguinei. Femora tecta. Tibiae nudae, validiusculae, teretiusculae, mediocres. Digiti tenues fere omnes aequales, anteriorum intermedius tamen reliquis paulo longior. Ungues tenues, nigri.

Vertex cum occipite, cervix lineaque abrupta sub oculis cinereo-fusca. Frons, supercilia, facies, gula,

(*) *C. erythroptera* Lin. Gm. Lath.

iugulum et pectus alba. Dorsum, uropygium, abdomen et crissum fusca. Humeri et hinc inde pennae ad latera colli purpureo-ferruginea.

Remiges nigricantes, complicati mediam caudam attingunt. Cauda aequalis, mediocris.

Rectrices 12, basi cinerascentes, caetera nigricantes.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	9	unc.
» » » » unguem digiti medii	10	»
Rostrum ab angulo faucis in apicem	$\frac{9}{10}$	»
Alae expansae	17	»
Tibiae	$1\frac{1}{2}$	»
Digitus medius	$1\frac{2}{10}$	»
Unguis »	$\frac{3}{10}$	»

151. *Muscicapa lutea* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Muscicapa lutea, dorso, alis, rectricumque apicibus nigris, abdomine albo.

Habitat in insula Otaheitee, victitat insectis, vocatur *Oomamao*.

Corpus magnitudine *Emberizae citrinellae*.

Rostrum depressum, subtrigonum, rectiusculum, basi latum, apice acutum, pallide testaceum, apice fuscescens. Mandibula superior inferiore paulo longior, depressiuscula, dorso carinata, apice parum incurva; paulo infra apicem subemarginata, intusque carinata; inferior recta, acuta, convexiuscula, basi lata, apice acuta. Nares subrotundae, patulae, ad basin rostri. Lingua mediocris, membranacea, apice lacera, setis 3 seu 4 brevissimis instructa. Vibrissae atrae, longitudine dimidii rostri, patentes versus

(*) *Muscic. lutea* Lin. Gm. Lath.

fauces. Rictus amplus, oblique descendens. Oculi supra angulum faucis siti, mediocres, iride saturate fusca.

Pedes tetradactyli, gressorii, tenues, plumbei. Femora tecta. Tibiae tenues. Digiti tibiis fere triplo breviores, tenues, gressorii, anticorum laterales utrimque breviores, medius longior, posticus longitudine intermedii. Ungues incurvi, tenues, posticus reliquis maior.

Caput rufo-luteum; collum, pectus, interscapulium et antica pars dorsi lutea.

Alae fuscae, pennis luteo-marginatis. Remiges fuscae, basi luteo marginatae. Complicatae dimidiam caudam attingunt.

Dorsum postice et uropygium nigra immaculata. Abdomen album.

Cauda rotundata, rectrices 12, luteae, apice fuscae luteoque marginatae, mediocres, rachi atra.

152. *Muscicapa atra* F. (*)

Mas.

Muscicapa tota atra, rostro pedibusque plumbeis.

Habitat in insula Otaheitee, incolis *Mamao* appellatur.

Num haec aves sit species distincta, vel an sit ab antecedente tantum sexu distincta, non ausim affirmare. Rostri structura videtur paululum differens; at statura prorsus eadem.

Corpus magnitudine circiter *M. luteae.*

Rostrum subpentagonum, mediocre, plumbeum, apice utrimque emarginatum et subincurvum, supra (dorso) circa basin carinatum, subtus lateribusque depressum, dilatatum. Mandibula superior longior, marginibus patentiusculis. Nares subrotundae, superae ad basin rostri, vibrissis recumbentibus tectae. Lingua cartilaginea, apice bifida, ciliata. Faux utrimque vibrissis patentibus cincta.

(*) *Muscic. nigra* Sparrm. Lin. Gm. Lath.

Gula vibrissis recumbentibus atris. Oculi palpebrati. Iris coeruleo-nigra.

Pedes, femoribus genubusque tectis. Tibiis carinatis. Digitis gressoriis, unguibus brevibus, compressis, obtusis; omnes partes nudae pedum plumbeae seu liventi-cinereae.

Corpus totum pennis atris, nitentibus.

Remiges 20, supra atrae, rachi alba, subtus fuliginosae. Remex 1 brevissima, 2 et 3 breves, inde longiores at gradatim versus truncum decrescentes. Rectrices 12. Cauda rotundata, atra, subtus fuliginosa, rachides albae.

152 β. *Muscicapa atra* F. (*)

Femina.

Muscicapa supra nigra, subtus alba, remigibus albo marginatis, rectricibus apicibus albis.

Habitat in insula Tonga-Tabu et appellatur *Tehikibèeoo* vel etiam *Dengha-Dengha.*

Corpus magnitudine circiter priorum scil. *M. luteae* et *atrae.*

Rostrum nigrum, apice emarginatum. Nares in basi subrotundae. Faux vibrissis minutis cincta. Pedes atri. Pileus niger, supercilia alba. Genae nigrae. Cervix et uropygium cinerea. Tectrices superiores penultimae albae, nigro maculatae; ultimae secundariae albis apicibus.

Remiges 1-8 albo-marginatae, margineque postico albo-maculato; reliquae 9-18 marginibus anticis apicibus et marginis postici maculis albis. Rectrices 12. Extimae albo-marginatae; reliquae omnes (exceptis mediis) apicibus albis.

Corpus reliquum supra nigrum, subtus album.

Melius ponderatis rationibus hancce *Muscicapam variam*, credo esse feminam *Muscicapae atrae*, et aliam eius

---

(*) *Muscic. nigra* Sparrm. Lin. Gmel. Lath.

varietatem, in insula S[tae] Christinae seu Weitaho reperi, dulce cantillantem.

Rostrum ex pallide coeruleo-nigricans, apice emarginatum, basi subtrigonum. Mandibula superior carinata. Nares in basi, ovatae. Faux vibrissis nigris minutis cincta. Oculi iride coeruleo-nigra. Pedes coeruleo-nigri. Ungues pallidi. Caput atrum. Pectus et dorsum cum uropygio alba. Abdomen pallide luteum. Femora albo cinereoque mixta.

Remiges 1-4 atrae, margine antico et macula in lamina interiore prope basin albis; 5-10 totae atrae, 11-18 atrae, margine apiceque albis. Tectrices atrae, remigum posticarum seu secundariarum albo-maculatae. Cauda cuneata. Rectrices 12 albae, scapis nigris; 5 et 6 apicibus utrimque interioribus fusco maculatis.

153. *Ardea iugularis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Ardea occipite subcristato, corpore cinereo-coeruleo, iugulo medio albo, rostro apice subtusque, pedibusque flavescentibus.

Habitat in insulis maris pacifici Otaheitee, Huaheine, Uliatea, Otahaw, et quoque in Nova Zeelandia ad Aestuarium Reginae Charlottae. In insulis intra Tropicos sitis, nomen *Otai* ab incolis accepit, et sicuti *Alcedo collaris* pro genio principis habetur, ideoque cum *Ardea aequinoctiali* aeque sacra planeque cicura, prope incolas considet et in vicinia domuum in littore maris obambulat, et illacessita vivit. Incolae saepius nos hortabantur, ne eas sclopetis conficeremus, dicentes has aves esse *Eatoòa no Orèo, no Orèe,* et sic porro: sed necatas ex aqua petitas nobis attulerunt; nec recusarunt eas tangere.

Corpus magnitudine circiter *A. aequinoctialis*.

(*) *A. Novae Hollandiae* Lath.

Rostrum rectum, acutum, longum, compressum; mandibula superior includens inferiorem, dorso subarcuato, fusco; inferior brevior flavescens; apex rostri itidem flavescens. Nares lineares. Lingua plana, brevissima, integra, acuta. Oculi palpebris albidis, nudis; pupilla nigra; iris flava; lorum fuscum. Pedes flavicantes rugoso-scutati. Femora seminuda. Ungues obtusi, flavicante-fusci, medio serrato.

Corpus totum pennis cinereo-coeruleis, in occipite apice subligulatis, longioribus, cristam formantibus, in imo iugulo versus pectus itidem pennae apice ligulatae. Gula medio linea alba.

Remiges et rectrices supra paulo obscuriores, subtus pallidiores. Remiges subtus maculis sparsis, obscuris.

Observ. Vidi et specimen huius avis per totum corpus pennis coeruleo-cinereis et albis varium, unde suspicio mihi suborta, hanc variam avem esse ortam ex connubio *A. jugularis* et *aequinoctialis*.

154. *Scolopax undulata* F. (*)

Scolopax rostro recto, lorisque fuscis, pedibus flavis, superciliis albis, subtus albo fuscoque undulata.

Habitat in insulis Otaheitee, Uliatea et Tonga-Tabu, ab incolis appellatur *Torea*.

Corpus magnitudine circiter *Scol. Rusticolae*.

Rostrum rectum, capite longius, fuscum, apice obtusum; mandibula inferiore basi flavescente. Nares lineares.

Pedes flavi; ungues nigri, parvi, obtusi; digitus posticus articulis duobus.

Caput, cervix, dorsum, uropygium, remiges secundariae, tectrices superiores penultimae alarum et rectrices cinereo-fusca. Supercilia a rostro gulaque

(*) Similem a nemine descriptam esse credo.

alba. Lora pennis fuscis. Genae, iugulum, pectus, abdomen, axillae, hypochondria, femora, crissum et tectrices inferiores alarum nigro alboque fasciatae et undulatae. Remiges margine externo et tectrices ultimae apice alba.

Observ. Varietas ex insula S[tae] Christinae s. Waitaho, quae in reliquis congrua, remigibus tantum discrepantibus, quod sint cinereo-fuscae, sine ullo margine albo. Tectrices vero sunt apice albae.

155. *Scolopax pacifica* F. (*)

Scolopax rostro recto nigro, corpore plumbeo, subtus superciliisque candidis, pedibus viridi-flavescentibus.

Habitat in vadosis maris insulae Tonga-Tabu gregaria.

Corpus magnitudine circiter *Scol. undulatae.*

Rostrum rectum, teres, capite longius, apice obtusum, nigrum. Nares lineares. Oculi iride coeruleo-nigra. Pedes viridi-flavescentes; ungues nigri, obtusi, breves.

Corpus undique plumbeo-fuscum. Gula, supercilia, abdomen et crissum candida. Pectus, hypochondria et femora cinereo-alboque undulata.

Remiges 26, prima scapo albo. Alae subtus pallide fuscae. Tectrices inferiores antepenultimae griseae s. albofuscoque undulatae. Rectrices 10. Cauda rotundata, subtus pallide fusca.

156. *Tringa pyrrhetraea* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Tringa rostro nigro laevi, pedibus virentibus, corpore supra nigro, subtus uropygioque rufo, humeris superciliisque albis.

(*) Vix a praecedente diversa, nisi abdomine toto albo. Tale specimen prostat in Mus. Berol. sub nomine *Sc. oedicneme.*

(**) *Tr. leucoptera* Lin. Gm. Lath.

Habitat in insula Otaheitee ad rivulos; *Teetee* appellatur.

Corpus magnitudine circiter *Charadrii Hiaticulae* vel paulo maius.

Rostrum rectum, sublineare, longitudine capitis, teretiusculum, obtusum, atrum, basi crassius. Mandibulae aequales; superior basi depressiuscula, latior, caeterum convexa, apice obtusa; inferior semiteres, obtusa. Nares lineares, rectae, fronti propinquae, basi paulo latiores, margine superiore prominulo. Lingua oblonga, plana, obtusa, apice suberoso. Oculi circiter medii; iridibus nigro-fuscis.

Pedes tetradactyli, fissi, tenues, virides, ambulatorii, longitudine dimidii corporis. Femora seminuda. Tibiae tenues compressae. Digiti tenuissimi, trium anticorum medius reliquis paulo longior, fere longitudine tibiae; posticus brevis, uniarticulatus, nonnisi ungue terram attingens. Ungues tenuissimi, subincurvi, breves, subaequales.

Caput, cervix, dorsum, alae nigra. Supercilia et humeri supra et subtus alba. Iugulum, pectus, abdomen, uropygium rufa, crissum ochroleucum. Alae complicatae, caudae apicem attingunt. Tectricum maiorum s. ultimarum in medio alae, una alterave alba. Remiges caeteraque alarum, cum rachide nigra. Cauda brevis, rotundata. Rectrices 14, binae intermediae totae fuscae; proxima utrimque fusca, apice rufa; tertia utrimque fusca, apice rufa, margineque exteriore rufo maculata; reliquae fusco rufoque fasciatae.

Observ. In specimine examinato remex 15ta, 16ta in ala dextra erant candidae, in ala sinistra nigrae; ideoque id observare nolui in descriptione; plura vero specimina non potui examinare.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremam caudam	$7\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	10	»
Alae expansae	$14\frac{3}{4}$	»

Rostrum a fronte in apicem	$\frac{8}{10}$ unc.
Femora pars nuda	$\frac{7}{10}$ »
Tibia	$1\frac{3}{10}$ »
Digitus medius	$1\frac{2}{10}$ »
Unguis digiti medii	$\frac{2}{10}$ »

157. *Charadrius glaucopus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Charadrius pectore fulvescente, abdomineque albo, nigro-maculatis; fronte superciliisque subfulvis; dorso nigro fulvo-maculato; pedibus coeruleis.

Habitat ad littora vadosa insulae Otaheitee.

Corpus magnitudine inter *Tringam Vanellum* et *Chadrium Calidrim.*

Rostrum rectum, capite brevius, dorso a basi ad medium plano, inde adscendens, teretiusculum, compressum, obtusum, integrum; mandibula superiore paulo longiore, et paululum fornicata supra inferiorem. Nares lineares, perviae. Lingua cartilaginea, integra, subobtusa, medio sulcata, angusta. Oculi pupilla nigra, iride coeruleo-nigra. Pedes longissimi, coerulei, femoribus seminudis; tibiis teretibus; digitis 3 cursoriis; ungues obtusi.

Frons et gula, cum abdomine, hypochondriis, femoribus et crisso alba, at haec 4 postrema pennis apice nigris. Pectus fulvum, nigro-maculatum. Vertex, occiput, cervix, dorsum et uropygium pennis nigris, apicibus marginibusque maculis fulvis.

Tectrices superiores penultimae nigrae, fulvo-maculatae; ultimae fusco-nigrae, apicibus albis. Remiges 10 fusco-nigrae, rachi alba. Alae subtus cinereae. Rectrices 12 fusco-nigrae, albido transversim fasciatae.

(*) *Ch. fulvus* Lin. Gm. Lath.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem unguis digiti medii $12\frac{1}{2}$ unc.
Alae expansae.. $21\frac{1}{2}$ »

158. *Rallus pacificus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Rallus ater, albo-punctato-fasciatus; abdomine, gula, superciliisque albis; nucha ferruginea, pectore cano.

Haec avis appellatur *Oomnaa* vel *Eboonàa* in Otahaitee et adiacentibus insulis, at *Oomèia-Keteòw* in Tonga-Tabu.

Habitat in insula Otahaitee et in vicinis insulis.

Corpus magnitudine *Ralli cafri* vel maius.

Rostrum rectum, compressum, dorso attenuatum, basi crassius, sanguineum. Mandibulae subaequales, acutae: superior apice parum incurva, pallide-fusca. Rictus mediocris. Nares prope basin rostri, lineares. Oculi supra rictum oris positi. Irides sanguineae.

Pedes tetradactyli, fissi, ambulatorii, incarnati. Femora seminuda, tenuia, mediocria. Tibiae compressiusculae, femoribus breviores. Digiti quatuor, tenues; horum tres antici, intermedio fere longitudine tibiarum, laterales breviores aequales; posticus brevis, a terra elevatus. Ungues breves, parvi, parum incurvi, acuti, pallidi.

Caput ovatum, depressiusculum, fuscum. Supercilia linearia, a rostro ad occiput, albida. Gula alba. Nucha ferruginea. Collum brevissimum. Dorsum et uropygium atrum, rarius punctis minutis candidis aspersum. Pectus coerulescenti-canum. Abdomen, crissum et lumbi albida.

Alae breves, atrae totae, fasciolis interruptis albis variegatae. Remiges breves. Rectrices brevissimae, atrae, albo-punctatae, vix a reliquis pennis distinguendae.

(*) *R. pacificus* Lin. Gm. Lath.

Observ. Varietas huius Ralli in insula Tonga-Tabu obvia. Dorso flavescenti-fusco, punctis albis nigrisque notato. Pectore abdomineque pennis nigris, fasciis marginalibus albis. Capite rufo, superciliis albis, gula cinerea.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	9 unc.
» » » digiti medii	$12\frac{3}{4}$ »
Rostrum longum	$1\frac{1}{10}$ »
Tibiae	2 »
Digitus medius	$1\frac{3}{10}$ »

159. *Rallus minutus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Rallus niger, crisso albo-undulato, rostro atro, palpebris pedibusque sanguineis.

Habitat in Otahaitee et adiacentibus insulis, ut et in Tonga-Tabu.

Corpus magnitudine vix *Scolopacis Gallinulae*.

Rostrum rectiusculum, conicum, basi crassius, dorso plano convexum, atrum. Mandibulae subaequales, acutae; superior apice parum inflexa; inferior multo tenuior. Nares oblongo-lineares ad basin rostri. Oculi mediocres, rostro propinqui. Irides palpebrarumque margines sanguinea.

Pedes tetradactyli, fissi, ambulatorii, fusco-rubri. Femora seminuda, teretiuscula, tenuia. Tibiae femoribus breviores, compressiusculae, tenues. Digiti tenuissimi, tres antici tibiarum longitudine, intermedio reliquis longiore; posticus brevis, tenuis, terram apice attingens. Ungues brevissimi, tenues, acuti, nigri.

(*) *R. tabuensis* Lin. Gm. Lath.

Caput, collum, pectus atque abdomen plumbeo-nigra. Dorsum, uropygium, alarumque tectrices nigra, at simul obscure ferrugineo-fusca. Crissum nigrum, fasciis albis undulatum.

Remiges mediocres, fuscae; subtus tectrices alarum fusco alboque variegatae. Rectrices nigrae, decem, mediocres.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	$6\frac{1}{2}$	unc.
» » » unguis medii digiti	$8\frac{1}{2}$	»
Rostrum longum	$\frac{7}{10}$	»
Pedes cum femoribus	4	»
Tibiae	$1\frac{2}{10}$	»
Digitus medius cum ungue	$1\frac{1}{2}$	»

Observ. Ab incolis insulae Otahaitee appellatur *Màho*.

160. *Sterna candida* F. (*)

Sterna cauda forficata, corpore candido, rachi remigum rectricumque nigra.

Habitat in insulis Eaoowe et Tonga-Tabu, forte et in Bola-Bola nam ibi appellatur ab incolis *Tera-pòpa*. Arboribus insidet in Waihoo, Waitahoo, Otahaitee, Huaheine rel. et appellatur *Peerae*.

Corpus magnitudine *Sternam minutam* excedit.

Rostrum subulatum, apice compressum, nigrum, basi coeruleum. Nares lineares. Lingua subulata, rostro brevior. Oculi iride nigro-coerulea.

Pedes breves, palmati, tetradactyli, coerulei. Digiti mediocres, membrana alba; ungues nigri.

Corpus omne candidissimum, sericeum.

Remiges 26 et scapulares scapis fusco-nigris. Rectrices 12, cauda forficata, scapis fusco-nigris.

(*) *Sterna candida* Lin. Gm. Lath.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$12\frac{3}{4}$	unc.
» » » » » unguis digiti medii	$9\frac{3}{4}$	»
Alae expansae	29	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{2}$	»
» nudi	$1\frac{5}{8}$	»
Rostrum longum	2	»
Lingua	$\frac{5}{8}$	»

161. *Procellaria Fregata.* (*)

Procellaria nigra, abdomine uropygioque albis, pedibus nigris.

Habitat ad littora insulae Otahaitee. Diu haesitavi, an haec Procellaria esset revera *Proc. Fregata* Lin. vel potius nova huius generis species. At quia omnes descriptiones quas consulere potui, sunt perbreves, factus sum multo incertior quam dudum; itaque optimum duxi, avem ad normam artis describere retento nomine *Fregatae*, facili corrigendo errore, si nova fuerit species.

Corpus magnitudine *Loxiam pyrrhulam* excedit.

Rostrum breve apice valde aduncum, sulcatum; mandibula superiore longiore. Nares cylindro, a basi rostri in medium fere eiusdem interius septo divisae. Lingua lanceolata, subcartilaginea, obtusa. Palatum rugosum. Oculi iride nigra.

Pedes longissimi, atri; femoribus seminudis; tibiis subcarinatis. Digiti tres palmati. Ungues lati, depressi, subtriangulares. Unguiculus minimus, loco digiti

(*) *P. grallaria* N., a *P. Fregata* Lin. ob longitudinem pedum segreganda, licet utramque Gmelinus et Lathamus sub eodem hoc synonymo associaverint. Kuhlius quoque (Beitr. p. 138.) perperam retinuisse videtur nomen, quod avi, quam primus Barrere descripsit, servandum censeo.

quarti, latere interiore pone tarsum. Membrana marginalis apicem non attingens in latere exteriore utriusque digiti lateralis in utroque pede.

Caput, pectus, dorsum, femora, ala et cauda nigra. Abdomen, crissum et uropygium alba.

Remiges 18, subtus fusco-cinereae. Rectrices 12, duae mediae nigrae, exteriores reliquae 10 basi albae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem unguis digiti medii $8\frac{3}{4}$ unc.
Alae expansae.. 16 »

ECHIDNA.

Amphibium Nans.

Spiraculum utrimque solitarium ad latus colli. Pori duo in labio superiore. Cirrhi duo solitarii ad latera rostri. Os horizontale. Corpus teretiusculum, anguilliforme, alepidotum. Pinnae pectorales ventralesve, nullae.

Echidnae nomen e graeco mutuatus sum, ob similitudinem quam hoc animal cum Serpentibus habet, a quibus tamen differt lingua et spiraculis.

162. *Echidna variegata.* (*)

(Fig. pict. G.)

An *Conger Indicus maculosus?* Willoughby Pisc. Append. p. 24. tab. G. 10. fig. 1.

Habitat in mari alluente Huahainam, Bolam-Bolam et Tonga-Tabu. Locis vadosis ab insidiantibus incolis laqueo ad baculum alligato capitur et ab eis comeditur. Nomine *Pipiro* appellatur, et quoque *Boohèe.*

Corpus anguilliforme, antice teres, postice versus caudam sensim attenuatum, ensiforme, lubricum, glabrum, alepidotum.

(*) *Gymnothorax Echidna* Bl. Schn. p. 526.

Caput parvum, compressum, declive, dein productum in rostrum oblongum, obtusum. Rictus infimus, rectus, horizontalis, mediocris. Labia simplicia, laxiuscula, dentes tegentia. Maxillae aequales, obtusae, dentatae. Dentes ordinati, rotundi, obtusi, subaequales. In maxilla superiore ordines tres, quorum medius simplex in palatum excurrit; in inferiore duo ordines. Nares paulo ante supraque oculos singulae utrimque, rotundae, remotae. Pori duo seu tres supra rictum in labio superiore. Lingua membrana erecta marginatim adnata maxillae inferiori pone dentes, maxillae parallela. Cirrhi breves filiformes solitarii ad latera rostri, supra labium superius. Oculi parvi, submedii, cute communi tecti; iride flava.

Spiraculum utrimque solitarium, ovale, medium, in latere colli; dupla capitis longitudine ampliusve ab eo remotum. In ipso spiraculo, quasi branchiae minutae sunt conspicuae.

Anus in medio circiter corporis, mediocris.

Pinna dorsi longitudinalis, anali caudalique coadunata, omnes adiposo-membranaceae absque radiis, ut cutis laxa corpori adnatae. Pinnae pectorales ventralesque nullae.

Color totius corporis lutescenti-albus, lineis, punctis maculisque fusco-nigris variegatus. Abdomen album, maculis fuscis subfasciatum.

Mensurae.

Longitudo totius corporis	$20\frac{3}{4}$	unc.
Latitudo	$1\frac{1}{4}$	»
Spiraculum ab apice rostri distat	2	»
Rictus longitudo	$\frac{6}{10}$	»
Oculi ab apice rostri	$\frac{4}{10}$	»
Pinnae dorsalis altitudo	$\frac{2}{10}$	»
» » initium ab apice rostri	$1\frac{3}{4}$	»
Anus ab apice rostri	10	»

Specimen alterum examinatum in Otahaitee:

Rictus magnus fere longitudine capitis. Dentes acuti, acerosi. Nares inter oculos singulae, poris paulo maiores. Pori in rostro bigemini, unum par inter cirrhos, alterum paulo pone cirrhos. Pori circiter 4 ad margines labii superioris secundum rictum; totidemque in labio inferiore his oppositi. Striae longitudinales, parallelae, circiter 5 inter angulum faucis et spiraculum. Color e luteo-fuscus, maculis pallidioribus plerumque transversalibus variegatus.

163. *Harpurus paroticus.* (*)

(*H. nigricans* varietas G.)

Harpurus cauda lunata, macula oblonga aurantia supra pinnas pectorales.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee.

Corpus cathetoplateum, ovatum, dorso acutum, squamosum, scabrum: colores olivaceo-fusci; macula aurantia, oblonga, dorso parallela, incipiens ad aperturam branchialem, desinens paulo pone pinnam pectoralem, nigro-cincta. Pinnae omnes fusco-nigrae variae, marginatae.

Caput truncato-declive, compressum, latitudine corporis, breve, squamosum? scabrum. Os imum, parvum, horizontale, lineare. Maxillae aequales, dentatae, inferae, mobiles. Dentes in utraque maxilla subaequales, exserti, confertissimi, margine serrati, immobiles. Lingua obtusa, carnosa, annexa, brevissima. Palatum glabrum. Nares postremae ante oculos sitae, vicinae, geminae. Oculi supremi, orbiculati, mediocres. Irides ....? Opercula diphylla, ossea, scabra, alepidota. Membrana branchiostega radiis 4 tecta, lateralis. Apertura branchialis

---

(*) *Acanthurus olivaceus* Bl. Schn. p. 213. *Acanthurus humeralis* Cuv. Val. X. p. 231. Vide infra §. 182.

lateralis, arcuata, mediocris, seminuda. Branchiae vicinae, operculatae, simplices, pectinatae.

Gula planiuscula. Dorsum arcuatum, carinatum. Abdomen carinatum, rectiusculum, integrum. Linea lateralis suprema, dorso parallela, mutica. Anus pectoralis. Cauda teretiuscula, pinnata. Spina ad caudae latera, solitaria, oblonga, uncialis, recumbens, in fossulam recondenda. Squamae imbricatae, minutissimae, arcte adhaerentes, oblongae, erectiusculae, scabrae, flexiles.

Pinna dorsi longitudinalis, nigra, basi aurantia, subaequalis; radiis 8 spinosis, 23 muticis. Pinnae pectorales sub-imae, oblongae, subacuminatae, fuscae hyalino-marginatae. Pinnae ventrales thoracicae, sexradiatae, breves, radio primo spinoso, reliquis dichotomis. Pinna analis longitudinalis, solitaria, aequalis (radiis 26, duobus s. 3 primis spinosis), fusca, margine postico albida. Pinna caudae lunata, radiis 22, tertio seu quarto utrimque longissimo, setaceo.

Mensurae.

Longitudo circiter spithamaea.
Latitudo subpalmaris.
Caput circiter uncias duas longum.

164. *Sparus striatus* F. (*)

Sparus ruber, cauda integra immaculata, corpore lineis utrimque 20, fascia lumbari lineaque abdominis nigra.

Habitat in mari alluente insulam Tonga-Tabu.

Corpus catheto-plateum, ovato-oblongum, squamosum, glabrum, rubrum, vittatum striis circiter 20, supra coeruleis, infra coerulescentibus. Ab extremitate pinnae dorsalis ad initium pinnae caudalis fascia magna, obliqua repanda ni-

---

(*) *Sparus Forsteri* Bl. Schn. p. 282. *Chrysophrys Forsteri* Cuv. Val. VI. p. 103.

gra et linea a pinnis ventralibus ad dimidium pinnae analis longitudine abdominis itidem nigra.

Caput acutiusculum, squamosum, glabrum. Os rictu obliquo, recto, parvo. Rostrum subobtusum, mediocre. Maxillae terminales, extractiles, dentatae, inferiore paulo breviore. Labia supra vix ulla, infra lateribus versus angulum faucis revoluta, membranacea. Dentes in utraque maxilla: incisores supra infraque 4 validi, remoti, acuti, incurvi; praeterea alia series post eos est dentium minutorum, confertorum: maxillares globulosi, pone eos plures dentes minuti, conferti. Lingua obtusa, carnosa, annexa, glabra, oblonga. Palatum glabrum. Nares postremae, remotae, rotundae, geminae, posticae, maiores. Oculi superi, remoti, postici, plani, mediocres, membrana nictitante annulari semitecti; iris flava, pupilla nigra. Opercula branchialia flexilia, diphylla, squamosa, acuminata. Membrana branchiostega 5-radiata, tecta, gularis. Apertura branchialis lateralis, repanda, operculata, ampla. Branchiae operculatae, laterales, extra ciliatae, intus tuberculatae.

Gula tecta operculorum membrana. Dorsum monopterygium, subconvexum, sulcatum. Linea lateralis subarcuata, antice supera, postice media parallela, mutica. Anus medius. Cauda catheto-platea. Squamae imbricatae, confertae, amplae, tenaces.

Pinna dorsi composita, longitudinalis, subadscendens; antice spinosa, apice ramentis acutis in fossula recondenda spinis 12; postice radiis 9 dichotomis, intra cutem seu sinum squamosum recondenda, partim postice squamis tecta, non condenda. Inter spinas 2 et 3 macula nigra; pinna tota rubra, a parte radiata incipit fascia nigra lumbaris et ibi radii tantum apice rubri. Pinnae pectorales mediae, breves, subacuminatae supra, radiis 17 dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, in sterno, pene ante pectorales positae, acuminatae, remotae, nigrae, spina 1 brevi, radiis 5

dichotomis, adiacet squama lateralis stricta. Pinna analis composita, subaequalis, spinis 3, quarum 2 primae ramento in apice instructae; radiis 12 dichotomis; tota pinna antice in sinu membranaceo squamoso inter duo folia recondenda; postice squamis ex parte dimidia tecta; spinae et 6 primi radii nigra, reliqui radii 6 rubri. Pinna caudae truncata, rubicunda, squamis ex parte tecta, radiis 13 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo totius piscis	$9\frac{1}{2}$	unc.
Latitudo circa anum	3	»
Caput longum	$2\frac{3}{4}$	»

165. *Labrus pinnulatus* F. (*)

Labrus pinna dorsali ramentacea, maculis purpureis sparsis, pinnulis ante oculos, spinisque dorsalibus novem.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee, ab incolis appellatur *Patoòee*.

Corpus ovato oblongum, squamosum; colore livido, maculis purpureis sparsis maculatum.

Caput declive, crassum, opercula squamis minutis tecta. Os rictu obliquo, subarcuato, mediocri. Rostrum declive. Maxillae subaequales, denticulatae, mobiles. Labia carnosa, duplicata. Dentes acerosi, minimi, conferti; duo antici in margine maxillae superioris maiores, distantes, incurvi, in inferioris lateribus plures maiores, ordinati, subretroflexi. Lingua obtusa, carnosa, libera, glabra. Palatum denticulatum. Nares postremae, supremae, vicinae, rotundatae, geminae, anterioribus maioribus. Pinnula bifida utrimque ante oculos inter nares anteriores. Oculi supremi, vicini rostro, plani, membrana nictitante arcuata; iride rubicunda; pupilla oblonga, coeruleo-nigra. Oper-

(*) *Labrus pinnulatus* Bl. Schn. p. 264.

cula branchialia diphylla, squamosa; superius squamis minimis, margine serrato-ciliato; posticum squamis amplis. Membrana branchiostega 5-radiata, patens, gularis et lateralis infra connexa iugulum tegens. Apertura branchialis lateralis, ampla, operculata.

Gula subventricosa. Linea lateralis supera, antice obliqua, postice curva. Anus medius. Squamae ovales, amplae.

Pinnae dorsales sublongitudinales, geminae. Prima spinosa, subramentacea, ramentis apice aureis, arcuata, spinis 9 alternatim plicatilis per duos ordines; membrana spinas connectens maculis purpureis. Secunda composita, radio primo spinoso minimo; radiis 11 dichotomis, subaequalibus longioribus. Pinnae pectorales rotundatae, radiis superioribus 6 dichotomis, 6 simplicibus articulatis; colore rubicundae. Pinnae ventrales compositae, paulo pone pectorales in sterno sitae; radius primus spinosus, minimus; radii 5 dichotomi, subrotundati, colore rubicundo. Pinna analis composita, spinis 3, radiis 6 dichotomis, maculis purpureis aspersa. Pinna caudae integra, apice luteis maculis, caetera purpureis adspersa, radiis 16 dichotomis.

166. *Sciaena Mugil* F. (*)

Sciaena argentea, abdomine plano, pinna anali intra 2 folia squamosa recondenda, cauda nigra albo-maculata.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee.

Corpus catheto-plateum, ovato lanceolatum, subtus abdomine plano, argenteum, dorso et capite supra coerulescente.

Caput subobtusum, corpore minus, crassum, squamosum. Os rictu supero, obliquo, subarcuato, simo, medio-

(*) *Sciaena Mugil* Bl. Schn. p. 541.

cri. Rostro obtuso, brevi. Maxillae subdepressae, labiatae, denticulatae; superiore extractili, fornicata; inferiore longiore, inque eius apice duo scrobiculi minuti. Dentes in utraque maxilla et palato minuti, acerosi, conferti. Lingua obtusa, spatulata, subcarnosa, alba, glabra, infra annexa frenulo. Palatum denticulatum. Nares geminae, mediae, ovatae, approximatae inter se (sed non lateraraliter), in scrobiculo positae, parvae. Oculi superi, remoti, rostro vicini, plani, orbiculati, ampli, membrana nictitante annulata. Iride flavicanti-argentea. Pupilla atra. Opercula branchialia triphylla, squamosa, libera, sqamis triplici ordine positis (scil. in quavis lamina separato: postrema lamina margine aculeis duobus). Membrana branchiostega 6 radiata, subocculta, lateralis et gularis. Apertura branchialis lateralis, ampla, arcuata. Branchiae vicinae operculatae, laterales simplices, extus ciliatae, intus aculeatae 4.

Gula carinata. Thorax infra planiusculus, lateribus compressis. Dorsum dipterygium, convexum, subarcuatum. Abdomen subtus planiusculum, lateribus compressum. Linea lateralis supera, primum descendens curva dein versus caudam media, recta. Anus medius. Cauda compressa. Squamae magnae, semiorbiculatae, imbricatae, tenaces, glabrae.

Pinnae dorsales: prima media, spinosa, arcuata, spinis 9, validis; secunda composita, lumbaris, declinata, radio primo spinoso, breviore, reliquis 11 dichotomis. Ambae coerulescentes, prior fossula recondenda, secunda fossula et sinu membranaceo una serie squamarum formato, recipienda. Pinnae pectorales mediae, minores, acuminatae supra, appressae; radiis 14 dichotomis, primo simplici. Pinnae ventrales thoracicae, paulo pone pectorales positae (sed in sterno et ante ossa pelvis), approximatae; primo radio spinoso, reliquis 5 dichotomis, radio intimo an-

nexo abdomini membranula. Pinna analis media, composita, declinata, foliis duobus ex pluribus ordinibus squamarum formatis excipienda: radiis primis tribus spinosis adscendentibus, reliquis 11 dichotomis. Pinna caudae bifurcata, radiis circiter 15 dichotomis. Cauda nigra, maculis duabus supra infraque obliquis, medio duabus longitudinalibus, supraque apice, albis.

167. *Sciaena fimbriata* F.

Sciaena argentea, macula nigra sub pinnis pectoralibus, cauda bifurca, medio nigra, rubro marginata.

Habitat in mari alluente insulam Tonga-Tabu; piscis imprimis sapidus.

Corpus oblongum, lanceolatum, squamosum.

Membr. branch. rad. 6. P. dors. rad. 22. P. pect. rad. 22. P. ventr. rad. 5. P. anal. rad. 14. P. caud. rad. 20. Radii pinnae dors. et ventr. sunt simplices, flexiles, vix spinosi.

168. *Perca hexagonata* F. (*)

Perca pinnis dorsalibus unitis, cauda integra, corpore maculis hexagonis hysginis asperso, ad angulos macularum punctis viridi-albis.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee, ab incolis appellatur *Terào*. Quum opus Catesbaei ad manus non habeam, qui *Percam punctatam* descripsit et delineavit, non potui non dubitare, an non *Perca hexagonata* eadem sit cum *punctata* ideoque illam heic minute accurateque descripsi, ne postea dubitationi sit locus.

Corpus oblongum, squamosum, maculis hexagonis hysginis adspersum, quarum quaelibet est inclusa punctis pal-

(*) *Holocentrus hexagonatus* Bl. Schn. p. 323. *Serranus hexagonatus* Cuv. Val. II. p. 246.

lide ex coeruleo-viridescentibus ad angulos hexagoni; nonnunquam a puncto polygonali ad alterum linea excurrit tenuissima aeque pallida ex coeruleo-viridescens: quaedam paucae maculae sunt heptagonae, aliae octagonae, pauciores pentagonae: praeterea his sunt interspersae aliae maculae magnae irregulares sanguineae.

Caput subacutum, cuneatum, postice latitudine corporis, squamosum, descendens. Os rictu obliquo, subarcuato, amplo. Rostrum breve. Maxilla superior brevior, obtusa, labiata, dentato-denticulata, extractilis, fornicata; inferior longior, acuta, dentato-denticulata. Labia ampla. Dentes in utraque maxilla, palato et ossiculis palati. In maxilla superiore duo dentes validiores, in margine externo distantes: reliqui acerosi, conferti, retroflexi, inaequales. In maxilla inferiore 4 dentes validiores, quorum 2 sunt vicini inter se, sed distantes a 2 reliquis; reliqui acerosi, conferti, retroflexi, inaequales. Lingua spatulata, subcartilaginea, compressa, glabra, vaginata. Palatum antice scabrum, denticulis acerosis, confertis. Nares geminae, anticae, vicinae inter se, ante oculos positae, subaequales, ovatae, posticis maioribus. Oculi superi, subglobosi, vicini rostro, subapproximati, ampli, semitecti; pupilla nigrocoerulea; iride subaurea. Opercula branchialia triphylla, squamosa, libera, antico serrato, postico aculeis tribus. Membrana branchiostega 6-radiata, semipatens, gularis. Apertura branchialis gulari-lateralis, arcuata, ampla, operculata. Branchiae 4 laterales, aequales, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula angusta. Dorsum monopterygium, arcuatum. Linea lateralis curva, supera, parallela, obsoleta. Anus medius. Squamae imbricatae, confertae, ciliatae, oblongae, apice obtusae, basi truncatae, tenaces.

Pinna dorsalis composita, longitudinalis, coalita, radiis 11 spinosis, subaequalibus, 2 primis minimis, radiis 16

dichotomis, subarcuatis, spinosa parte maioribus; post spinam lobulus in apice minimus. Pinnae pectorales rotundatae, imae, mediocres, radiis 16 dichotomis. Pinnae ventrales subrotundatae, adnatae ventri ope membranulae, thoracicae, mediocres; radio 1 spinoso, reliquis 5 dichotomis. Pinna analis subarcuata, spinis 3, radiis dichotomis 8. Pinna caudae subrotundata, radiis 15 dichotomis.

169. *Perca Holocentrus* F.

Perca pinnis dorsalibus unitis, cauda bifida, pinna ventrali ossiculis octo, dorsali fossula recondenda.

Seb. Mus. III. tab. 27. fig. 1. p. 73. *Holocentrus*.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee. Plures huius piscis varietates reperi, in pluribus mire affines, in paucis tantum a se invicem distinctas. Tres varietates incolae nominibus propriis distinguunt, quartae speciei nomen rescire non potui et haec varietas a reliquis maxime recedit, adeo ut et in pinnis et radiorum numero variet.

α) Corpore latiusculo est, colore ex argenteo-rubicundo, punctis rubris, lineas constituentibus, per omnem truncum exaratis, haec a Seba graphice delineata, sub nomine novi generis, *Holocentrus* appellatur, nos ad *Percas* revocavimus, retento nomine specifico *Holocentrus*. Hic piscis ab incolis appellatur *Erou-oa*.

β) Corpore aeque lato ac varietas *α*, at corpore pallide rubicundo, abdomine flavescente. Ab incolis *Eò-oo* vocatur.

γ) Corpore angusto, tota coccinea, pulcre rubet. Ab incolis *Eehèe-ee* vocatur. (*)

δ) Corpore latiore, oculis amplis, rostro vicinis; ore simo emarginato, maxillis utrisque dentibus extrorsum pro-

(*) *Holocentrum tiere* Cuv. Val.? III. p. 151.

stantibus, praecipue in rostri apice utrimque per fasciculas tuberculatis, nec ullis magnis aculeis in operculis conspicuis, verum acute serratis operculis notabilis.

Membr. br. rad. 6. P. dors. rad. $10\frac{1}{14}$. P. pect. rad. 14. P. ventr. rad. $\frac{1}{7}$. P. anal. rad. $\frac{3}{16}$. P. caud. rad. $\frac{5}{4}\}21$.

Corpus oblongum, catheto-plateum, squamosum, colore ex argenteo-rubicundo, punctis rubris per lineas in trunco dispositis notatum, 6 vel 7 unciarum.

Caput descendens, subacutum, catheto-plateum, mediocre, squamosum, aculeatum. Os rictu terminali, obliquo, subarcuato, mediocri. Rostrum apice emarginatum, deflexum, plano depressum, mediocre. Maxillae denticulatae, terminales, mediocres, emarginatae; superior extractilis. Dentes in utraque maxilla, palato et faucibus, acerosi, minimi, conferti. Lingua subacuta, libera. Palatum denticulatum. Nares solitariae utrimque, postremae remotae, amplae, subtrigonae. Oculi superi, medii, convexi, orbiculati, ampli, semitecti membrana nictitante annulari; pupilla nigra, iride rubra. Orbitis circa oculos subtus et postice extrorsum, argutis acutis serraturis. Frons plano-depressa, scrobiculo inter frontem et rostrum, serraturis acutis et sulcis postice exarata. Opercula branchialia triphylla, subossea, squamosa, striata. Lamina antica infra e regione pinnae pectoralis aculeo unico, valido; postica aculeis duobus et serraturis acutis cincta; inferior acute serrata. Membrana branchiostega sexradiata, tecta, lateralis. Apertura branchialis lateralis et gularis repanda, ampla, operculata. Branchiae vicinae, operculatae, simplices, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula sulcata. Dorsum monopterygium, convexum, arcuatum, ad caudam abruptum. Thorax et abdomen fere plana. Linea lateralis supera, parallela, arcuata, curva, mutica. Anus remotus. Cauda compressa. Squamae imbricatae, semiorbiculatae, tenaces, flexiles, amplae, serratae.

Pinna dorsalis composita, sublongitudinalis, coalita; prima arcuata, aculeis 11, in fossula recondenda; secunda declinata, coalita priori, squamis basi tecta, radiis 13 dichotomis. Pinnae pectorales imae, breves, accuminatae supra, basi squamis tectae, radiis 14 dichotomis. Pinnae ventrales compositae, thoracicae, paulo pone pectorales positae, remotae, mediocres, spina 1, radiis 7 dichotomis. Pinna analis media, distincta, solitaria, composita, declinata, basi squamis tecta; spinis 3, prima minima, secunda brevi, tertia valida, intus sulcata (nonnunquam hae spinae sunt tectae lateribus una alterave spina), radiis 11 dichotomis. Pinna caudae bifida, composita; supra spinis imbricatis 5; infra spinis imbricatis 4; media radiis 20 dichotomis.

170. *Perca fulva.* (*)

(Fig. pict. G.)

Perca pinnis dorsalibus unitis, cauda lunata, corpore fulvo-rubescente, lamina operculi ima tuberculata.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee.

Corpus oblongo-ovatum, squamosum, fulvum; abdomine et operculo inferiore rubescente.

Caput amplum, squamosum, declive. Os rictu terminali obliquo, subarcuato, amplo. Rostrum obtusum, flexuosum, ab oculis descendens, circa labia elevatum. Maxillae labiatae, dentatae, subaequales, mediocres; superiore mobili. Labium superius duplex. Dentes in maxillis, palato, faucibus; 4 antici supra remoti, incurvi, magni, reliqui minores in eodem ordine; post hunc ordinem dentium plurimi, minuti, acerosi, conferti; infra antici minores, reliqui eiusdem ordinis maiores remoti; post eos plurimi,

(*) *Holocentrus fulvus* Bl. Schn. p. 318. *Diacope fulva* Cuv. Val. III. p. 329.

minuti, acerosi, conferti. Lingua parva, obtusa, glabra. Palatum supra antice denticulatum. Nares mediae, remotae; anticae minores, rotundae; posticae maiores, ovales. Oculi ampli, laterales, remoti, medii, convexi, ovati, membrana annulata semitecti; pupilla nigra; iride flavo-argentea. Opercula branchialia triphylla, subossea, squamosa. Lamina antica serrata, arcuata, medio emarginata; postica appendice membranaceo acuminata; tertia ima, angusta, supra ad commissuram cum postica, tuberculo osseo notata, recipiendo intra emarginaturam laminae anticae. Membrana branchiostega 7-radiata, semipatens, gularis, ampla. Apertura branchialis lateralis, arcuata, operculata. Branchiae vicinae, operculatae, laterales, subaequales, intus tuberculatae, extus ciliatae.

Gula ventricosa. Nucha squamis minimis, ante poneque serie transversa maiorum. Dorsum arcuatum, carinatum, sulcatum, monopterygium. Abdomen tumidum. Linea lateralis curva, parallela, supera, in cauda recta. Anus submedius. Cauda compressa. Squamae imbricatae, tenaces, pone nucham una series transversa serrato-ciliata, reliquae margine integro.

Pinna dorsalis pene longitudinalis, coalita, composita, rubescens, spinosa ascendens, spinis 11 in fossula dorsi recondendis, radiata subascendens, radiis 16 dichotomis. Pinnae pectorales subinferae, breves, acuminatae supra, subfalcatae, flavae, radiis 16. Pinnae ventrales strictae, thoracicae, minores, flavae, 6-radiatae. Pinna analis media, composita; spinis 3: prima minima, secunda longiore, valida, tertia subaequali: radiata triangulata, flavo-rubens, radiis 8. Pinna caudae lunata, rubicunda, apice albomarginata, radiis 22.

171. *Scomber maculatus.* (*)

(Fig. pict. G.)

Scomber pinnulis decem subunitis, spinis dorsalibus sex.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee et adiacentes.

Corpus catheto-plateum, oblongo-lanceolatum, squamosum, nitide-argenteum, maculis in lateribus infra lineam lateralem circiter 5 nigris, irregularibus.

Caput catheto-plateum, acutiusculum, declive, corpore angustius, glabrum, alepidotum, cute communi argentea tectum. Os rictu obliquo, transversali, mediocri. Rostrum brevissimum, obtusum, declive. Maxillae nudae, dentatae, aequales, mobiles. Dentes in maxillis, palato, fauce, lingua; in maxilla ordinati, ordinibus circiter tribus, minuti, acerosi, inflexi, subaequales; caeteri minutissimi. Lingua carnosa, ovata, annexa, supra scabra denticulis. Palatum denticulatum. Nares geminae utrimque, distantes, supremae, mediae inter oculos et rostrum, ovatae, anticae triplo maiores. Oculi supremi, mediores, orbiculati; irides fulvo-argenteae. Opercula branchialia diphylla, arcuata, libera, laevia, alepidota, flexilia. Membrana branchiostega tecta, septemradiata, gularis. Apertura branchialis lateralis et gularis, arcuata, operculata. Branchiae operculatae, laterales, extus ciliatae, intus supremae radiis osseis pectinatae, reliquae tuberculatae.

Thorax lateribus compressus, subtus planiusculus. Dorsum convexum, subcarinatum, monopterygium. Latera parum convexa. Abdomen rectum, planiusculum. Linea lateralis antice supera, inde undulata, versus caudam media, recta, laevis, nigra, mutica. Anus anticus. Cauda teretiuscula, apice catheto-platea, dilatata. Squamae minutae, lanceolato-rhomboideae, cute communi tectae.

(*) *Scomber Forsteri* Bl. Schn. p. 26. *Chorinemus Commersonianus* Cuv. et Val. VIII. p. 272.

Spinae sex depressae, oblongae, obtusae, in dorsi parte antica positae, postice annexae membranulae in fossulam deprimendae, anterioribus spinis minoribus.

Pinna dorsi decemradiata, in medio dorsi; radio primo simplici brevissimo; secundo reliquis longiore; caeteris sensim decrescentibus, dichotomis. Pinnulae spuriae undecim, membranulis brevissimis inter se et cum pinna dorsi connexae, mediocres, ultima falcata. Pinnae pectorales submediae, parvae, ovatae, radiis 16 dichotomis, inferioribus sensim brevioribus. Pinnae ventrales thoracicae, approximatae, lateribus abdominis adnatae, triangulares, albae, in fossula appressae, rigidae, radiis 5 dichotomis. Spinae abdominales duae, rigidae, remotae ab invicem et a pinna anali, in fossula abdominis appressae, cum pinna non connexae. Pinna analis opposita pinn. dors. eique similis et aequalis, octoradiata, radio primo brevissimo, simplici, caeteris dichotomis. Pinnulae spuriae undecim, membranulis inter se et cum pinna ani connexae, ultima falcata. Pinna caudae bifurca, radiis circiter 24.

Mensura.

Longitudo totius piscis circiter .... 24 unc.

172. *Esox argenteus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Esox maxilla superiore longiore, pinna in medio dorsi, pinnae pectorales ventralesque subiacent squamae strictae; membrana branchiostega 14-radiata.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee; incolis vocatur *Mòhee*.

Corpus teres elongatum, squamosum, argenteum.

Caput plagio-plateum, cuneiforme, subtetragonum, me-

(*) *Synodus argenteus* Bl. Schn. p. 398.

diocre, alepidotum, glabrum. Os rictu infero, subobliquo, parvo. Rostrum obtusum, declive, fronte plana. Maxillae inferae, superiore longiore. Labia nulla. Dentes in maxillis, lingua et palato. In maxillis et antica palati minuti, acerosi, conferti. Lingua antice candida, obtusa, annexa frenulo, postice dentata; dentibus granulosis, rotundis. Palatum antice denticulatum, dein medio profunde longitudinaliter sulcatum, pro recipienda lingua, postice dentibus granulosis obsitum in sulco et ad latera sulci. Nares mediae, ovatae, marginatae, solitariae utrimque, in scrobiculo ad extremitatem sulci a regione superciliorum descendente. Oculi superi, remoti, plani, rotundi, magni; pupilla nigra; iride flava. Opercula branchialia triphylla, flexilia, glabra, argentea, libera, nuda. Membrana branchiostega patens, infera, inserta gulae sub foramine semilunato, radiis 13 vel 14. Apertura branchialis ampla, lateralis et gularis arcuata, operculata. Branchiae vicinae, operculatae, simplices, extus ciliatae, intus tuberculatae.

Gula plana, pone aperturam transversalem semilunatam, in os se aperientem. Dorsum convexum, monopterygium, vix arcuatum. Abdomen planum. Linea lateralis recta, submedia, mutica. Anus remotus. Cauda teres. Squamae imbricatae, semiorbiculatae, antice rotundatae, postice truncatae, subtrilobae, flexiles, glabrae, amplae, antice margine membranaceo, ciliato.

Pinna dorsalis media, declinata, radiis 14 vel 15 dichotomis. Pinnae pectorales imae, breves, supra acuminatae, radiis 16 dichotomis. Pinnae ventrales abdominales, remotae, mediocres, radiis 11 dichotomis. Hae pinnae et pectorales sunt basi flavae et supra eas adiacet squama ampla, lateralis, trigona, stricta. Pinna analis postica, caudae proxima, solitaria, subaequalis, radiis 6 dichotomis. Pinna caudae bifurca, radiis 22 vel 24 dichotomis.

173. *Mugil cirrhostomus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Mugil labiis cirrhoso-villosis, radiis branchiostegis 5.

Conf. Forskål Faun. orientalis *Mugil crenilabris* var. *c. Our* dicta p. 73. et 74.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee.

Corpus elongatum, lanceolatum, squamosum, glabrum, argenteum. Dorsum plumbeum, squamae reflexae vittas quasi fuscescentes in lateribus formant; macula nigra ad basin pinnae pectoralis et nucham.

Caput obtusum, plagioplateum, mediocre, squamosum. Os rictu terminali, flexuoso, mediocri. Rostrum obtusum, plagioplateum, subrectum, breve. Labium superius amplum, carnosum, circa rictum cirrhis seu villis confertissimis, reflexis, apice scabritie villosa fimbriatis; inferius introrsum carinatum. Ossicula tuberculata ad carinam et imum rictum. Maxilla superior extractilis, utraque edentula, ampla. Lingua vix ulla, apice scabra denticulis minutissimis, confertis. Palatum glabrum, edentulum. Nares geminae utrimque, mediae, remotae; anticae ovatae, parvae, posticae transversim oblongae, amplae. Oculi supremi, remoti, rostro orique vicini, convexi, globosi, ampli, membrana annulari semitecti; pupilla nigra; iride argentea. Opercula branchialia squamosa, subossea, libera, glabra, argentea. Membrana branchiostega 5-radiata, tecta, gularis, ampla. Apertura branchialis gularis et lateralis, arcuata, ampla, operculata. Branchiae 4 vicinae, aequales, extus ciliatae, intus tuberculatae.

Gula operculis condita. Dorsum rectum, dipterygium, convexum. Thorax et abdomen plano-convexa. Linea lateralis oblitterata. Anus posticus, amplus. Cauda compressa. Squamae imbricatae, flexiles, amplae, glabrae, semi-

(*) *Mugil cirrhostomus* Bl. Schn. p. 121. Cuv. Val. XI. p. 127.

orbiculatae; antice rotundae, membrana marginatae; postice truncatae.

Pinnae dorsales: prima 4-spinosa, media, declinata; secunda 9-radiata, arcuata introrsum. Pinnae pectorales superae, mediocres, subfalcatae, radiis 16 dichotomis. Pinnae ventrales abdominales declinatae, subapproximatae, radiis 5 dichotomis. Pinnae pect. et ventr. habent adiacentem supra squamam lateralem, trigonam, strictam. Pinna analis postica, arcuata introrsum, radiis 9 dichotomis. Pinna caudae bifurca, radiis circiter 17 dichotomis. Pinnae omnes, exceptis ventralibus, fusco-plumbeae.

Mensurae.

Longitudo totius piscis.. 19 unc.

174. *Scomber Hippos* Linn. F. (*)

(Fig. picta G.)

Scomber pinnulis unitis, operculis postice macula nigra.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee, capitur hamo e testa Chamae margaritiferae facta: saepe ultra 80 libras pendet, non ingratus cibus. Etsi hic piscis iam a Linnaeo sit breviter descriptus, id tamen non supervacaneum duxi, heic dare multo ampliorem eiusdem descriptionem, simul et figuram delineandam curavi, quibus in tanta farragine animalium et plantarum eiusdem generis vel classis, mox non carere potuerimus.

Corpus ovato-lanceolatum, catheto-plateum, squamosum, argenteum.

Caput subobtusum, declive, eiusdem latitudinis cum corpore, glabrum, squamosum. Os rictu subobliquo, simo, mediocri. Rostrum obtusum, breve, deflexum. Maxillae nudae, dentatae, mediocres, terminales, superae, mobiles;

(*) *Scomber carangus?* Bl. Schn. p. 28. *Caranx Forsteri* Cuv. Val. IX. p. 81.

superiore fornicata; inferiore paulo longiore. Dentes in maxillis, palato, lingua et fauce; in maxilla inferiore utrimque duo maiores, reliqui acuti, retroflexi, aequales, immobiles, simplici serie. Lingua obtusa, annexa, aspera denticulis minimis confertis. Palatum asperum denticulis confertis per duos ordines dispositis. Ossicula palati dentibus validis instructa. Nares geminae utrimque, distantes, postremae, paribus vicinis, ovato-oblongis, subaequalibus. Oculi submedii, ampli, convexi, subglobosi, semitecti membrana annulari; pupilla nigra; iris rubicunda.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, subarcuata, libera, glabra, squamosa, squamis minimis, ad nucham macula utrimque nigra. Membrana branchiostega 7-radiata, tecta, gularis. Apertura branchialis lateralis et gularis, ampla, arcuata, operculata. Branchiae operculatae, sublaterales, arcuatae, amplae, ossiculis palati et linguae adnatae, extus ciliatae, intus tuberculatae.

Thorax subtus planus, lateribus compressus. Dorsum dipterygium, convexum, carinatum. Latera medio convexa. Abdomen rectum, planum. Linea lateralis antice supera, parallela, medio valde declinata, post anum media, recta, carinata, aculeata, aculeis scutatis, versus caudam inclinatis. Anus medius. Cauda carinata, apice dilatata. Squamae parvae, tenaces, subrotundae, argenteae, imbricatae, cute communi tectae.

Pinnae dorsales: prima spinis 7, prima breviore, secunda longa, reliquis decrescentibus, omnibus membrana hyalino-fusca connexis, inque fossula recondendis; haec pinna scapularis. Secunda pinna lumbaris, radiis longis, decrescentibus: radii primum dichotomi, dein pinnulae spuriae connatae fuscae, omnes simul 21, pinnulae spuriae subaequales; omnes ex parte intra parva folia squamosa recondendae. Pinnae pectorales submediae, argenteae, mediocres, falcatae, radiis 22, superis simplicibus, imis dicho-

tomis; pone pinnam fossula in thorace. Pinnae ventrales thoracicae, approximatae, lateribus abdominis adnatae membrana, breves, rigidae, in fossula appressae, argenteae, sexradiatae. Pinna analis: ante eam spinae breves 2 (*), remotae a pinna anali; radii dichotomi et pinnulae spuriae 17 connatae, lutescentes; prioribus longis decrescentibus, his vero (spuriis) subaequalibus; omnibus ex parte intra folia squamosa recondendis. Pinna caudae bifurca, fusca, radiis circiter 30.

Mensura speciminis examinati.

Longitudo totius piscis	11 unc.
Latitudo	$3\frac{1}{2}$ »

175. *Psittacus sapphirinus* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Psittacus macrourus sapphirinus, gula pectoreque candidis, rostro pedibusque sanguineis.

Planches enlum. tab. 455. fig. 2. *petite Perruche de l'isle de Taïti.*

Habitat in insula Otahaitee et adiacentibus, ab incolis appellatur *Winnee*, in altissimis Palmis Cocos nuciferae plerumque nidificat, sibilando fistulandoque garrit; victitat imprimis fructu Musae paradisiacae.

Corpus magnitudine vix *Passerem vulgarem* s. *Fringillam domesticam* exaequat.

Rostrum crassum, breve, sanguineum. Mandibula superior convexa, adunca, sub apice denticulo minimo notata, basi cera sanguinea, nuda; inferior rectiuscula, integra, superiore multo brevior. Nares subrotundae, ad basin rostri in cera positae. Rictus mediocris. Lingua car-

---

(*) In Linnaei Syst. ed. XII. errore forte typographico, spinae ante analem sunt 22 loco 2.

(**) *Ps. taitianus* Lin. Gm. Lath.

nosa, teres, os explens, apice tecta setis, seu papillis filiformibus numerosis Oculi medii, parvi; iride sanguinea?

Pedes scansorii, sanguinei; femora tecta; tibiae teretes, brevissimae; digiti duo antici, horum interior minor, duo postici, interiore omnium minimo. Ungues breves, tenues, compressi, curvi, atri.

Caput, cervix, dorsum, uropygium, abdomen et crissum pulcherrime cyaneo-sapphirina.

Gula, iugulum et pectus anterius candida in mare; at feminae gula tantum candida et iugulum cinereum.

Alae coerulescenti-nigrae, pennis margine sapphirinis. Remiges longae, complicatae fere extremam caudam exaequant. Cauda rotundata, longitudine truncum aequat. Rectrices 12 fuscae, margine sapphirinae.

176. *Procellaria antarctica* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Procellaria fusca, subtus candida; fascia alarum, uropygio rectricibusque candidis, pedibus glaucis.

Hanc Procellariam hocce anno uti et antecedente, semper in vicinia glaciei usque in circulum antarcticum, ad gradum 58 lat. austr. videram, nec unquam ullam examinare curatius et describere potui (**); at hoc anno duae huius speciei aves necatae fuere.

Corpus magnitudine *Procellariam capensem* L. superat.

Rostrum basi depressum teretiusculum, versus apicem compressum, declive, fere longitudine capitis, nigro-olivaceum. Mandibula superior apice adunca, sulco exarata obliquo a narium tubo ad initium curvaturae; inferior subtrigona, sulcata, recta, apice ascendente, canaliculato, compresso. Rictus amplus, rectiusculus. Lingua lanceo-

(*) *P. antarctica* Lin. Gm. Lath.

(**) Vide supra p. 60. §. 72.

lata, laevis, acuta, apice libero, medio frenulata. Nares connatae in tubum subcylindricum, depressum, dorso rostri impositum, truncatum; septum dividit tubum, rostro dimidio breviorem. Oculi medii; irides brunneae.

Pedes tridactyli, palmati, cinereo-glauci; femora subcompressa, fere tota tecta; tibiae breves, subcompressae; digiti tres membrana natatoria connexi, horum interior brevior longitudine tibiae. Ungues parvi, fusci, parum incurvi, submarginati, intermedio maiore. Unguis brevis, rectus, conicus, sessilis, loco digiti postici.

Caput, gula, cervix brunneo-fusca, circa rostrum pallidiora.

Dorsum apicesque rectricum saturate-fusca.

Pectus, abdomen, uropygium et crissum candida immaculata.

Remiges primores sex longissimi; lamina exteriore et apice fuscae, interiore candidae; secundariae 17 candidae, apice fuscae; primoribus triplo breviores. Tectrices primariae totae candidae; secundariae fuscae, apice candidae. Reliqua alae supra fusco-brunnea sunt; subtus tota alba, praeter marginem anticum fuscum ab exortu alae ad alulam. Cauda mediocris. Remiges 12, aequales, candidae, apice nigro-fuscae.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	16 unc.
» » » » unguem digiti medii	15 $\frac{1}{2}$ »
Alae expansae	37 »
Rostrum ab apice in angulum faucis longum	2 »
» » » ad basin in fronte	1 $\frac{4}{10}$ »
Tibiae	1 $\frac{8}{10}$ »
Digitus medius absque ungue	2 »
Unguis medius	$\frac{4}{10}$ »

177. *Procellaria inexpectata* F. (*)

(Fig. picta G.)

Procellaria supra abdomineque nigricanti-cinerea, subtus candida, rostro digitisque nigris, tibiis superciliisque albis.

Habitat in Oceano antarctico cum antecedente; et necata inexpectatum nobis gaudium dedit novae speciei, ante nunquam visae. At post, iam meliora docti, eam a reliquis facile distinguere potuimus, et plures sunt visae navem circumvolitare.

Corpus magnitudine circiter *Procellariae capensis* L. vel paulo minor.

Rostrum compressum, atrum, fere longitudine capitis. Mandibulae: superior apice adunca, duplici sulco a naribus oblique ante curvaturam rostri ducto; inferior rectiuscula, subascendens, apice compresso, canaliculato. Nares septo distinctae, connatae in tubum brevem, cylindrico-depressum, emarginato-truncatum. Rictus amplus. Lingua carnosa, medio frenulata, apice libera, lanceolata, acuta, marginibus retrorsum serratis. Palatum tribus ordinibus serraturarum retrorsum flexarum. Oculi medii; irides fuscae.

Pedes tridactyli, palmati; femora tecta; tibiae breves, compressiusculae, albae. Digiti 3 antici membrana natatoria connexi, extimo toto nigro, reliquis articulo primo albo, membrana basi alba, caeterum atra. Digitus interior longitudine tibiae. Ungues atri, parvi, tenues, parum incurvi. Unguis brevissimus, ater, conicus, sessilis, loco digiti postici.

(*) Inter species huius generis a Kuhlio et Lathamo recensitas nullam video praeter *P. griseam* Gmelini, quae descriptioni huic Forsterianae respondeat. Conferantur modo, quae Kuhlius de caudae forma, remigum longitudine et pedum pictura perhibet cum Lathami descriptione in synopsi et indice, praesertim ubi de specimine Leveriano (mento juguloque candidis insigni) loquitur. *P. melanopus* Gmel. et Lath. fortasse nonnisi aetate a *P. grisea* differt.

Pileus, genae, collum, dorsum, uropygium, alae et rectrices nigro-cinerea.

Abdomen cinereum, pennis albis apice cinereis.

Gula, iugulum, pectus candida. Crissum album, fasciis raris fuscis undulatum.

Alae longissimae. Remiges primores 10, extima longissima, reliquis sensim minoribus; secundariae 18, lamina exteriore et apice nigro-cinereis, interiore albis. Alae subtus albae, fascia fusca obliqua, ab alula ad angulum posticum cubiti. Cauda mediocris, rotundata. Rectrices 12 totae cinereae, rachi brunnea, intermediae binae paulo longiores, laterales sensim breviores.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	13	unc.
» » » » » unguis digiti medii.	$12\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	30	»
Rostrum ab apice ad basin in fronte	$1\frac{1}{10}$	»
Tibiae	$1\frac{1}{10}$	»
Digitus medius absque ungue	$1\frac{1}{2}$	»
Unguis medius	$\frac{3}{10}$	»

178. *Procellaria tristis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Procellaria fuliginosa, rostro fusco, pedibus antice glaucis.

Habitat in Oceano antarctico in lat. 48° et ultra in austrum.

Corpus magnitudine circiter *Corvi frugilegi* L.

Rostrum vix longitudine capitis, compressum, gracile, apice utraque mandibula arcuata. Mandibula superior sulco a naribus obliquo, desinente ante curvaturam rostri; inferior sulco parallelo, coerulescens. Nares superae, di-

---

(*) *Proc. cinerea* Linn. Gmel. Lath. Kuhl? Species antarcticae omnes denuo examinandae, earumque synonyma eruenda.

stinctae, tubulosae, longitudine $\frac{1}{4}$ rostri, apice oblique truncatae, apertura ovali. Lingua brevis, lanceolata, acuta, marginibus postice retrorsum serratis. Palatum triplice serie retrorsum carinato-serratum. Oculi submedii; iride fusca.

Pedes tridactyli, natatorii; femora tecta; genua nuda; tibiae antice coerulescentes, postice fusco-fuliginosae; membrana utrimque ad digitos interiorem et exteriorem decurrens. Ungues parum incurvi, coerulescentes. Unguis brevis, niger, conicus, sessilis, loco digiti postici.

Corpus fuliginosum totum. Remiges extus atrae, intus fuscae. Remex extima longissima, 1-10 sensim decrescentes; reliquae multo breviores. Tectrices subtus albae, rachi nigra. Rectrices 12 atrae, cauda rotundata.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	$17\frac{1}{2}$	unc.
» » » » extremum unguis digiti medii	$18\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	38	»
Rostrum longum	2	»
» latum (transversim)	$\frac{1}{2}$	»
» profundum s. crassum (deorsum)	$\frac{3}{4}$	»

179. *Procellaria leucocephala* F. (*)

(Fig. picta G.)

Procellaria dorso cinerea, capite subtusque candida, remigibus fusco-nigris, pedibus pallidis, apice nigris.

Habitat in Oceano pacifico australi a Novae Hollandiae vicinia usque in promontorium Hornanum, vix ultra 40° in boream visa. Vocaveram eandem antea in Diario *New Holland Shearwater*.

Corpus circiter magnitudine *Procellariae glacialis* L.

(*) *Proc. alba* Lin. Gm. Lath. sed vix nisi aetate videtur differre a *Proc. haesitata* F. infra pag. 208.

Rostrum capite brevius, validum, atrum, compressum (s. angustum), crassum (s. profundum), apice utraque mandibula adunca: superior sulco obliquo a naribus ad curvaturam apicis; inferior sulco parallelo, apice quasi infracto. Nares tubulosae, superae, septo tantum separatae, truncatae, medio emarginatae. Lingua brevis, spatulata, margine utroque postice retrorsum serrato. Palatum triplici serie carinatum, retrorsum serratum. Oculi superi; iride nigra.

Pedes tridactyli, natatorii; femora tecta; genua nuda; tibiae pallide-lividae s. coerulescenti-carneae. Digiti extrorsum et apice nigri; membrana digitos connectens, ultra dimidium nigra. Membranula decurrens utrimque ad digitum extimum et intimum. Ungues nigri extrorsum parum dilatati. Unguis brevis, niger, conicus, sessilis, loco digiti postici.

Caput cum cervice, gula, iugulo, pectore, abdomine et crisso candida. Linea per oculos nigra. Dorsum cinereum, uropygium canum,

Alae fusco-nigrae. Remiges 30, prima brevissima, 2 longior, 3 longissima, 4-10 sensim decrescunt; extus atrae, intus fusco-nigrescentes; 11-30 breves, atrae. Tectrices ultimae et penultimae nigro-canescentes. Tectrices superiores concolores, in medio series pennarum fuscarum usque ad scapulares fuscas itidem. Rectrices 12; cauda rotundata, alba, cinereo-nebulosa.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremitatem caudae	16 unc.
» » » ad extremum unguis digiti medii	17 »
Alae expansae	40 »
Rostrum longum	$1\frac{1}{2}$ »
» latum ad basin	$\frac{7}{10}$ »
» crassum	$\frac{8}{10}$ »
Pedes cum femoribus	$6\frac{1}{2}$ »
Digitus medius	$2\frac{7}{10}$ »

Ian. 10.

180. *Procellaria haesitata* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Procellaria supra cinerea, subtus candida, rostro flavescenti et nigro, pedibus coerulescentibus, palmis flavis.

Habitat in lat. 48° Oceani pacifici antarctici. Diu mecum haesitavi, an non haec Procellaria eadem esset cum *Proc. Puffino*, at magnitudo et varii characteres evincunt, hanc diversae esse speciei.

Corpus magnitudine *Proc. glacialis* vel paulo maius.

Rostrum capite brevius, compressum, apice aduncum. Mandibula superior sulco obliquo a naribus ad curvaturam apicis; inferior sulco parallelo, ante curvaturam desinente. Nares superae, tubulosae, septo distinctae, emarginatae, truncatae. Nares et pars superior mandibulae superioris nigra, apex pallide-flavus, pars inferior mandibulae superioris usque ad sulcum ab ipsa basi flavescens; pars inferior mandibulae inferioris infra sulcum flavescens, supra sulcum et apice nigricans. Lingua brevis, spatulata, marginibus postice retrorsum serratis. Palatum triplici ordine carinatum et retrorsum serratum. Oculi superi; iride nigra.

Pedes ut in congeneribus antecedentibus coerulescentes antice, postice nigri, membrana inter digitos flava.

Caput cum genis, cervice, dorso, uropygio et crisso, remigibus et rectricibus cinerea.

Gula, iugulum, pectus, abdomen candida.

Remiges 1-10 sensim decrescentes, prima longissima, nigrae: scapis basi albicantibus; reliquae 11-30 breves. Alae infra cinereae. Rectrices 12; cauda rotundata, nigra.

(*) *Proc. hasitata* Kuhl Beitr. p. 142. Temm. Pl. color. tab. 416. *Proc. alba* Auct. var. β et *Proc. leucocephala* F. Vide supra p. 206.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extrem. unguem digiti medii	20 1/4	unc.
» » » » » caudae	18	»
Alae expansae	51	»
Rostrum longum	2	»
» profundum	1	»
» latum	3/4	»
Pedes cum femoribus	7	»
Digitus medius ab ungue postico	3 1/4	»

Observ. I. Omnes postremae tres Procellariae intestinorum habent peculiarem structuram. Est nemque duplicatura in interiore parte intestinorum spiraliter excurrens: unde extus intestina videntur arte contorta, inque globulos divisa.

Observ. II. Praeterea in ventriculo eorum membranaceo, reperimus ingentem copiam rostrorum *Sepiae Loliginis*. An haec ob duritiem digeri nequeant, ideoque in ventriculo accumulentur et praeterea inserviant ad melius sustentandam famem, vel ad comminuendos ac triturandos in ventriculo cibos, declarare pro certo non ausim.

INSULAE TROPICAE ORIENTALES.

Emenso rursus ingenti spatio Maris Pacifici antarctici, ingruenteque tempestuoso mari circa aequinoctium, borealiora magisque clementia repetere coepimus climata. Vix paucas Procellarias ac Diomedeas in hoc mari observavimus. Fine Ianuarii sub 71 gradu navigantes non potuimus in austrum ulterius procedere ob ingentem glaciei copiam; tum 30. Ianuarii die, borealia repetiimus; et in dies frigus decrescere sensimus. Aves marinae navem circumvolitantes fuerunt: *Diomedea Albatrus, chrysostoma* et *palpebrata, Procellariae pelagica, capensis, glacialis, vittata, similis*; et intra antarcticum circulum *antarctica*; in vicinia vero glaciei *nivea*; dein circa gradum 50 latitudinis *inexpectata, tristis, leucocephala* et *haesitata* cum *Laro catarracte*; et *Delphino orca* et *Phocaena, Sternae candida, guttata* et duae aliae Sternarum species circa 33 gradum visae; circa 30° lat. *Phaëton aethereus* primum observatus; circa 27° lat. *Pelecanus Aquilus* et *Bassanus* primum visi fuere. Inter Pisces *Coryphaenae* et *Scombri* cum *Exocoetis* circa 31° apparuere. Denique Insula Paschalis s. Waihù d. 11. Martii visa, quae undique indubitata argumenta habet in lapidibus scoriis simillimis, quod eadem a monte ignivomo sit producta et a terrae motu exorta. Post tridui moram discessimus inde et Marchionis Mendozae Insulas petiimus, ad quarum unam Sta Christina s. Waitaho appellatam, die 8. Apr. anchoram iecimus. Haec quoque una cum Insulis S^ti^ Dominici s. Oheevaroa, S^ti^ Petri s. Onateyo, S^tae^ Magdalenae et alia boreali insula, terrae motui et ignivomo monti originem debet, ut ex lapidibus ferrumina tis, scoriaceis clarissime patet. Plures hic pisces ex Perca-

rum genere novos, *Harpuros* et *Chaetodontes* ab incolis emtos descripsimus, et vix unicam avem, quae ni fallor est sexus distinctus *Muscicapae nigrae*, et pauculas novas plantas collegimus. *Sternae* variae marinae intra rupes nidos habent. *Ardea gularis* et *Scolopax undulata* in scopulis piscantur. *Columbae pyrrhacrae* silvas inhabitant. *Mus Rattus* cum *Porcis domesticis* sola huius insulae mammalia sunt. *Pelecanus Sula* in vicinia huius insulae observatus cum *Bassano* et *Aquilo*.

INSULAE INTRA TROPICOS SITAE.

Mart. 15.

181. *Sterna guttata* F. (*)

Sterna cauda forficata, corpore fuliginoso, dorso tectricibusque albo-maculatis, pedibus nigris.

Habitat in insula Paschali s. Waihù, sub gradu 27mo latitudinis australis; plurium dierum navigatione ab insula aberamus, quum iam navem circumvolitaret; mansuetas in insula vidi et a me manu captas; incolae eas appellant *Mànu-Tàra,* Angli nautae *the spotted Noddy.*

Corpus magnitudine circiter *Sternae Hirundinis.*

Rostrum subulatum, nigrum, marginibus paululum inflexo-coarctatis. Nares lineares, perviae. Lingua subulata, rostro brevior. Oculi iride nigro-coerulea.

Pedes breves, palmati, tetradactyli, nigri. Digitus interior trium minimus, exterior reliquis longior. Ungues nigri.

Corpus omne fuliginosum; abdomine circa anum albicante; fronte fusco-cinerea.

(*) Species affinis *St. panayensi* Auct., apud nos sub nomine *St. infuscatae* distincta. Differt nempe magnitudine et pictura. Quod autem Forsterus h. l. describit specimen maculis albis guttatum, nil est nisi iunioris avis ptilosis hornotina.

Remiges 26; rectrices 12 atrae; cauda forficata. Rachides supra atrae, subtus albae.

Dorsum et tectrices alarum supra nigra, apicibus albis. Tectrices subtus cinerascentes.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	14	unc.
» » » » » remigem (alis complicatis)	16	»
» » » ad angulum faucis	2	»
» » » in frontem	$1\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	36	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{3}{4}$	»
» nudi	$2\frac{3}{4}$	»
Cauda	$5\frac{1}{2}$	»

HARPURUS. (*)

Piscis Thoracicus Acanthopterygius.

Corpus ovatum, cathetoplateum, squamosum.

Caput descensu praecipiti. Rostrum elongatum terminale. Dentes in utraque maxilla, contigui, planiusculi, aequales (nec setacei), rigidi, unius ordinis. Apertura branchialis lateralis.

Pinnae dorsalis et analis longitudinales, fere semper pictae et nudae (nec carnosae ac adeo squamosae ut in Chaetodonte).

Spinae laterales ad caudam, utrimque una vel plures.

Membrana branchiostega radiis 4 s. 5. Hocce novum genus, cuius unicam speciem Hasselquistius viderat Cairi, ex mari rubro allatam, et quarum duas Artedius inter *Chaetodontes* retulerat, ab iisdem utique segregandum videtur; sunt enim hisce nostris piscibus dentes minime setacei, flexiles, confertissimi, numerosissimi; verum uno

(*) Novum genus a Forstero conditum, prius a Forskålio (Faun. or. p. 59) sub nomine ACANTHURUS *Chaetodontum* generi, quasi tribus, subiunctum. - Iure meritoque nomen vetustius generi haesit.

ordine dispositi, planiusculi, apice truncati, contigui, aequales. Dein est et huic generi character constans in spinis lateralibus ad caudam, quae in quibusdam utrimque est singula, mobilis, intra rimulam longitudinalem retractilis, et pro lubitu expansilis; in aliis vero adsunt duo utrimque aculei falcati, immobiles, validi, unus ante alterum sub linea laterali caudae infixi, basi expansa, lata, robusta, unde et huic generi ob hasce falces, nomen *Harpuri* dedi: adeo ut hoc genus satis superque a Chaetodontibus sit distinctum. Cel. Linnaeus male in *Chaetodonte nigricante* Hasselquistii Chaetodontem maris rubri pro synonymo exhibuerat, nos vero eiusdem descriptionem vidimus optime quadrare in nostrum *Harpurum lituratum*. Descriptio Artediani *Chaetodontis nigricantis* est prorsus eadem cum nostro *Harpuro nigricante*. *Chaetodon lineatus* nobis est *Harpurus lineatus*. In Sebae Thesauro tom. III. tab. 25. fig. 1. *lineatus*, fig. 2 et 3. *nigricans* exhibentur, sed sine spina laterali, quam tamen Artedius notaverat. Denique et quartam speciem vidimus *Harpuro liturato* simillimam et cornu in fronte notabilem, unde *Harpurum Monocerotem* appellavimus.

Apertura branchialis in hoc *Harpuri* genere est lateralis tantum et admodum parva; quod non ita se habet in Chaetodontibus, quorum apertura branchialis a lateribus in gulam usque extenditur. *Harpuri* genus Balistes ex amphibiis cum Chaetodontibus connectit.

Alius praeterea character huic generi proprius est, quod non habeant pinnas dorsales et anales carnosas et squamosas uti Chaetodontes, verum plane membranaceas, anticis tantum spinosis radiis pinnae dorsalis.

HARPURI spinis lateralibus ad caudam:

a) expansilibus

1.	*Harpurus nigricans*	Chaetodontes Linnaeani	*Chaetodon nigricans*
2.	» *lineatus*		» *lineatus*
3.	» *fasciatus*		» *triostegus*

4. *Harpurus guttatus*
5. » *paroticus*, vide §. 163. pag. 183.

b) immobilibus falcatis

6. *Harpurus lituratus*
7. » *Monoceros*
8. » *Teuthis*, Linn. Syst. p. 507.
9. *Ikan Maruke*, Valentyn Ind. Tom. III. P. I. nro. 77.
10. » *Biru Langit-Matanja*, ibid. nro. 404.
11. » *Uma*, ibid. nro. 119.

Teuthis Hepatus Linn. Syst. p. 507. certe ad Harpuros spectat, et apud Valentyn Ind. Tom. III. P. I. nro. 77. *Ikan Maruke* et nro. 404. *Ikan Biru Langit-Matanja* sunt certe Harpuri, at novae a nostris distinctae species, item nro. 119. *Ikan Uma*.

Vidimus et examinavimus dein duas alias species *Harpuri* nempe *fasciatum*, quem Linnaeus inter *Chaetodontes* enumerat et *triostegum* appellat, et alium fuscum punctis coeruleis aspersum, unde eum *guttatum* vocavimus; denique etiam piscem observavimus rite inter Harpuros nominandum, at quod destituatur spina cauda laterali, eum *inermem* appellavimus, insueto vocabulo; at habemus in hac insolita appellatione praeeuntem nobis clarissimum Pallas, qui *Gymnotum notopterum* contraria prorsus appellatione nobis dedit.

182. (1.) *Harpurus nigricans* F. (*)

(Fig. pict. F. et G.)

Harpurus cauda subfalcata, spinis dorsalibus 8, caudalique utrimque recumbente mobili, macula suboculari rhombea alba.

(*) *Acanthurus nigricans* Bl. Schn. p. 211. *Ac. glaucopareius* Cuv. Val. X. p. 190.

Linn. Syst. p. 462. nro. 10. *Chaetodon nigricans.*

Arted. spec. 90. Chaetodon nigrescens, cauda albescente aequali utrimque aculeata.

Seb. Mus. tom. III. tab. 25. fig. 2 et 3.

Acanthurus Forskål Faun. Orient. p. 64. *Chaetodon nigrofuscus.*

Teuthis Hepatus Linn. Syst. p. 507.

Habitat in mari alluente insulas Maris Pacifici Tropicas, et Otahaitensibus appellatur *Màito*, reperitur etiam ad insulam S[tae] Helenae Maris Atlantici.

Corpus ovatum, cathetoplateum, squamosum, atrum.

Caput obtusum, rostratum, descensu praecipiti, squamosum. Os rictu parvo, obliquo, rostrato. Rostrum mediocre, deflexum. Maxillae parvae, labiatae, denticulatae, mobiles, terminales, inferae. Dentes in utraque maxilla, minuti, aequales, apice truncati serratique, planiusculi, rigidi, unius ordinis; in palato nulli. Lingua nulla. Nares geminae, postremae, remotae, vicinae, ovales, anticae maiores. Oculi supremi, postici, vicini, protuberantes, globosi, semitecti membrana annulata; pupilla nigra; iris fusca, margine interiore aureo.

Opercula branchialia diphylla, flexilia, subarcuata, squamosa, parva. Membrana branchiostega quinqueradiata, vix patens, lateralis. Apertura branchialis lateralis arcuata, parva, operculata. Branchiae laterales, retroactae, operculatae, pectinatae extrorsum, aculeatae introrsum. Labia membranacea, mobilia.

Gula minima. Thorax amplus, subventricosus, arcuatus.

Dorsum monopterygium, arcuatum. Linea lateralis suprema, curva, descendens, obliterata, laevis, dorso subparallela, in cauda recta. Anus medius, amplus, flavus. Cauda compressa, muricata spina valida, flava, antrorsum apice spectante, recondita intra rimulam longitudinalem, iterumque horizontaliter expansili. Squamae imbricatae, sub-

trigonae, minntae, confertae, serrato-ciliatae. Macula alba rhombea sub oculis utrimque et fascia alba, rostrum fere cingens.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, arcuata, adscendens, vix squamosa inter radios; tota fusca, margine extimo coeruleo, interiore ad dorsum linea flava, postice dilatata in pinna in maculam subcaudalem, spinis 8, radiis 31 dichotomis. Pinnae pectorales inferae, mediocres, subtrigonae, atrae, radiis dichotomis 16. Pinnae ventrales thoracicae, approximatae, divaricatae, rotundatae, mediocres, atrae, margine antico et postico coeruleo, spina 1 brevi, radiis dichotomis 5. Pinna analis longitudinalis, composita, arcuata, adscendens, vix squamosa inter radios; tota fusca, margine extimo coeruleo, interiore ad abdomen linea flava, postice in pinna dilatata in maculam subcaudalem, spinis 2, radiis dichotomis 19. Pinna caudalis integra, lateribus subfalcatis, alba, ante apicem flavo fasciata; radiis dichotomis 12 et simplicibus adminiculis utrimque 5.

183. (2.) *Harpurus lineatus.* (*)

Harpurus cauda bifida, spinis dorsalibus 9, caudalique utrimque recumbente, mobili; lateribus lineis notatis.

Linn. Syst. p. 463. nro. 12. *Chaetodon lineatus.*

Arted. spec. 89. Chaetodon lineis longitudinalibus varius, cauda bifurca, utrimque aculeata.

Seb. Mus. tom. III. tab. 25. fig. 1.

Acanthurus Forskål Faun. Orient. p. 63. *Chaetodon Sohal.*

Habitat in Indiis.

184. (3.) *Harpurus fasciatus* F. (**)

Harpurus cauda subfalcata, spinis dorsalibus 9, caudalique utrimque recumbente mobili, fasciis 6 nigris.

(*) *Acanthurus lineatus* Bl. Schn. p. 214. Cuv. et Val. X. p. 223.

(**) *Chaetodon triostegus* Brouss. *Acanthurus triostegus* Bl. Schn. p. 215. Cuv. Val. XI. p. 197.

Linn. Syst. p. 463. n. 13. *Chaetodon triostegus*, Mus. Ad. Frid. II. p. 70.

Brown Iam. p. 454.

Seba Mus. III. p. 65. tab. 25. fig. 4.

Sloan Iam. II. p. 290. tab. 251. fig. 4. Raj. pisc. p. 12.

Habitat in mari alluente insulam Huaheine, ubi ab incolis appellatur *Manìnnee*. Linnaeus in hoc et congeneribus piscibus non observavit pinnas dorsalem analemque squamosas et carnosas, haec enim in Chaetodontibus tantum occurrunt; nullum vero specimen *Harpuri* unquam alias pinnas anales dorsalesque habuit, quam membranaceas, nec in eis desunt spinae; noster *Harpurus* quoque habet dentes plane diversos ab eis, quos in Chaetodontibus reperimus: praeterea in speciminibus a nobis examinatis, semper plures quam tres radios membranae branchiostegae obvios habuimus scil. quatuor; at infimus erat minimus, unde et nolui nomen specificum *triostegi* retinere, sed potius in *fasciatus* mutandum censui.

Corpus cinereum, abdomen imum album; fasciae sex nigrae transversae, prima obliqua per oculos transit, ultima per caudam obsoleta.

Dentes ut in congeneribus, minuti, aequales, apice truncati serratique, planiusculi, rigidi, unius ordinis. Irides oculorum subluteae.

Membrana branchiostega radiis 4, inferiore minimo. Spina in cauda, apice antrorsum spectans, recondita in fossula, expansilis, fusco-cinerea.

Pinna dorsalis subaequalis, nuda, fusco-cinerea, radiis 9 spinosis, 24 dichotomis. Pinnae pectorales fusco-cinereae, ad basin macula nigra, radiis 14. Pinnae ventrales thoracicae, approximatae, albae, spina unica, radiis 5 dichotomis. Pinna analis fusco-cinerea, margine extimo albo, nudae; spinis 3, radiis 21. Pinna caudae vix falcata, radiis circiter 18.

185. (4.) *Harpurus guttatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Harpurus cauda lunata, spinis dorsalibus — ? aculeo caudali utrimque recumbente mobili, parte postica guttata.

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee; incolis *Pa-à-a.*

Corpus et reliqua ut in congeneribus, olivaceo-fusco colore, aspersum maculis seu guttis coeruleo-albis; irides flavae.

Conferatur hoc loco descriptio *Harpuri parotici* (§. 163. p. 183.), quae 5ta est species ex schemate p. 213. praemisso.

186. (6.) *Harpurus lituratus* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Harpurus cauda bifida, spinis dorsalibus 6, aculeis caudalibus falcatis fixis, utrimque duobus.

Hasselquist. itin. p. 332. Chaetodon (maris rubri) aculeis in utroque latere ad caudam duobus.

Habitat in mari alluente Otahaitee insulam et in mari rubro; ab incolis Otahaitensibus appellatur *Eparaha.*

Hasselquistii descriptio optima, et completa, nec ei quicquam praeter colores deest, quos in specimine sicco frustra quaesierit.

Piscis totus ater. Linea elliptica utrimque capitis, pinna pectoralis et margo exterior caudae viridia; os et labia, aculei falcati cum basibus scutiformibus quibus corpori affiguntur et pinna anali flava; margo interior et extimus pinnarum dorsalium et analis coeruleus.

(*) *Acanthurus guttatus* Bl. Schn. p. 215. Cuv. et Val. X. p. 195.

(**) *Acanthurus lituratus* Bl. Schn. p. 219. *Naseus lituratus* Cuv. Val. X. p. 282.

187. (7.) *Harpurus Monoceros* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Harpurus cauda bifida, spinis dorsalibus 6, aculeis caudalibus falcatis fixis utrimque duobus, cornu inter oculos porrecto.

Acanthurus Forsk. Faun. orient. p. 63. Chaetodon unicornis.

Conf. Piscis Monoceros e Mus. Soc. Reg. ap. Willoughbejum tab. O. 4. p. 216, at desunt falces et cauda non est falcata.

Capt. Thom. Forrest found this very kind of fish at Babaayoo, an isle near Waighew, where the natives call it *Een-Raw,* the fish *Raw.*

Habitat in mari alluente ins. Otahaitee; *E-oòma* appellatur.

In omnibus simillimus *Harpuro liturato,* si exceperis cornu porrectum inter oculos, et quod sit undique viridifuscus s. nigrescens, versus abdomen et caudam lutescens, nec ullis lineis pictus, vel maculatus nisi in pinnis dorsali ac anali, quarum membrana est picta striis obliquis, anastomosantibus luteis, et margo extimus coerulescens, scutis falcium caudalium coeruleis, regio caudae lutea. Iris luteoaurea. Oculi prominuli. Linea lateralis suprema parallela. Nares sub cornu ante oculum. Labia carnosa.

Membr. branch. rad. 4. P. dors. spinis 6, rad. 29. P. pect. spina 1, rad. 16. P. ventr. spina 1, rad. 3. P. anal. spinis 2, rad. 30. P. caud. rad. 16. Cauda falcata, in quibusdam radiis extimis longissimis.

Dentes discreti, parvi, subobtusi, planiusculi.

Mensurae.

Longus a rostro ad caudam	14 unc.
Latus	$5\frac{3}{4}$ »

(*) *Monoceros biaculeatus* Bl. Schn. p. 180. *Naseus fronticornis* Cuv. Val. X. p. 259.

Caput ad apert. branch. ante pinn. pect. .... 3 unc.
A cornu ad oculum .... $1\frac{1}{4}$ »

188. *Perca maculata* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Perca pinnis dorsalibus unitis sub-ramentaceis, radiis spiuosis 11, muticis 16, cauda integra; corpore rubro, maculis coeruleis.

Perca miniata Forsk. Faun. orient. p. 41.

Habitat in mari alluente ins. S^tae^ Christinae s. Waitaho.

Corpus oblongum, cathetoplateum, squamosum, miniato-rubrum, maculis albido-coeruleis sparsis obsitum.

Caput cuneiforme corpore angustius, squamosum, declive. Os rictu terminali obliquo, arcuato. Rostrum obtusum, deflexum. Maxillae extractiles, dentatae; superiore breviore; labia simplicia, carnosa. Dentes in utraque maxilla et palato, numerosi, conferti, setacei, flexiles, acuti, plurium ordinum. Laniarii in utraque maxilla; in superiore utrimque 2, in inferiore utrimque unicus, validiusculis. Palatum denticulatum, amplum. Nares postremae, geminae, ovatae, antica minore. Oculi supremi, antici, approximati, convexi; iride rubra.

Opercula branchialia triphylla, squamosa; primo perpendiculari, ciliato-serrato; secundo supra basin p. pect. excurrente in spinas 3 planas appressas et membranam obtusiusculam; tertio infimo, parvo. Membrana branchialis 7-radiata, gularis, conspicua. Apertura branchialis gularis, arcuata, ampla. Branchiae vicinae, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum et abdomen planiuscula, hoc rectum, illud arcuatum, monopterygium. Linea lateralis parallela, su-

---

(*) *Bodianus miniatus* Bl. Schn. p. 332. *Serranus variolosus* Cuv. Val. II. p. 265.

prema. Anus medius. Squamae minutae, confertae. Cauda subcarinata, compressa.

Pinna dorsalis longitudinalis, unita, composita, ramentis brevissimis pone spinas, subaequalis, spinis 11, radiis dichotomis 16, rubra, supra spinas nigro-marginata. Pinnae pectorales rotundatae, imae, breves, rubrae, radiis dichotomis 16 s. 17. Pinnae ventrales thoracicae, compositae, rotundatae, mediocres, rubrae, spina 1, radiis dichotomis 5. Pinna analis longitudinalis, composita, rubra, spinis 3; prima brevi; secunda longiore reliquis, valida; tertia aequali; radiis muticis dichotomis 8. Pinna caudae integra, radiis 19 dichotomis.

Piscis longus 12 unc. latus $3\frac{1}{4}$ unc.

189. *Perca urodeta* F. (*)

(Fig. picta G.)

Perca pinnis dorsalibus unitis, subramentaceis, radiis spinosis 9, muticis 15. Cauda rotundata, fasciis duabus obliquis albis, corpore purpureo.

Habitat in mari alluente ins. S[tae] Christinae s. Waitaho.

Corpus oblongum, cathetoplateum, squamosum, purpureo-sanguineum. Longum 13 unc. latum $3\frac{3}{8}$ unc.

Caput cuneiforme, corpore angustius, squamosum, declive. Os rictu terminali, obliquo, arcuato. Rostrum obtusum, deflexum. Maxillae extractiles, dentatae; superiore breviore. Labia simplicia, carnosa. Dentes in utraque maxilla et palato, numerosi, conferti, setacei, flexiles, acuti, plurium ordinum, longiores quam *Percae maculatae* et *irroratae*. Laniarii in utraque maxilla, in superiore utrimque 2, in inferiore utrimque unicus, validiusculi. Pa-

(*) *Bodianus miniatus* Bl. Schn. p. 332. *Serranus urodelus* (sic) Cuv. Val. II. p. 227.

latum denticulatum, amplum. Nares postremae, geminae, ovatae, anticae minores. Oculi supremi, antici, approximati, convexi; iride purpurea.

Opercula branchialia triphylla, squamosa; primo rotundato, ciliato-serrato; secundo supra basin p. pect. excurrente in 3 spinas planas appressas, membranamque obtusam. Membrana branchialis 6-radiata, gularis, conspicua. Apertura branchialis gularis, arcuata, ampla. Branchiae vicinae, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum arcuatum, monopterygium; abdomen subventricosum; utraque planiuscula. Linea lateralis subparallela, supera. Anus posticus. Cauda subcarinata, compressa. Squamae minutae, confertae.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, unita, ascendens, purpurea, ramentis brevissimis pone spinas; spinis 9, radiis dichotomis 15. Pinnae pectorales subacuminatae, imae, mediocres, purpureae, radiis dichotomis 16. Pinnae ventrales thoracicae, rotundatae, compositae, breves, purpureae, spina 1, radiis dichotomis 5. Pinna analis longitudinalis, composita, arcuata; spinis 3: prima brevi, secunda longiore, tertia adhuc longiore; radiis dichotomis adhuc longioribus 11. Pinna caudae rotundata, purpurea, lituris duabus apice convergentibus, obliquis, margineque exteriore albis, radiis dichotomis 17.

190. *Perca irrorata* G. (*)

Perca pinnis dorsalibus unitis, radiis spinosis 11, muticis 17, cauda integra, corpore spadiceo, punctis albidis irrorato.

Perca Louti Forskål Faun. orient. p. 40.

Habitat in mari ad insulam S^tae^ Christinae s. Waitaho.

Corpus oblongum, cathetoplateum, squamosum, spadi-

(*) Cf. *Bodianus miniatus* Bl. Schn. p. 333.

ceum, punctis minutis, in quavis squamula singulo, angulato, ex coeruleo-albido irroratum, colore versus abdomen pallidiore spadiceo; versus caudam attenuatum. Longum 10 unc. latum 3 unc. Caput longitudine 3 unciarum.

Caput compressum, ovatum, acutiusculum, mediocre, squamosum, parum declive. Os rictu terminali, obliquo, arcuato, mediocri. Rostrum obtusum, deflexum. Maxilla superior brevior, extractilis. Dentes in utraque maxilla et palato numerosi, conferti, setacei, acuti. Laniarii in utraque maxilla, in superiore utrimque 2, in inferiore 1, validiusculi. Labia simplicia, carnosa. Palatum amplum, denticulatum. Nares postremae, geminae, ovatae, anticae minores. Oculi supremi antici, mediocres, approximati; iride fulvo-sanguinea. Lingua spatulata, apice membranacea, ad medium annexa.

Opercula branchialia triphylla, squamosa; primo perpendiculari, ciliato-serrato; secundo excurrente in 3 spinas, planas, appressas, membranamque obtuse accuminatam supra basin p. pect.; tertia infima, parva. Membrana branchialis gularis et sublateralis, 7-radiata. Apertura branchialis gularis-lateralis, ampla, arcuata. Branchiae vicinae, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum arcuatum, cum abdomine planiusculum. Linea lateralis suprema, dorso parallela. Cauda compressa, aequabilis. Squamae minutae, confertae.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, unita, spadicea, albo-irrorata parte mutica, margine extimo albido; spinis 11: primo brevi; 2bus proximis duplo longioribus subulatis vix incurvis, 4-11 reliquis aequalibus; radiis dichotomis 17. Pinnae pectorales rotundatae, inferae, spadiceae, extus ochraceae, albo marginatae; radiis dichotomis 18. Pinnae ventrales ovatae, spadiceae, apice nigricantes, compositae; spina 1, radiis dichotomis 5. Pinna analis composita, basi pallida, medio spadicea, albo mar-

ginata: spinis 3, radiis dichotomis 9. Pinna caudalis integra, truncata, spadicea, albo marginata, radiis dichotomis 20.

Observ. *Perca maculata, urodeta* et *irrorata* sunt species admodum inter se affines, adeo ut eas fere suspicer esse varietates eiusdem speciei.

191. *Perca taeniata* G. (*)

Perca pinnis dorsalibus unitis, radiis spinosis 10, muticis 11, cauda integra; corpus hysginum, fasciis duabus longitudinalibus croceis.

Habitat in mari alluente ins. Stae Christinae s. Waitaho.

Corpus oblongum, versus caudam attenuatum, cathetoplateum, squamosum, hysginum, dorso obscurius; fasciae duae croceae aequabili latitudine: prima ab operculis, per medium corpus ad basin inferiorem caudae ducta; secunda in summo dorso, secundum p. dors. decurrens. Caput, bases p. pect. et corporis pars antica aspersa punctis orbiculatis, minutis, atris. Longum 8 unc.

Caput cathetoplateum, obtusum, declive, squamosum, proportionatum. Os rictu parvo, obliquo. Maxillae inaequales, superiore breviore. Labia crassiuscula. Dentes subulati, incurvi, remoti, parvi, inaequales, simplici serie. Nares oculi proximae, ovatae, antica minore, exserente filamentum breve subulatum. Oculi parvi, superi, antici; iride sanguinea.

Opercula branchialia triphylla: lamina prima serrato-ciliata; secunda angulo obtuso rotundata, supraque basin p. pect. excurrente; tertia ima, parva, sublunata. Membrana branchialis 6-radiata.

Dorsum carinatum, praecipue a p. dors. ad oculos.

(*) *Grammistes Forsteri* Bl. Schn. p. 191. *Cirrhites pantherinus* Cuv. Val. III. p. 52.

Linea lateralis suprema, parallela. Anus posticus. Squamae maiusculae, ovatae.

Pinna dorsalis longitudinalis, unita, composita, fulva; parte spinosa apice, mutica medio fuliginosa; spinis 10, radiis dichotomis 11. Pinnae pectorales rhombeae, inferae; radiis 14: superioribus 7 dichotomis, inferioribus 7 simplicibus, spadiceae. Pinnae ventrales thoracicae, quadratae, margine intero ventri adnatae, rubentes, compositae, spina 1, radiis dichotomis 5. Pinna analis composita, spinis 3, radiis dichotomis 6. Pinna caudae integra, radiis dichotomis 20.

192. *Perca polyzonias* S. (*)

(Fig. pict. G.)

Perca pinnis dorsalibus unitis, radiis spinosis 10, muticis 15; cauda bifida, corpore sulphureo, striis 4 longitudinalibus caelestibus.

Bloch *Holocentrus quinquelinearis* tab. 239. *H. bengalensis* tab. 246. fig. 2.

Habitat in mari alluente ins. S^{tae} Christinae s. Waitaho, Oliatea, Bola-Bola et Otahaitee, ubi *Taàpe* ab incolis vocatur.

Corpus cathetoplateum, oblongum, squamosum, supra sulphureum, abdomine albido, striis longitudinalibus 4 caelestibus; prima a margine superiore oculi, ad medium baseos p. dorsalis spiniferae; secunda a medio circiter oculi per angulum apert. branch. et inde ad basin primorum rad. muticorum pinnae dorsalis; tertia a superiori parte apert. branch. ad postremum baseos p. dors.; quarta orta circa lab. superius, sub oculo, supra p. pect. ad medium fere caudae ducta.

Caput cathetoplateum, corpore angustius, squamosum. Os rictu horizontali, obliquo. Rostrum acutangulum, ma-

(*) Conf. Bl. Schn. p. 316. *Diacope octolineata* Cuv. Val. II. p. 317.

xilla superiore longius. Maxilla superior brevior, extractilis, dentata. Labia carnosa. Dentes in utraque maxilla et palato; in maxillis subulati, breves, sparsi. Palatum denticulis minutis. Nares utrimque geminae, mediae, remotiusculae; anticae minores, rotundae; posticae maiores, ovatae. Oculi supremi, proportionales, approximati; iride argenteo-flava. Lingua parabolica, parva, subcartilaginea.

Opercula branchialia triphylla, ossea, squamosa. Lamina antica serrata, emarginata, infra rotundata ac dentato-serrata; postica supra basin p. pect. excurrente in membranam acuminatam, impositamque ei spinam adpressam, planam; tertia ima, angusta, supra ad commissuram cum postica tuberculo osseo notata; recipiendo intra emarginaturam laminae anticae. Membrana branchialis 7-radiata. Apertura branchialis lateralis, gularis, operculata, ampla, arcuata. Branchiae vicinae, operculatae, laterales et gulares; extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum arcuatum, monopterygium. Abdomen subrectum. Linea lateralis supera, curva, parallela. Anus posticus. Cauda angusta, compressa. Squamae minutae, imbricatae, confertae.

Pinna dorsalis longitudinalis, unita, composita, parte spinosa alternatim plicatili ac intra foveolam recondenda, spinis 10, radiis dichotomis 15. Pinnae pectorales acuminatae, imae, mediocres, radiis 15. Pinnae ventrales breves, rotundatae, compositae; spina 1, radiis dichotomis 5. Pinna analis inaequalis, composita; spinis 3: prima brevi; secunda reliquis longiore; tertia media, at minore, radiis dichotomis 8. Pinna cauda bifida, radiis 14. Omnes pinnae flavicantes.

Longitudo 9 unc.; latitudo $2\frac{1}{8}$ unc.

193. *Chaetodon lividus* G. (*)

Chaetodon cauda bifida, spinis dorsalibus 12, corpore plumbeo-livido, lineis e punctis albidis versus caudam.

Habitat in mari alluente ins. S[tae] Christinae s. Waitaho.

Corpus ovatum, obtusiusculum, compressum, squamosum, plumbeo-lividum, lineis aliquot e punctis minutis albidis versus caudam.

Caput compressum, declive, squamosum, parvum. Os rictu parvo brevi obliquo. Dentes setacei, approximati. aequales, simplici ordine. Oculi supremi medii mediocres, iride argentea.

Opercula branchialia tetraphylla. Lamina prima lunata, oculos cingens ex parte, serrato-ciliata; antica perpendicularis margine inferiore serrato-ciliato; postica simplex, ovata; quarta ima, parva. Membrana branchialis 4-radiata. Linea lateralis suprema, a nucha ad p. dors. Anus posticus. Cauda compressa, aequabilis latitudinis. Squamae magnae, laxae, ciliatae.

Pinna dorsalis squamosa, composita spinis 12, priores breviores, radiis dichotomis 51, reliquis longiores. Pinnae pectorales inferae, rhombeae, radiis 19. Pinnae ventrales ovatae cum acumine, spina 1, radiis 5; radio primo reliquis longiore. Pinna analis fere pentagona, squamosa, composita; spinis 2, radiis 12. Pinna caudae bifida, radiis 18. Pinnae omnes fuscae.

194. *Raja edentula* F. (**)

(Fig. pict. G.)

(*) *Chaetodon lividus* Bl. Schn. p. 235. *Pomacentrus punctatus* Cuv. Val. V. p. 322.

(**) *Raja narinari* Bl. Schneid. p. 361. *Aëtobatis Narinari* Müll. Henle Plagiostomen p. 179.

Raja corpore glabro, aculeis duobus hamatis in cauda pinnata longissima.

Marcgr. brasil. lib. 4. p. 175. 176. *Narinari-pinima.*

Willoughby ichth. p. 66.

Lusitanis *Raja*; Belgis *Pylstaert*; Otahaitensibus *E-whài.*

Habitat in mari Brasiliensi et in pacifico alluente insulam Otahaitee; aculei hamati venenati, ideoque ab incolis illico postquam captus est piscis, evelluntur; inter dapes incolarum Otahaitensium non ultimus piscis. In Atlantico ad magnam excrescit molem, in pacifico nonnisi minorem vidi.

Corpus rhombeum, nudum, glabrum, depressum, dorso medio convexiusculum, supra colore plumbeo s. ferreo, maculis albis rotundis magnitudine pisi aspersum, subtus album, cauda nigra.

Caput corpore angustius, subtrigonum rostratum, obtusum medio supra sulco longitudinali lato exaratum. Os rictu infero transverso, parvo. Rostrum depressum, cartilagineum, obtusum, mediocre, margine lateribus revoluto. Labium inferius rectum, transversum, ad angulos incisum retrorsum versus; superius bilobum, medio divisum, ad palatum frenulatum, margine crenatum; lateribus rotundatis; ad incisuram lateralem sunt duo lobuli in orificio sinus rostrum antrorsum intrantis, unus utrimque. Dentes inferiores ossei, figura spatulata coniunctim; at discretim ex ossibus pluribus lunatis, imbricatis, membrana coniunctis, superioribus multo longiores; superiores quoque ex ossibus pluribus imbricatis ac membrana coniunctis, latioribus quam ossa dentium inferiorum. Lingua nulla. Oculi laterales, remoti, prominuli, parvi; pupilla perpendicularis, oblonga, nigra; iris flava. Nares nullae, sed adest pone oculos foramen ovale amplum, per capitis medium pervium, infra cum ore connexum per orificium, valvula vel lobo tectum. Spiracula quinque utrimque in parte prona pectoris figura litterae S, tecta, membranis margine crenatis.

Anus inter pinnas ventrales amplus. Vulvae geminae, parvae, inter p. ventrales, pone anum. Cauda longissima, attenuata, teres; ter corpus longitudine superans. Spinae geminae, pone p. dors. in cauda, vicinae subaequales utrimque hamatae s. biserratae, serraturis hamatis acutissimis.

Pinna dorsalis caudalis, in ipso initio caudae posita, brevis, radiis circiter 16 vel 18. Pinnae pectorales laterales, horizontales, maximae, apice falcatae, margine extimo crenatae, radiis numerosissimis ultra 140, duobus semper unam crenaturam occupantibus. Pinnae ventrales terminales, inferae, oblongae, subquadratae, apice crenatae, radiis 18 vel 20; radiis singulis crenaturam occupantibus.

Mensurae.

Ab initio rostri ad initium caudae	11	unc.
A pinnae pectoralis angulo extimo trans piscem ad angulum oppositum	20½	»
Cauda	35	»
Caput longum, a rostro ad finem aperturae foraminis pone oculos	3½	»
Caput latum ad initium pinnae pectorales	3½	»

195. *Anguis platura* Lin. (*)

(Fig. picta G.)

Anguis cauda brevi compressa obtusa, squamis ordinatis (non imbricatis).

Habitat in mari alluente insulam Otahaitee, ubi etiam incibum cedit incolis, qui eum appellant *Etoòna-tòre;* quia vero vivum saepius vidi, nec ulla figura eius exstet, describendum delineandumque eundem putavi.

Caput ovato-oblongum, obtusum, valde depressum, supra planum, squamis magnis, inaequalibus, coriaceis (non

(*) *Pelamis bicolor* Daud.

imbricatis). Rictus mediocris, horizontalis medius. Dentes acerosi, parvi, parvi, ordinati. Maxilla superior utrimque ordinibus 2; inferior unico, inter superioris commisso. Laniarii nulli. Lingua filiformis, bifida. Oculi laterales in medio capite, parvi; iridibus luteis. Nares prope apicem rostri, in parte supina capitis, ovatae.

Corpus compressiusculum, dorso convexum, abdomine subcarinatum, bipedale, squamosum, supra nigrum, subtus virenti aeneum. Anus ante initium caudae, squamae obsolete quadrangulares, transversim oblongae, coriaceae (non imbricatae), sed ordinatim positae.

Cauda valde compressa, pars $\frac{1}{9}$ corporis, utrimque carinata, squamosa, apice obtusa; alba, variegata maculis nigris, vel fasciis dimidiatis nigris.

Mensurae.

Corpus totum longitudine	29 unc.
Cauda	$3\frac{1}{2}$ »

196. *Muraena coeca*? Lin. (*)

(Fig. pict. G.)

Muraena pinna ambiente alba, rostro acuto, cirris 4, capite poris perforato.

Habitat in mari ambiente insulam Otahaitee, ab incolis comeditur, et nomen gerit *Pararòutee*. Linnaeus oculos non vidit (in specimine scilicet in spir. vini diu servato), nec ille pinnam, in fossula dorsi recondendam observavit, neque cirros appercepit; ideo novam huius piscis descriptionem dedi et figuram delineandam curavi, novamque differentiam specificam condidi.

Corpus anguilliforme, laeve, teres, attenuatum versus caudam; supra fuscum; subtus albidum.

(*) *Sphagebranchus catostomus* Bl. S. p. 536.

Caput ovatum, teres, acuminatum, lubricum, corpore reliquo crassius. Rostrum attenuatum, convexum, subtus planum. Os sub rostro, rictu parvo, utrimque descendente. Labium superius parum fissum; inferius acutum. Oculi in rostro supra medium rictus positi, parvi, cute communi tecti, iride flavicante, vix conspicui. Nares sub rostro, paulo ante rictum utrimque solitariae, orbiculatae, parvulae. Cirrhi 4, 2 minuti, approximati ex ipso apice rostri prodeuntes, 2 reliqui e medio narium, solitarii, breves, filiformes. Opercula nulla. Aperturae branchiales gulares, oblongae, obliquae, parvae. Membrana branchiostega radis 8-9 seu 10, obsoletissimis, vel potius sulcis in cute vix conspicuis. Pori capitis plurimi, scil. maxillae inferioris utrimque 6 simplici serie usque ad rictum; maxillae superioris ......?

Anus in medio corporis. Linea lateralis infra corporis medium parallela, e punctis remotiusculis perforatis, versus caput ascendens.

Pinnae pectorales, ventrales et caudae nullae. Pinna dorsalis longitudinalis, angusta, albida, in fossula dorsi recondenda, radiis numerosis simplicibus, ab occipite ante aperturam branchialem ad caudam. Pinna ani ab ano ad caudam, minima, in fossula recondenda, radiis numerosis simplicibus, albida. Cauda obtusiuscula (forte mutilata).

197. *Blennius truncatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Blennius radio superciliorum simplici, capite truncato declivi, pinna dorsali caudae iuncta.

Habitat in mari alluente insulam Huahaine, simillima

(*) *Blennius edentulus* Bl. S. p. 172. *Salarias Forsteri* Cuv. Val. XI p. 315.

Coryphaenae fasciolatae ap. Pallas Spic. Zool. fasc. 7 at differt p. ventr. et cauda.

Corpus subcathetoplateum, oblongum, alepidotum, albidum, fasciis maculisque lividis; dorso et postice, omnibus pinnis, punctis purpureo-fuscis.

Caput truncato-declive, alepidotum, supra lividum; radio cirrhoso s. setiformi minimo, utrimque in supercilio. Os rictu subinfero, amplo, transverso. Rostrum truncato-declive. Maxillae labiatae, edentulae; superiores longiores; inferiores mobiles articulatione ad angulos faucis. Dentes nulli. Lingua nulla. Labia crassiuscula. Nares geminae, oculis vicinae, parvae. Oculi superi, approximati, protuberantes, globosi, cute commune tecti; iris flava; pupilla nigra.

Opercula branchialia torulosa, libera, laevia, a mento ad initium lineae lateralis arcuatim punctis notata. Membrana branchiostega 5 vel 6 radiata, patens, unita subtus supra gulam, ima, fraenulata. Apertura branchialis lateralis, arcuata, operculata. Branchiae vicinae, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula tecta membrana branchiostega. Dorsum submonopterygium. Linea lateralis curva, primum supera, subparallela, dein pone apicem p. pect. descendens, denique recta, media. Anus anticus; cauda subcompressa.

Pinna dorsalis longitudinalis coalita, caudaeque adnata; in medio, ubi coalita brevis, punctis purpureo-fuscis aspersa; prima radiis 12 simplicibus; secunda radiis 20 simplicibus. Pinnae pectorales imae, rotundatae, punctis purpureo-fuscis adspersae, radiis 14. Pinnae ventrales iugulares radiis 2 digitatis muticis. Pinna analis longitudinalis distincta, punctis purpureo-fuscis aspersa, radiis 23 simplicibus, apicibus falcatis. Pinna caudae rotundata, punctata, radiis 13 simplicibus.

Mensurae.

Longitudo cum cauda	$3\frac{7}{8}$ unc.
Latitudo	$\frac{3}{4}$ »

198. *Atherina Menidia* F. (*)

Atherina pinna dorsali solitaria, ani radiis 18.

Brown. Jam. 141. tab. 45. fig. 3. Menidia corpore subpellucido.

Gron. Zooph. 350. Argentina linea lata argentea in lateribus.

Habitat hic pisciculus in mari alluente Iamaicam et ad insulas tropicas maris pacifici; a quarum incolis appellatur *Anàhou,* et crudus ab eis comeditur, nec is quidem, gustatus a nobis, saporis fuit ingrati, sed potius inter delicias numerandus.

Clarissimus Linnaeus male characterem *Atherinae fluviatilis* Carolinensis, cum nomine *Menidiae* apud Brownium coniungit, sunt enim toto coelo diversi pisces. Noster et Brownii unicam habet pinnam dorsalem, Carolinensis binas. Membrana branchiostega in Carolinensi 6 habet radios, *Menidia* nostra 12. Pinna analis *Menidiae* est radiorum 18, at in Carolinensi 24. Nostra est edentula, Carolinensis dentata. Squamae in Carolinensi specie sunt nigro-punctatae, in *Menidia* laxae, amplae, argenteae, facillime deciduae. Ut taceam Carolinensem reperiri

---

(*) *Menidiam* Brownii Iamaic. auctor noster censet hanc esse speciem, et Linnaeum vituperat, qui male Carolinensem fluviatilem cum Iamaicensi coniunxisse dicitur. Sed neque haec maris pacifici incola cum Iamaicensi Brownii coniungi potest. Propriam nempe constituit speciem, proprio nomine insigniendam. Schneiderus in Syst. ichthyol. pag. 111 pauca pro lubitu e subsequente descriptione depromens, nihil attulit, quod ad rem faciat.

L.

in aquis dulcibus, *Menidiam* vero mare inhabitare. Doctissimus Brownius, observante Gronovio l. c., omisit p. ventrales, quas in nostris speciminibus utique observavimus: caeterum Brownii descriptio et figura est optima. Linnaei differentia specifica et descriptio pertinet ad *Atherinam fluviatilem*, synonyma ad *Menidiam* spectant; ideo et novam differentiam specificam condidi.

Corpus lanceolatum, oblongum, subcompressum, pellucidum, squamosum.

Caput supra planiusculum, medio linea longitudinali elevata; praeterea et adsunt duae aliae lineae elevatae, supra oculos. Os rictu infero, obliquo, edentulo; maxilla superior fornicata supra inferiorem, eaque longior, lateralis, ad angulum faucis mobilis; inferior acuta, minor, inclusa. Dentes nulli. Lingua cartilaginea, ampla, frenulata, apice acuminata. Nares superae, anticae, solitariae, in scrobiculo capitis. Rostrum acutiusculum. Oculi ampli, antici, superi; iride argentea.

Opercula branchialia triphylla, nuda, argentea. Membrana brachiostega infera, gularis, radiis 12. Apertura branchialis lateralis et gularis; branchiae 4, arcuatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum et latera convexiuscula. Anus sub pinnae dorsalis medio. Linea lateralis recta, media, lata, argentea; squamae amplae, laxae, argenteae, facillime deciduae.

Pinna dorsalis solitaria, pone aequilibrium, triangularis, radiis 13. Pinnae pectorales imae (cum squama stricta, mobili, longitudinali, supra pinnam adiacente) radiis 12. Pinnae ventrales abdominales, radiis 6. Pinna analis radiis 18. Pinna caudae bifida, radiis circiter 18.

199. *Cobitis pacifica* F. (*)

(Fig. picta F.)

Cobitis capite imberbi, pinna dorsali gemina. (Forte *Gobius strigatus* Broussonetii?).

Habitat in Oriadeae insulae rivulis, sub plantis ad ripas, plerumque in coeno latens. In pluribus similis *Cobitidi heteroclitae* Linnaei; at haec nostra pinna dorsali gemina, illa solitaria. Pinnae ventrales proximae sunt pectoralibus, ut pene sit piscibus thoracicis annumeranda, attamen magis ad *Cobitides* accedit, et cum *heteroclita* Linn. divisionem constituet generis in cirratas et imberbes. Nisi forte rectius examinati hi duo pisciculi novum genus constituent. Ipse enim Linnaeus adhucdum dubius de genere *heteroclitae*.

Corpus teretiusculum, fuscum, squamosum.

Caput plagioplateum, subconicum, apice truncatum, squamis minutissimis, sessilibus tectum. Os superum, rictu obliquo; labia subcarnosa. Maxilla inferior longior, utraque denticulis minutis confertis acerosis numerosissimis. Lingua cartilaginea, spatulata. Nares utrimque singulae minutae ante oculos positae. Rostrum breve rectum horizontale. Oculi superi remoti mediocres. Iride aurea.

Opercula branchialia 3 phylla, torosa, squamis minutissimis sessilibus consita. Membrana branchiostega infera, semitecta, radiis 5. Apertura branchialis postica, lateralis, subrotunda. Branchiae 4, remotae, tectae, arcuatae extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum rectum, horizontale, planiusculum dipterygium. Linea lateralis plane obscura vel nulla. Anus pone aequilibrium. Squamae parvae sessiles.

Pinna dorsalis prima radiis 6 simplicibus; secunda

(*) *Poecilia fusca* Bl. S. p. 453.

10 radiis simplicibus et dichotomis. Pinnae pectorales mediae, basi adiposa, subacuminata medio, radiis 18. Pinnae ventrales abdominales, pone basin p. pect., breves, radiis 5. Pinna analis radiis 10. Pinna caudae rotundata, radiis 16. Omnes pinnae fusco-punctato-fasciatae.

Mensurae.

Longitudo cum cauda	$3\frac{3}{4}$ unc.
Latitudo	$\frac{9}{16}$ »

200. *Trigla asiatica* Lin. (*)

(Fig. pict. F.)

Trigla digitis quinis.

Habitat in mari alluente insulas Otahaitee, Huahaine et Oriadea.

Corpus argenteum, cathetoplateum, squamosum.

Caput alepidotum. Os inferum; rictu obliquo, intus scabriusculum. Rostrum prominens, laeve. Lingua obtusa carnosa, frenulata. Regio oris et omnes pinnae punctis minutis nigris irroratae.

Opercula anteriora serrata. Linea lateralis recta, media.

Pinnae pectorales falcatae, digiti 5 ante p. pect. positi infra, et apicem p. ventr. circiter attingentes.

Membr. branch. radiis 7. P. dors. prima spina 1 et rad. 7 simplicibus. P. dors. secunda rad. 13 dichotomis. P. pect. radiis 17-18 simplicibus. P. ventr. 1 spina, 5 rad. dichotomis. P. analis 1 spina, 11 radiis dichotomis. P. caudae 16 radiis. Cauda furcata. P. dors. secunda et p. anal. intra folia squamosa condendae.

Squamae oblongae, facile deciduae. Opercula bran-

(*) *Trigla pentedactyla* Bl. S. p. 17. *Polynemus plebeius* Cuv. Val. III p. 278.

chialia squamosa. Gula ex parte condita sub plica operculi branchialis estque cum thorace et abdomine plana.

Pinna dorsalis prima perpendicularis trigona; secunda falcato-excavata. P. pect. falcatae parum. P. ventr. trigonae. P. anal. falcato-excavata. P. caud. falcato-bifurca.

Observ. Suspicor equidem, ni fallor, celeberrimum Linnaeum nostram *Triglam* cum *Polynemo quinquario* confundere. Id certum, quod figura *Polynemi* apud Sebam mus. III tab. 27 fig. 2 in omnibus nostrae *Triglae* exacte respondeat, si digitorum longitudinem exceperis. Nec id mecum prorsus certum, annon omne *Polynemi* genus ad *Triglas* sit revocandum; nam p. ventr. etsi parum a pectoralibus sint remotae in *Polynemis* plerumque tamen insistunt ossiculis sterni: id certum, in nostra *Trigla asiatica* p. ventr. esse abdominales, at in sterno positas. Dein in *Trigla asiatica* Linnaeus observat corpus teretiusculum, in nostro specimine erat cathetoplateum. Pinnae pect. acuminatae in nostro non falcatae, et digiti certe quini non quaterni; nec tamen piscis noster erat *Polynemus* ob membr. branch. 7 radiatam, quae in *Polynemo quinquario* radiis quinque observata a Gronovio. Optaverim igitur plura et maiora huius piscis specimina examinare, ut de genere et speciebus *Polynemi* exactum iudicium ferre possem.

Observ. Vidi dein in Tanna insula *Triglam* 8 $\frac{1}{4}$ unc. Angl. longam et aliam breviorem, in omnibus similem pisci, quem ad Huaheinam ceperam et eum quoque cum figura apud Sebam comparavi et omnia respondere reperi, si digitos exceperis longissimos, qui in nostro nunquam pinnarum ventralium apicem excedunt.

201. *Psittacus pacificus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Psittacus macrourus, olivaceo viridis, fronte atra, fascia oculari uropygioque sanguineis, remigibus rectricibusque coeruleis.

Habitat in Otahaitee et Oriadea, ab incolis appellatur *Aà.*

Corpus magnitudine *Psittaci euchlori.* (**)

Rostrum crassum, convexum, aduncum, atrum; mandibula superiore basi pallide-coerulea. Cera brevis, elevata, atra. Nares oblongae in cera. Lingua carnosa, teres, obtusa. Oculi mediocres. Irides aureae. Palpebrae nigricantes.

Pedes scansorii, tetradactyli, breves, atri. Femora brevia, tecta pennis. Tibiae brevissimae, teretiusculae, rugosae; digiti quatuor, duo antici, totidem postici, anticorum exterior longitudine tibiae; interior brevior, posticorum exterior longitudine dimidiae tibiae, interior brevissimus. Ungues compressi, tenues, incurvi, acuti, fere longitudine digiti postici interioris.

Frons atra, fascia sanguinea per oculos, interrupta, brevis, incipit ad basin mandibulae superioris, pervadit lora, et desinit ad tempora paulo pone oculos.

Tempora et genae prasina. Dorsum lurido-viride. Caput, collum, pectus, abdomen, crissum, viridia. Uropygium sanguineum.

Alae complicatae ultra basin rectricum protenduntur. Remiges extus cyanei, intus fusci. Alula cyanea. Tectrices omnes virides. Alae subtus totae cinereo-fuscae.

Cauda aequalis, fere longitudine corporis. Rectrices cyaneae margine virides, subtus fuscae, rachi nigra.

(*) *Psittacus pacificus* Lin. Gm. Lath. et *Psittacus novae Zeelandiae* Sparman. Mus. Carls. *Platycereus nov. Zeel.* Wagl.

(**) *Psittacus australis* Lin. Gm. *Psittacus pipilans* Lath. Vide §. 143 pag. 160.

201. *Turdus badius* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Turdus badius, rostro integerrimo cinereo-corneo.

Habitat in Oriadea insula, inter fruticeta in convallibus maxime, ab incolis vocatur *Eboonàe-nou-nou.*

Haec avis certe ad nullum notorum generum spectat, characteres enim quosdam habet diversis generibus proprios. Ob rostrum ciliis et emarginatura destitutum, ad *Graculas* revocari posset, ob linguam et structuram corporis pedumque ad *Tanagras* spectare videtur; sed quominus sit *Gracula* obstat basis rostri rotundata (non emarginata vel nudiuscula) et lingua sagittata cartilaginea, bifida, ciliata, basi-serrata (non integra acuta, carnosa) quominus inter *Tanagras* recipiatur, vetant rostrum integerrimum (non emarginatum) et basis rostri supra convexa (nec trigona). *Turdi* characteres plures, fateor, in nostra ave absunt. Rostrum est integerrimum, sed *T. Merulae* rostrum non est emarginatum. Faux non est ciliata, sed in quibusdam *Turdis* haec nota vix est conspicua. Verum rostri structura reliqua ut et narium et linguae conformatio in nostra avicula a *Turdis* non recedit. Habitus, pluma, mores, fistularis cantilena, *Turdis* simillima, mihi persuaserunt, ut inter *Turdos* nunc locarem. Figura a filio delineata, accurata eiusque descriptio heic addentur, ut liberum zoologis faciam de hac ave iudicium.

Corpus magnitudine circiter *Turdi musici.*

Rostrum conicum, compressum, dorso convexum, acutum, cinereo-corneum, integerrimum. Mandibula superior paululum declivis, basi supra depressiuscula, apice teretiuscula; inferior recta, longitudine superioris, sed multo minus lata. Nares ovatae ad basin rostri, margine superiore

---

(*) *Turdus ulietensis* Lin. Gm. Lath.

subinflato. Rictus sub oculos usque protensus, obliquus. Lingua sagittata, plana, cartilaginea, apice bifida, ciliata, basi serrata. Oculi prope rostrum, supra basin rictus, mediocres. Iride fulvo-fusca.

Pedes ambulatorii, tetradactyli, breves, validi, nigri. Femora pennis tecta. Tibiae compressae, segmentis circiter 7 notatae. Digiti teretes, crassiusculi, anticorum medius [illegible] tibiae; laterales paulo breviores, posticus longitudine lateralium. Ungues carnei, posticus validus, reliquis duplo maior longiorque.

Caput fuscum, badio variegatum; pennis parvis fuscis, badio marginatis.

Corpus totum supra fuscum, pennis omnibus margine badio-rufescente. Abdomen et crissum ochracea.

Alae breves, fuscae. Remiges omnes margine exteriore badio. Tectrices omnes fuscae, badio marginatae. Alae subtus fusco-cinereae. Tectrices alae inferioris fuscae, badio marginatae.

Cauda rotundata, corpore dimidio brevior; rectrices 12 fuscae, margine vix ullo badio.

203. *Hirundo peruviana* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Hirundo cauda subbifida, supra nigra, subtus cinereo-fuliginosa, remigibus rectricibusque apice albidis.

Hirundo peruviana Brissson av. 2. 498.

Habitat in Peru et in insula Otahaitee et reliquis vicinis insulis, nidus in rupibus praeruptis, inaccessis. Incolis appellatur *Hopèā.*

Corpus magnitudine fere minima inter *Hirundines.*

Rostrum brevissimum incurvum, subulatum, ad basin

(*) *Hirundo cinerea* Lin. Gm. Lath.

latera depressa. Rictus capite amplior. Nares oblongae, horizontales. Lingua brevis cartilaginea, sagittata, subulata. Oculi nigri. Iride fusca.

Pedes brevissimi, rubro-fusci. Digitis nigricantibus. Ungues adunci, compressi, pro mole pedum magni, fusco-nigri.

Corpus totum supra cum remigibus, rectricibusque nigro-nitens. Uropygium, gula, pectus, abdomen, crissum cinereo-fuliginosa.

Remiges 18, complicatae cauda multo longiores, 3 primae falcatae. Rectrices 10 (sed forte duae evulsae erant in specimine a nobis examinato); cauda lunata. Remiges rectricesque nigro-nitentes (apicibus paululum albicantibus) subtus pallidiores.

Mensurae.

Ab apice rostri ad apicem alae complicatae	6	unc.
» » » » extremum caudae	$4\frac{3}{4}$	»
» » » » » unguis digiti medii	$3\frac{3}{8}$	»
Alae expansae	12	»
Rostrum in fronte longum, vix	$\frac{1}{8}$	»
» latum	$\frac{1}{8}$	»
Pedes cum femoribus	$1\frac{3}{8}$	»
» nudi	$\frac{3}{4}$	»
Cauda longa	$2\frac{1}{2}$	»

294. *Hirundo pyrrholaema* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Hirundo cauda subbifida, dorso nigro-coerulescente; subtus fusco-fuliginosa; fronte gulaque fulvo-purpureis.

Habitat in montosis insulae Otahaitee.

Corpus minus *H. peruviana*.

(*) Affinis *H. iavanicae* Lath. Temm. pl. color. tab. 85; differt tamen abdomine fuliginoso, rectricibus immaculatis.

Rostrum breve, rectum, subulatum, supra carinatum ad basin lateribus depressis. Rictus amplus. Nares ovatae. Lingua brevis, cartilaginea, sagittata, subulata. Oculi nigri; iride fusca.

Pedes brevissimi, antice fusco-nigri, postice pallidi et rubro-fusci. Ungues nigri.

Corpus supra nigro-coerulescens nitensque. Frons, gula, iugulum et pars pectoris superior fulvo-purpurea. Reliquum pectus et abdomen fusco-fuliginosa. Crissum pallide-fuliginosum.

Remiges 18, complicatae longitudine caudae, extus nigro-nitentes, intus nigrae (nullae falcatae). Rectrices 12, cauda parum lunata; supra nigrae; subtus cum remigibus pallidiores.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremitatem caudae et alas complicatas	5	unc.
Ab apice rostri ad extremitatem unguis digiti medii	$3\frac{3}{4}$	»
Alae expansae	11	»
Rostrum in fronte longum	$\frac{5}{16}$	»
» latum	$\frac{7}{16}$	»
Pedes cum femoribus	$1\frac{3}{8}$	»
» nudi	$\frac{3}{4}$	»
Cauda longa	$2\frac{1}{4}$	»

205. *Scolopax Phaeopus* Lin. an? (*)

(Fig. picta G.)

Scolopax rostro arcuato fusco, pedibus coerulescentibus, abdomine ochroleuco.

Habitat in aquosis insulae Otahaitee et insularum vicinarum, nonnunquam in montibus reperitur, ab incolis appellatur *Tewèh.* Similis *Sc. Arquatae.*

(*) *Numenius tahitiensis* Lath. *Scolopax tahit.* Lin. Gm.

Corpus paulo minus *Sc. Arquata*, at femina multo minor.

Caput ovatum, depressiusculum. Rostrum longissimum, lineare, arcuatum, teres, mandibula superiore paulo longiore, fuscum, subtus basi rubens. Rictus vix ultra rostrum protenditur. Lingua lanceolata, acuta, brevis; basi adnata. Nares lineares, prope basin rostri. Oculi prope rostrum, mediocres; iride badia.

Pedes grallarii, tetradactyli, coerulescentes. Femora longa, teretiuscula, seminuda. Genua crassa. Tibiae teretiusculae, femoribus parte tertia breviores. Digiti basi membrana brevi subconnexi, teretes; anticorum medius longior, tibia parte tertia brevior; posticus parvus, antico medio triplo brevior. Ungues breves, obtusi, nigricantes.

Caput fuscum; Linea verticis, et utrimque fascia supra oculos ochroleuca. Collum, iugulum, pectus, ochroleuca; lineis longitudinalibus brevibus, numerosissimis, fuscis. Abdomen et crissum ochroleuca, immaculata. Dorsum nigro-fuscum, pennis margine ochroleucis. Uropygium ochraceum, lineolis sparsis fuscis.

Alae fuscae. Remiges complicatae extremam caudam attingunt, 5 primae totae fuscae, rachi nivea, harum extima reliquis longior; reliquae omnes ad marginem maculis rhombeis ochroleucis notatae. Alulae pennae 4 priores fuscae, reliquae apice et margine interiore maculis ochroleucis. Tectrices omnes fuscae; margine, maculisque marginalibus ochroleucis. Alae subtus remigibus cinereis, maculis obsoletis ochroleucis, ex pagina superiore quasi pellucentibus. Tectrices subtus fuscae, longae, transversim ochroleuco-ferrugineo fasciatae.

Hypochondria ochroleuca, maculis transversis fuscis sparsis.

Cauda aequalis, brevis. Rectrices 12, fusco-ferrugineae, fasciis circiter 8 transversis, nigricantibus.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri in extremum caudae	20 unc.
Longitudo ab apice rostri in extremum digiti medii	21 ½ »
Alae expansae	37 »
Rostrum in fronte	3 »
» ad rictum	4 »
Crurum pars nuda	1 ½ »
Tibiae	2 ¾ »
Digitus medius cum ungue	2 »
Unguis digiti medii	¼ »

INSULAE INTRA TROPICOS MARIS PACIFICI AD ORIENTEM SITAE.

Postquam d. 12. Apr. relicta insula Waitàho vela fecimus, recto cursu insulam Otahaitee petere coepimus: verum in ipso itinere d. 17. Aprilis insulam Teoukèam vidimus et postmodum tres quatuorve alias eiusdem naturae. Sunt vero hae insulae prorsus diversae ab insulis Marchionis Mendozae et insulis Societatis. Hae enim quod saepius monuimus, ignivomis montibus, et intestino terrae motui originem debent suam, suntque montosae, et ex scoriis ferruminatae; illae vero sunt humiles plerumque arenoso solo tectae, at infra saxa ex lithophytis orta et ab hisce animalculis constructa fundamenti loco ex ipso assurgunt mari, nec magni sunt voluminis insulae, verum veluti angusta taenia in circulum coëunt et magnum intus includunt piscosumque mare, quod hinc inde perrupit hancce taeniam, et tempore aestus intrat; recedente aestu lacus internus prorsus saxis terraque est cinctus. Hicce lacus piscibus varii generis et testudinibus est plenus. Insulae parvae hinc inde *Coco nucifera* aliisque arboribus sunt consitae. Haec loca incolis victum et amictum praebent large e piscibus et *Coco* et *Canibus*, quos alunt, uti nos oves et boves, ut in victum tandem cedant. Innumerae praeterea aves ex aquaticarum genere circa hasce insulas haerent et piscibus, conchyliis, crustaceis et molluscis victitant.

Nos in Teoutèam escendimus et pauculas plantas collegimus, quarum vix una alterave nondum innotuerat. Dein relictis hisce arenosis et humilibus insulis, in portu Matavai insulae Otahaitee anchoram iecimus die vigesima secunda Aprilis. Universa insula diversam induerat faciem. Nam

anno praeterito montes aridi et nudi, et gramina herbaeque in planitie marcida languere videbantur; pauci aderant fructus et paucissimae sues ab incolis nobis venum oblatae erant. At nunc omnes colles laete virebant, herbae planis locis luxuriabant, arbores omnis generis fructibus sapidissimis erant onustae, plurimae sues nobis ab incolis offerebantur; ubique nova tuguria et ingentem numerum lintrium recenter structorum conspiciebamus, et signa non dubia opulentiae et fertilitatis ubique apparebant, immo et ingentem bellicum apparatum et classem bellicarum navium plusquam ducentarum ex duabus provinciis tantum collectarum cum centum circiter onerariis vidimus. Quum praeterea 20 aliae provinciae sint in hac insula, adeo ut quum omnes fuerint collectae, ad minimum 2000 bellicae et 1000 onerariae naves in Imào insulam et rebellem eius principem essent profecturae.

Heic perstitimus usque ad 15^{tam} diem Maii. Interea omnem portui vicinam partem insulae percucurrimus, summos montes perreptavimus, et absconditas confragosasque valles pervestigavimus, variasque collegimus novas plantas, et id imprimis in collibus, ubi et complures in locis planis marique vicinis in nova Zeelandia crescentes plantas reperimus.

Die 16ta Maii in Huahainam appulimus portumque Owharre intravimus, verum haec insula nobis nil novi obtulit, etsi in altos escendissemus montes et loca uliginosa circa stagna salsa omnia diligenter pervestigavissemus. In iis tamen ipsis locis complures plantas deteximus, quas anno praeterito in Tonga Tabú collegeramus, et alias, quas Indiae orientalis insulae proferunt.

Die 23^{tia} Maii iterum vela dedimus ventis, et die 25ta portum Ohamannèno insulam Oriadeae intravimus. Heic quoque montes, insulas vicinas, loca stagnosa, plana et valles perreptavimus et quasdam novas plantas, praemium laboris retulimus.

Denique recreatis et refectis nautis, navique hinc inde novis rudentibus instructa, oceanum rursus intravimus die 4ta Iunii. Inter alia animalia videmus quoque in hisce insulis quasdam antea nondum visas, verum notas aves; scil. *Sternam candidam* et varietatem *St. Hirundinis* rostro flavo, pedibusque nigris, dorso cano, subtus candidae, remigibus 7 primis rectricibusque tribus extus canis, intus albis; *Pelecanum Piscatorem* et *Pelecanum Fibrum* facie coeruleo-livida, pedibusque pallide coerulescentibus, at in reliquis exacte respondentem descriptioni apud Briss. orn. 6. 499. Inter amphibia *Testudo imbricata* et *Tetrodon hispidus* nobis quoque oblati fuere; in huius ore duos reperi *Oniscos Physodes.* Inter saxa in rivulo aquae dulcis procul a mari in confragosa umbrosaque valle reperi *Muraenas anguillas* naribus tentaculatis, corpore fusco maculato, abdomine albo. Vidi praeterea *Muraenam coecam Atherinamque Menidiam* (Brownii *Iamaic.*) toto coelo a Linnaei pisciculo huius nominis diversam; Linnaeus enim aliam *Atherinam fluviatilem* (*) ob oculos habuit; nec non *Triglam asiaticam* in omnibus prorsus referentem figuram *Polynemi quinquarii* apud Sebam mus. 3. tab. 27. fig. 2, si digitorum longitudinem exceperis, unde et suspicor hosce duos pisces non recte dirimi in duo genera: sunt enim varietates eiusdem piscis; una digitis pinnarum ventralium apicem non excedentibus, altera digitis corpore aliquoties longioribus; haec in America obvia, nostra in mari pacifico et Indico occurrit. Nec 4 tantum digitos, verum 5 certissime vidimus in omnibus speciminibus. Denique et *Cancer Carcinus* nobis fuit oblatus manibus longissimis. Haec sunt animalia addenda iis, quae enumeravimus supra p. 153 sqq.

Die 5ta Iunii Oriadea insula relicta, vela in occidentem fecimus et postridie die 6ta Iunii vidimus humilem arenosam-

---

(*) Conferantur quae de hoc pisce §. 198 p. 233 fusius disseruit auctor.

que insulam, similem Teouteae supra descriptae, nec ullos in ea incolas observavimus, etsi lucis cocos nuciferae plena esset, et in medio contineret lacum salsum. Cursum eundem continuavimus, donec die 16ta Iunii in aliam similem, sed aliquanto maiorem, ac multis avibus plenam insulam incideremus. Partem insulae huius nave ambiimus, at nullo portu reperto, denuo in eodem cursu perstitimus: die 21ma Iunii rursus aliam deteximus insulam sub gradu 19 Latit. Australis, sed altam et e saxis e lithophytis ortis quasi congestam. In cymbam descendimus et littus huius insulae petiimus, in qua duas tresve novas pulcrasque plantas decerpsi, in ipsis saxis crescentes, multasque plures sine dubio collegissemus, nisi inhumana prorsusque barbara ferocitas incolarum obstitisset, quo minus interiora insulae penetraremus. Tentatis igitur pluribus incassum locis, omnibus idem animus, scelerata excedere terra, linquere pollutum hospitium et dare classibus austros.

Pauculis interiectis diebus in Archipelagum insularum syrtibus cinctum incidimus: inter quas Omango-nooee et Uta ad orientem sitae sunt, Tonoomea et Terefetcheea austrum spectant; denique die 26ta Iunii in Anamockam-nooee per plures ambages penetravimus et ex eius opposito anchoram iecimus; die postero in eam escendimus, et plures pulcras omnis generis plantas heic collegimus, et aliquot novos pisces delineavimus, verum triduo post rursus inde abiimus, novas perlustraturi insulas ad septentriones sitas et e loco, ubi navis anchoram iecerat conspicuas, quarum una reliquis maior Tofooa appellatur et monte ignivomo spectabilis, eique proxima Oghao parum magnitudine cedit; hae sunt altae, reliquae omnes humiles et vadosae.

Iunii 30ma inter Tofooam et Oghao parvo freto diremtas nave transiimus, nec invento portu, verum vento contrario insurgente, inviti omnibus his insulis imprimis Tonga-Tabú (quam repetere intenderamus), terga dare coacti fuimus.

Inde pauculis interiectis diebus, Iulii 3tia aliam insulam reperimus, at quod portu careret, cursum continuavimus versus insulas a navarcho Hispano Quiros primum detectas et a generoso Bougainvillio Gallo, anno 1768 rursus visas, quarum unam Pentecosten appellatam, d. 16ta Iulii primum vidimus. Erat tunc ventus procellosus et mare tempestuosum, coelumque pluvium.

Die 18ta Auroram insulam circuivimus, et insulam Leprosorum petiimus, horsum vorsum cursum navis dirigentes contra ventum. Omnes hae insulae sunt altae et montosae et sylvosae, aquis e rupibus praeruptis in mare se praecipitantibus et incolis plenae; at alia in Austrum insula magis fertilis et undique fere culta, uno duobusve ignivomis montibus conspicua dein apparuit, Ambrrym appellata.

Mox et duas alias conspeximus insulas, quarum citerior Paoòm, ulterior Apèe appellatur, denique in portu spatioso insulae Mallicollo sub gradu 16to et milliari 15to Lat. austr. anchoram iecimus. Ibi vidimus pauculas novas plantas, quippe unicum tantum diem heic perstitimus, quod nullum aquationi opportunum locum reperire potuimus. Incolae harum insularum sunt magis nigri, macilenti, et crispi quam incolae insularum orientalium inter Tropicos et quum omnes homines insulam Paschalem, Marchionis, Teouteam, insulas Societatis, Hornanam insulam et Cocos, Tonga-Tabú, Eaowe, Anamocka et novam Zeelandiam incolentes eandem loquantur linguam, vix dialectis paululum distinctam, hi adeo vicini iisdem, prorsus novo et ab aliis diverso idiomate utuntur et quod magis mirum, incolae insularum vicinarum Tannae et novae Caledoniae lingua utuntur toto coelo a lingua Mallicollitarum diversa.

Heic in hoc portu, nautae noctu ceperunt aliquot pisces, *Sparis* uti credo affines, nam examinare eosdem non licuit, cum eos quilibet dissecuerit, ut in cibum essent parati; verum felici eventu tantum 16 circiter homines in pran-

dio comederant hosce pisces; verum una sus cum 6 canibus intestina piscium devoraverant, ex his sus et unus canis periere, reliqui canes hominesve, ingentibus doloribus capitis imprimis vomitu et profluvio ventris, et encausi circa faciem sunt correpti; aliis pleraque membra torpore et vertigine fuere affecta, ut vix titubantes possent reptare. Glandulae salivales tumebant et ingentem salivae copiam secernebant; omnes colicos dolores habebant, et erectionem penis nonnulli doloribus haud plane destitutam sentiebant. Post complures dies a stupore membrorum et vertigine non prorsus liberi fuerunt, dolor per manus, pedesque, totumque corpus discurrens eos excruciabat, quidam et cuticulae exfoliationem in facie, pedibus et manibus experiebantur. Diaphoretica remedia optima et praestantissima fuere, et quidam vix 12mo vel 14to die post ad valetudinem rediere pristinam.

Eadem nocte *Echeneis Naucrates, Squalus Carcharias* et alii pisces sunt capti, quos plures comedere, nec ullis doloribus ullisve symptomatibus sunt affecti. Incolae huius insulae arcubus et infectis utuntur sagittis, verum canes iisdem vulnerati non fuere necati et cito convaluere, et tamen Mallicollitae, qui nobis hasce vendebant sagittas, imprimis monebant, ut eas caute tractaremus et cum acumen earum quidam experiri vellent, ipsi illico manus cohibebant, veluti timentes ne id noxium et exitiale nobis foret, veneno scilicet praesenti infectas eas esse verbis signisque declarabant, itaque quid de hac re statuendum sit, vix scio, quum experimentum in canibus duobus non responderit.

Die 23^tio^ Iulii, hunc sceleratum portum reliquimus, dirigentes cursum in Eurum versus insulas Paoom et Apée, verum visa in plaga Euronotia alia nova insula, in eam cursum perreximus, post eam et versus Apèe plures minutae insulae erant.

Visis eisdem e propinquo in aliam maiorem in australi plaga sitam cursum deflex1mus, verum plures minores eam

cingebant undique; ipsa maior admodum fertilis videbatur, et non adeo praeruptos montes habebat, ut reliquae insulae, quas in hoc Archipelago hactenus lustravimus; Sandwichii nomen ipsi impositum fuit in honorem comitis Sandwichii, summi rei navalis in Britannia praefecti.

Dein cursum dirigentes in Eurum mox vidimus novam insulam, cui nomen Irromanga, in eius portum septentrionalem intravimus et noctem unam ibi substitimus. Primo mane navarchus, visurus portum et locum aquationi aptum, cymbam intravit, et invento loco aquationi apto escendit in terram, ubi incolae bene eundem receperunt, verum cum cymbam repeteret, incolae eam vi detinebant, quo facto ipse plumbi globulos minutos in eos explodere tentavit, at sclopetum non aptum erat ob pyritem minus bonum, itaque tentatis pluribus sclopetis unum alterumve cum globo maiore explosum fuit, et duo incolae fuere necati, et plures vulnerati; illi vero viso conatu et armis a nostris contrectatis missilia et sagittas in cymbam coniecere, unumque e nautis in gena vulnerarunt, antequam nostri ullum sclopetum exploderant. Postmodum anchora sublata portu excessimus, alium australem portum intraturi; verum navi procedente, alia magna ad Euronotum apparuit insula, in quam cursum direximus, et die postero Aug. die 5to in Tannam pervenimus, et in securo portu anchoram iecimus.

In hac insula vidimus ignivomum montem, continuo cineres, fumum et pumices eructantem, magno cum sonitu simillimo tonitrui. Navis circiter 3 leucis ab hoc monte aberat et undique cinere et minutis pumicis particulis una nocte consita fuit. Hic et in ipso portu plures vidimus thermas; in aquam calidam unius immittens per plura minuta Thermometrum id usque in gradum 191 ascendit, in altero fonte $202\frac{1}{2}$ graduum calor erat. In supercilio supra hosce fontes, vidimus plura spiracula vel loca exhalantia vapores fervidos et sulphurei odoris. Effossa ad semipedum terra

immissoque Thermometro in eodem gradum 210^{mum} observavimus. Omnis superficies insulae consistit ex humo mixta cum pumiceis cineribus, a monte eructatis, omnes plantae, virgulta et arbores hoc cinere sunt tecta, et dum a vento vel alio casu moventur, hicce cinis decidit in oculos obambulantium sub hisce arboribus. Intervallo 4 vel 5 minutorum horariorum mons novas cineris, fumi et pumicum massas eructabat, die nocteque, cum ingenti fragore, sed saepius per plures dies vix aliud nisi fumum, et id raro sine sonitu emittebat: verum post pluviam, observavi denuo eundem magno cum tonitru eiecisse lapides maximae molis cum ingenti cinerum quantitate; quoties e cratere montis fumus emittebatur et fragor exaudiebatur, toties et e spiraculis in supercilio montano, portui vicino fervidi vaporis nova moles egrediebatur, quod mea quidem opinione satis superque probat, haecce spiracula utique connexa esse cum ipso monte ignivomo, eiusque cavernis ferventibus. Bis equidem tentavi ad hunc ignivomum montem propius accedere, at semper ab incolis prohibitus sum, ultra duo triave milliaria a navi procedere; nec id quidem necessarium duxi, minitantes incolas vim ultro exasperare.

Haec insula Tanna sub 19° 30′ latitudinis Australis sita, ac mirae est fertilitatis; omnis generis plantae undique luxuriantur. *Saccharum officinarum, Hibiscus esculentus, Dioscorea oppositifolia* et *alata, Musa paradisiaca* et *Arum esculentum* cum *macrorrhizo* ab incolis plantantur. *Cocos nucifera, Areca oleracea, Terminalia catappa, Inocarpus edulis, Artocarpus communis, Sterculia foetida* et *Balanghas, Calophyllum inophyllum, Eugenia Iambos* et *Malaccensis, Citrus aurantium, Piper methysticum*, variae *Ficus* species scil. *Granatum, tomentosa, septica, indica, obliqua,* heic undique cum *Casuarina equisitifolia,* aliisque arboribus laete vegetant; plures quoque novas plantas heic collegimus et ex ingluvie *Columbae globicerae* duas *Nuces myristicas* spe-

ciei ab *aromatica* diversae, expressi, et alias tres ab incolis accepi. Ut verbo proferam, felix insula, culturae capax et sine dubio tunc omnes Tropicarum insularum arbores, etiam aromata productura.

Post 15 dierum moram tandem denuo mare intravimus

Natat uncta carina, vocat iam carbasus auras

exploraturi tres insulas huic vicinas scil. Immer, parvam arenosam et humilem portui Tannensi ex opposito in Aquilonem sitam, Irronam seu Tootoonam altam, sed paulo maiorem, cuius incolae utuntur lingua persimili ei, quam Anamockenses loquuntur, et in Caeciam sitam, denique Eurum spectantem insulam Anottom, quoque altam et fere eiusdem ac Tootona magnitudinis. Quo facto rursus secundum australe latus Tannae navigavimus et postero die Irromangam vidimus, die tertio australe latus Mallicollo insulae transiimus, nam

Neptunus ventis implevit vela secundis.

Per Bougainvillei fretum transeuntes, orientale latus magnae insulae petiimus, quam Quiros navarchus Hispanus appellaverat Terram australem Spiritus Sancti, ante eam plures sitae sunt parvae insulae, in eius septentrionali parte spectavimus spatiosum 5 leucarum portum, cui S^{ti} Philippi et Iacobi nomen Quiros imposuerat. Sed relicto eodem et viso latere occidentali Terrae Sp. S. in Libonotum cursum dereximus.

Tendunt vela noti: fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.

Die 4to Septembris vidimus aliam insulam a gradu lat. Australis 20mo in 22^{dum} et 30^{mum} milliare extensam, plus quam 80 leucas longam, syrtibus et parvis insulis undique cinctam, quam novam Caledoniam appellavimus, et omnem Archipelagum a Tanna in Terram Spiritus Sancti insignivimus nomine novarum Hebridum.

Quum intra syrtes portum Ballad intraremus, tandem anchoram iecimus et illico plures lintres incolis pleni, navem cinxere et amice sepositoque omni metu eam intravere. Quum in terram escendissemus, navarchus illico declaravit, faciem terrae, montium, arborum ac plantarum prorsus eandem esse cum facie novae Hollandiae. Montes erant e *saxo quarzoso*, mica aurea et corneo fissili mixto. Undique usque in summos montes *Melaleuca Leucadendrum* (Linn.) crescebat, praeter hanc arbores plures alias, prorsus novas reperimus plantas et multas novas alites.

Inter marina animalia emtus quoque fuit *Tetrodon novus* quem nos *sceleratum* appellavimus. Nam postquam eum iam descripsissemus ac figuram eius delineassemus, cute eius detracta, in cibum eundem nostrum postera die praeparari iussimus; et quum coenaremus die 7. Septembris servus huius piscis iecur nobis ostendit, quod illico frixum nobis apponi iussimus; ego circiter ad duorum coronatorum uncialium magnitudinem particulam comedi, navarchus vix dimidium huius portiunculae et filius vix quartam partem eiusdem sumsit. Mane hora circiter 4ta expergiscor, et licet parce coenaverim, tamen illico eandem sensi inquietudinem, quam ex ventriculi nimia repletione aegri sentire solent; dum me in lecto erigo, manuum ac pedum torporem sensi, et capitis gravedinem. Surgo igitur experturus obambulando, an haec symptomata forte removeri possent, verum tum percepi, me vix in pedibus memet continere erectum posse; titubans recipio me ad cloacinae sacrum, ibique illico corripior profluvio ventris ac vomitu violento, materia eiecta adeo erat acris ut totum excorticaret oesophagum; tum ex Sparmanno, filioque exquiro, num ipsi eadem habeant symptomata; Sparmannus, qui nunquam exta iecinorave animalium in cibo utitur, bene se habebat; at filius eodem prorsus quo ego afficiebatur modo; quum cum Sparmanno colloquerer, navarchus id exaudivit et non bene sese habere sentiens, illico

surgit, et vix se in pedibus continere potuit. Tum medicus navis accurrit, aquam tepidam nobis bibendam propinat; qua copiose hausta, mox quicquid in ventriculo ciborum erat eiecimus, dein hausto vino cum aqua et acido malorum citrinorum et saccharo, cubitum ire et experiri iussit, an in sudorem incidere possemus. Inter placidi somni amplexus, amplo sudore perfusi fuimus et multum alleviatum malum vimque veneni infractam, nec tamen a vertigine ac torpore extremitatum corporis liberos nos sensimus; post quatriduum tandem et frequentem ἐκπνοὴν ad officia solita redire nobis licuit, etsi admodum debiles essemus, diuque postea vel eruptionem in variis corporis partibus, dolores vagos, et frigus sentiremus. Duo canes qui reliquias iecinoris comederant diu doloribus fuere affecti iisdemque ut antea symptomatibus, at porcellus mihi ab homine Tannensi dono oblatus et qui intestina huius piscis comederat, die postero veneno necatus fuit.

Postmodum die 29. Septembris subnavarchus hamo cepit alium *Tetrodontem sceleratum* ac in cibum parari iussit, quod et factum et ipse piscis in mensa appositus fuit, et ni socii prohibuissent hominem stupidum, certe is ex veneno periisset, nam canis, quae intestina eiusdem comederat die 6to post necata fuit; unde facile apparet, quantum intersit, bene animalia et pisces nosse, noxiosque ab iis, qui comedi possunt distinguere. *Tetrodontem sceleratum* faxo, nemo in cibum sumet, quia ex descriptione et figura facile poterit cognosci.

Incolae novae Caledoniae, qui navem nostram frequentabant, videntes hunc *Tetrodontem* suspensum, signis haud obscuris significabant, hunc piscem dolores et mortem caussari, ego haec videns, experiri volui, num recte intelligerem incolas, quidam enim ex nostris credebant incolas piscem appetere, itaque *Tetrodontem* ipsis obtuli, ipsi vero manibus vultuque significabant se aversos esse, ac eundem ma-

xime detestari. Nullus igitur dubio relictus est locus, quin *Tetrodon* recte nomen *scelerati* meruerit, et id incolis notum fuisse, eundem venenatum esse. Si mihi licuisset piscem illum, qui plures homines in Mallicollo insula veneno infecerat (p. 249), examinare; id effecissem, ut nemo futuris temporibus in eundem errorem incideret et idem periculum adiret, comedendo hunc venenatum piscem.

Homines in hac insula et Tanna multum inter se affinitatis habent, sunt aegypii, agiles, iustae staturae et habitu corporis mediocri, crinibus nigris parum crispis; ingenii admodum mitis; agriculturae admodum addicti, quippe inde victum habebant, et ex piscatura. Nullos habebant canes in utraque insula nullasque sues in nova Caledonia; nos utriusque generis marem et feminam eis dedimus.

Paucis diebus post, die 13. Septembris

Provehimur portu, terraeque (collesque) recèdunt,
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes;

in Boream et Corum cursum dirigimus; at visis pluribus e longinquo terris intra syrtes periculi plenas, in Eurum cursum defleximus et post aliquot dies orientalem ambientes extremitatem novae Caledoniae et aliam ei vicinam insulam cum pluribus minutis intra syrtes sitis, appropinquante tempore reditus, novam Zeelandiam petere cepimus d. 30 Sept. explorata prius minuta insula, quae novas aliquot nobis praebuit plantas; brevique temporis spatio e mari intra Tropicos intercepto excessimus.

In Tanna insula eiusque vicinia, sequentia, ante nota animalia observata fuere. 1) *Strix Bakkamuna,* 2) *Alcedo collaris,* 3) *Columba globicera* et 4) *Muscicapa Ventilabrum* ex avibus; inter amphibia 5) *Anguis laticauda,* 6) *Squalus Carcharias,* 7) *Raja edentula* duabus spinis dorsalibus, 8) *Raja Pastinaca* eiusque varietas β) *Altavela* dicta, aculeis duobus, dorso apterygio, unico aculeorum ordine in medio dorso, cauda supra pinna solitaria parva pone aculeos,

subtus pinna longitudinali paulo ante aculeos incipiente. Colore supra ferreo, maculis in summo dorso sparsis paucis nigris, paucioribusque hinc inde albis; subtus candido. Dentes supra granulati acuminati s. subuncinati; subtus granulati obtusi. Sexu foemina; 9) *Syngnathus Hippocampus* p. dors. 16, p. pect. 18, p. ventr. s. anal. 4. Inter pisces 10) *Muraena anguilla;* 11) *Coryphaena Psittacus;* 12) *Echeneis Remora,* Squalo Carchariae affixa; 13) *Echeneis Naucrates,* hamo capta, duos pedes longa, bona edendo, figura apud Sebam bona; 14) *Perca fulva*; 15) *Gasterosteus Ductor,* circa *Squalum Carchariam* nans; 16) *Gasterosteus rhombeus;* 17) *Scomber Trachurus;* 18) *Scomber maculatus;* 19) *Esox Bellone;* 20) *Esox brasiliensis;* 21) *Esox argenteus;* 22) *Mugil cirrhostomus.*

Circa novam Caledoniam in insula minuta, Spruce-Tree Isle et circa eandem, observavimus: 1) *Falconem Haliaëtum* marem, longum 22″ alis expansis 52″; 2) *Larum scopulinum;* 3) *Turdum minutum;* ex amphibiis: 4) *Anguem laticaudam;* 5) *Tetrodontem sceleratum* et e piscibus 6) *Echeneim Naucratem.*

Incolae Tannae et novae Caledoniae sunt inter se admodum similes, aegypii, membrorum proportione pulcra, proceri, non admodum torosi, pilis parum crispis, unico pene involuto foliis plantarum vel cortice arborum, caetera nudi, armati clavis, fustibus, fundis, iaculis ligneis, et arcubus sagittisque; quo postremo armorum genere in nova Caledonia carent. Vivunt praesertim *Aro, Dioscorea, Saccharo* et *Cortice Hibisci tiliacei,* et conchyliorum pisciumque variis generibus. Ex animalibus nonnisi vespertiliones vampyri in nova Caledonia sunt, at nos sues et canes incolis dono dedimus. Hasce observatiunculas hactenus collegi.

In nova Caledonia *Corvum* vidi in omnibus *Coronae* simillimum, at rectrices non sunt acutae, verum apice rotundatae: a rostro ad caudam 16″ longa, ad extremitatem pe-

dum $13\frac{1}{2}''$; rostrum $2''$; alae expansae $32''$; pedes atri, cum femoribus $6''$; Remex 5ta longissima; rectrices 12; vox *Corvi Picae*; volatu a *Corone* distinctus. Incolis *Maga* appellatur.

In nova Caledonia quoque observavi varietatem *Charadrii glaucopodis* (*) magis variegatam.

Septembr. 12.

206. *Psittacus bisetis* F. (**)

(Fig. picta G.)

Psittacus macrourus viridis, crista verticis coccinei bipenni; genis nigris, remigibus rectricibusque cyaneis.

Habitat in nova Caledonia, et ab incolis appellatur *Kère* vel *Kèghe*.

Corpus magnitudine *Columbae Turturis* circiter.

Rostrum aduncum, corulescens basi, apice nigrum, in quibusdam flavum. Mandibula superior, medio utrimque dentata, basi lobo membranaceo palati ad angulum faucis instructa; inferior sub superiore fornicata. Lingua carnosa, obtusa, integra. Nares rotundae, patulae, amplae, in cera nigra, medio emarginata. Oculi iride aurea,

Pedes scansorii, nigri, cute granulosa. Ungues atri.

Frons et vertex sanguineo-coccinea; e medio verticis pennae duae lineares, elongatae, atrae, apice coccineae assurgunt, longitudine circiter capitis; genae pennis, ad mandibulae inferioris latera reversis atris nitentibus. Nucha et regio aurium coccinea. Dorsum viride. Subtus et uropygium prasina.

Remiges 10 primae earumque tectrices margine extimo cyaneae, interiore apiceque nigrae. Reliquae extus vi-

---

(*) *Char. fulvi* Auct. Vide supra pag. 176.

(**) *Ps. cornutus* Lin. Gm. *Ps. bisetis* Lath. Ind. orn.

rides, intus apiceque nigrae. Rectrices 12 basi extus virides, a medio ad apicem cyaneae. Cauda cuneata. Remiges, rectricesque subtus fuliginosae. Alae complicatae uropygio paulo longiores.

Aug. 5.

207. *Psittacus palmarum* F. (*)

Psittacus macrourus, viridi nitens, abdomine caudaque apice flavis.

Habitat in Tanna, ab incolis appellatur *Kattènga*.

Corpus magnitudine circiter *Psittaci Galguli*.

Rostrum e carneo flavum aduncum, crassum, subcompressum, acutum. Mandibula superior declivis, compressiuscula, basi latior, convexa, apice acuto, recto, deorsum spectante, subulato; inferior semiconica, obtusissima. Cera tuberculoso-membranacea, concolor, biloba. Nares orbiculatae, parvae, in centro cuiuslibet lateris cerae. Lingua carnosa, elliptica, supra sulco exarata, apice concavo, catilagineo, glabro, nigro, intus setis crassis, rigidis, erectis repleto. Palatum subfornicatum, caruncula crenata, crena utrimque laterali reliquis duplo triplove maiore. Oculi iride rubra.

Pedes tetradactyli, scansorii, aurantii. Femora tecta. Tibiae brevissimae. Digitis duobus anticis, totidem posticis, illorum exteriore reliquis longiore, longitudine tibiae. Ungues mediocres, tenues, incurvi, compressi, acutiusculi, nigri.

Corpus totum supra e viridi-prasinum, sericeo-nitens; subtus flavo-viride. Abdomen inter femora fere totum flavum.

(*) *Ps. palmarum* Lin. Gm. Lath. Diagnosis emendanda ope descriptionis Forsterianae. Rostrum igitur non rubrum, sed carneum, pedes aurantii, rectrices laterales pogonio interno (non externo) flavae.

Alae complicatae ultra $\frac{1}{3}$ rectricum potensae sunt. Remigum extima tota fusca, reliquarum laminae interiores tantum fuscae, exteriores cum apice virides. Remiges 4 primae apice acuminatae; omnes subtus cinereae, margine interiore subtilissimo flavescente. Tectrices exteriores viridi-prasinae; interiores sub alis cinerascentes, marginibus flavis.

Cauda cuneata, fere longitudine corporis. Rectrices 12 virides rachi nigra, 4 intermediae apicibus croceis, tertia utrimque apice et lamina interiore croceae, excepta macula rhombea fusco-viridi, in medio circiter rectricis. Tres utrimque extimae apice et lamina interiore tota, croceae.

Septembr. 7.

208. *Corvus cinereus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Corvus coeruleo-cinereus, remigibus rectricibusque atro cinereis, cauda rotundata.

Habitat in nova Caledonia, ab incolis *Ghewà* appellatur.

Corpus magnitudine circiter *Corvi Picae.*

Rostrum carinato-cultratum, subarcuatum, lateribus compressum, apice incurvatum, et utrimque dentato-emarginatum; mandibula superiore longiore; rictu infra oculos usque protenso. Lingua integra, cartilaginea, ciliata. Faux et mentum pennis ciliatis tecta. Nares in basi rostri subrotundae, pennis recumbentibus, setosis tectae. Oculi palpebris nudis, margine pennis ciliatis obvallato; irides flavae.

Pedes ambulatorii mediocres, atri; plantae cinereae. Ungues adunci postico maiore.

(*) *Corv. caledonicus* Lin. Gm. Lath. (ex icone Banksiana).

Corpus ex nigro cinereoque coeruleum.

Alae complicatae paulo longiores uropygio. Cauda rotundata; rectricibus 10 atro-cinereis, prima brevi, quarta et quinta longissima.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	14	unc.
» » » » unguem digiti medii	$10\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	28	»
Rostrum	$1\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{2}$	»
Cauda	7	»

Septembr. 8.

209. *Coracias pacifica* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Coracias atro-violaceum nitens.

Habitat in nova Caledonia, ab incolis appellatur *Poorèp.*

Corpus magnitudine circiter *Sturni vulgaris.*

Rostrum supra arcuato-carinatum, lateribus angulato depressis, marginibus fornicatis supra mandibulam inferiorem; subtus rectriusculum. Mandibula utraque ad apicem emarginata; superiore paulo longiore. Faux ciliata vibrissis. Nares supra marginatae, rotundae. Lingua vix bifida, cartilaginea, acuta, basi sagittata, ciliata. Oculi iride rubra.

Pedes ambulatorii atri.

Corpus totum atro violaceum, nitens. Caput, cervix et gula pennis ligulatis tecta.

Alae complicatae ultra medium caudae protensae. Remex prima longissima. Cauda recta sive truncata. Rectrices 12.

(*) Plura sunt recentiorum genera, quae sub hac descriptione latere possunt. Utrum *Kittam,* an *Cracticum* rectius dixerim, ob silentium de colore rostri et penitiore eiusdem forma incertus haereo.

Femina supra fuliginoso-cinerea; subtus cinerea. Caput, remiges et rectrices nigra.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	8 unc.
» » » » unguem digiti medii	8 »
Rostrum	$\frac{7}{8}$ »
Alae expansae	10 »
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{4}$ »
Cauda	$2\frac{5}{8}$ »

Aug. 19.

210. *Certhia cardinalis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Certhia atro-nitens, capite et vitta dorsali sanguineo-coccinea.

Habitat in insulae Tannae locis cultis, victitat nectare florum, et nomen *Kuyaméta* inter incolas gerit.

Corpus magnitudine circiter *Certhiae familiaris*.

Rostrum tenue, arcuatum, carinatum, basi crassius triangulare, apice subulato, atrum. Mandibulae aequales, acutae, longitudine capitis. Nares lineares, supra squamula semitectae. Lingua subulata, apice lacera, penicilliformis; margine ciliato; longa, extensilis. Oculi rostro vicini, mediocres. Iris rubenti-spadicea.

Pedes tetradactyli, fissi, gressorii, longitudine dimidia corporis. Femora tecta. Tibiae tenues, nigro-plumbeae. Digiti tenues, parvi, anticorum medius et exterior minus profunde quam interior divisi, posticus longitudine medii, sed crassior. Ungues tenues, nigri, posticus reliquis maior. Plantae olivaceo-fuscae.

(*) *Certh. cardinalis* Lin. Gm. Lath. *Nectarinia rubra* Ill.

Corpus universum atro-nitens. Caput, collum, pectus et vitta per medium dorsum et uropygium sanguineo-coccinea. Lora atra.

Alae atrae, complicatae fere medium rectricum attingunt. Subtus alae nigricantes, margine remigum primorum interiore albido. Cauda aequalis, longitudine trunci. Rectrices 12 atrae.

Septembr. 6.

211. *Certhia fasciata* F. (*)

Certhia fusca, rectricibus remigibusque flavo marginatis, gula flava, abdomine albo, fusco-fasciato.

Habitat in nova Caledonia.

Rostrum longum, arcuatum, subcompressum, basi trigonum. Nares oblongae, squama fornicata tectae. Lingua longa, acuta, apice penicilliformi. Oculi iride avellanea.

Pedes coerulei, subgressorii; digito exteriore iuncto medio.

Caput, dorsum, uropygium fusca, pennis medio albo-lineatis. Gula flava. Pectus et abdomen alba, pennis ante apicem fusco-fasciatis. Crissum ochroleucum.

Remiges et rectrices 12 fuscae, flavo-marginatae. Cauda recta i. e. aequalis.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$7\frac{3}{8}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	$6\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	$9\frac{1}{2}$	»
Cauda	3	»
Rostrum	$1\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{8}$	»

(*) Avis ad genus *Melliphaga* recentiorum pertinens, a nemine praeter Forsterum (quod sciam) commemorata.

212. *Certhia chlorophaea* F. (*)

Certhia virescenti-fusca, loris nigris, genis albis, subtus cinerea.

Habitat in fruticetis novae Caledoniae, mari vicinis. *Fiddee* incolis.

Rostrum arcuatum compressum, basi trigonum atrum. Nares oblongae, squama fornicata tectae. Lingua longa, acuta, apice penicilliformis. Oculi iride avellanea.

Pedes coeruleo-nigricantes, gressorii. Digitus extimus medio ex parte connatus.

Caput, cervix, dorsum, uropygium, remiges et rectrices virescenti-fusca. Lora i. e. linea ab angulo faucis per et praecipue infra oculos et in cantho pone oculos nigra. Genae albae. Gula, pectus et abdomen cinerea. Remex quarta longissima.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	6	unc.
» » » in unguem digiti medii	6	»
Alae expansae	8	»
Cauda	$2\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{3}{8}$	»
Rostrum	$\frac{7}{8}$	»

213. *Columba xanthura* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Columba brachyura, viridis, capite, apice remigum posticarum crissoque flavis, humeris albo guttatis.

Habitat in Tanna et ab incolis nomine *Ponnùas* salu-

(*) *Melliphagae* species, affinis *M. sericeae* Gould., a qua tamen recedit, vitta superciliari nulla et pennis dorsi concoloribus, haud striatis.

(**) *C. tannensis* Lath. Ind. orn. *C. aromatica* fem. Temm.

tatur; obvia in sylvis, victitat imprimis fructu ficus religiosae et indicae.

Corpus magnitudine *Columbam porphyracram* multum excedit; (igitur ultra 9 poll.).

Rostrum coerulescens s. plumbeum, rectum, apice descendens. Nares oblongae, membrana subtumida pene totae tectae. Lingua parva, acuta, subcylindrica. Oculi iride flava.

Pedes sordide rubri. Tibiae brevissimae, pene totae pennis tectae.

Corpus omne laete viride. Caput sordide flavum. Crissum flavum, pennis utrimque margine interiore macula viridi.

Remiges et rectrices laetissime virent. Tectrices superiores ad marginem superum alarum, pennis ante apicem albo-guttatis. Remigum 3 postremarum apices exteriores, eisque respondentium tectricum, flava. Rectrices 12, cauda rotundata, ante apicem fascia pallide virenti. Remiges et rectrices subtus cinereae, vix virentes.

Aug. 5-19.

214. *Collumba ferruginea* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Columba brachyura, capite-ferrugineo, dorso fusco-purpureo, alis virescentibus, pectore ferrugineo, abdomine cinereo.

Habitat in silvis insulae Tanna, ab incolis vocatur *Máhk*.

Corpus magnitudine, statura, habitu proximum *Columbae leucophri*, verum paulo maior.

Rostrum nigrum subfornicatum, rectiusculum, apice declivi, basi crassius, obtusum. Mandibula superior longior, basi depressiuscula, apice declivis, convexa, obtusa; inferior recta, basi linea impressa exarata, apice semicy-

(*) *C. curvirostra* Lin. Gm. Lath. *C. aromatica* Var. *a.* Temm.

lindrica, subadscendens, obtusa. Nares cute tumida, ovata tectae, apice perviae, apertura oblonga obliqua, medio circiter rostri terminata. Lingua linearis, acuta, subconcava. Oculi medii; irides flavescentes. Palpebrae nudiusculae, coerulescentes.

Pedes sanguinei (ut in *C. leucophri*). Ungues et plantae plumbeo-cinereae.

Caput, collum, pectus ferruginea. Dorsum et uropygium fusco-purpurea s. badia. Abdomen et crissum cinereo-grisea.

Alae complicatae mediam caudam attingunt. Remiges primores fuscae, margine exteriore tenuissimo pallido: reliqua alae viridi-fusca; subtus saturate-cinereae. Cauda aequalis. Rectrices 10 fusco-ferrugineae

Septembr. 5-12.

215. *Turdus xanthopus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Turdus supra rufo-olivaceus, pectore ferrugineo.

Habitat in nova Caledonia et ab incolis *Degbé* appellatur.

Corpus magnitudine *Turdi Merulae* vel paulo maius.

Rostrum flavum, rectiusculum, compressum, basi subtrigonum, longitudine capitis. Mandibula superior longior, vix incurva, dorso convexo-carinata, declivis, sub apice leviter emarginata; inferior recta, trigona, semicylindrica. Rictus rectiusculus, infra oculos usque protensus. Lingua cartilaginea, sagittata, apice emarginato-lacera. Nares ovatae, patulae, supra margine prominulo ad basin rostri. Vibrissae crebrae patentes supra fauces. Oculi iride obscura. Palpebrae nudae, flavae.

(*) *Anthochaerae* aut *Zanthomyzae* speciem sub hac descriptione latentem suspicor, uberius examinandam relinquo.

Pedes subgressorii, flavi, graciles. Tibiae compressae, absque incisuris, exceptis tribus in summo apice. Digitus anticus medius extimo usque ad phalangem primam tarsi adnatus.

Corpus supra rufo-olivaceum; capite badio; pectore fusco-ferrugineo.

Alae complicatae fere medium caudae attingunt. Remiges margine exteriore olivaceo; subtus saturate-cinereae. Cauda rotundata, fusco-olivacea.

Octobr. 10.

216. *Muscicapa dibapha* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Muscicapa atra, fronte tectricibusque alarum candidis; pectore abdomineque coccineo-hyacinthinis.

Habitat in insula deserta Norfolciae sub gradu 29 lat. austr. sita. Affinis aliquantulum *Turdo minuto*.

Corpus magnitudine *Turdum minutum* ($4\frac{1}{2}$ poll.) parum excedit.

Rostrum atrum basi trigonum, rectum, apice incurvo. Mandibula superior longior, ante apicem emarginata;

(*) Turdino generi primum hanc avem Forsterus annumeraverat, *Turdum* δίβαφον eam appellans i. e. bis tinctum, sive purpura vestitum; postea nomen mutavit. Inde explicanda, quae hic de affinitate huius speciei cum *Turdo minuto* (vide supra §. 88 pag. 83) dicta sunt. Id certum est, utramque speciem ad genus pertinere, quod Gouldius sub nomine *Petroica* condidit et cuius notissima species illa *Muscicapa multicolor* Lathami, quam ad *Turd. minutum* citaveram, e pictura remigum rectricumque iudicans, et statum iuvenilem e colore abdominis dilutiore suspicans. Eiusdemque speciei hanc avem censeo demonstrare ptilosin adultam. Nam gulam auctor dicit atram, quae in *Petroica phoenicea* Gould. concolor est. Ita quoque mensurae in priorem melius, quam in hanc quadrant, sed pro certo rem diiudicare non ausim, quum de colore rectricum minus accurate auctor tractaverit hoc paragrapho.

inferior basi lutescens. Faux vibrissis atris, patentibus cincta. Lingua cartilaginea, ensiformis, subtruncata, bifida, ciliata. Nares oblongae, in scrobiculo ad basin rostri. Oculi iride rubicunda.

Pedes graciles, longiusculi, lutei. Tibiae sine incisuris, metatarsus tribus. Digiti longiusculi. Ungues e luteo cornei.

Caput, gula, cervix, dorsum, uropygium, hypochondria et femora atra. Frons et rectrices ultimae sericeo-candida. Pectus et abdomen intense et eximie fulgido-coccinea. Crissum rubicundum.

Alae complicatae medium circiter caudae attingunt. Alae et cauda atra.

Femina.

Ubicumque mas ater, ibi femina fusca. Lora et gula cinereo-fusca. Pectus et abdomen lutescenti-coccinea, sed pallida. Crissum, hypochondria et femora albicanti-lutea.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$4\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	$5\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	7	»
Cauda	$2\frac{1}{8}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{3}{4}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$\frac{5}{8}$	»
» in fronte	$\frac{3}{8}$	»

Septembr. 6.

217. *Muscicapa xanthetraea* F. (*)

Muscicapa fusco-virens, subtus flava, gula alba.

Habitat in nova Caledonia et appellatur *Màgga.*

(*) *Lanio cucullato* affinem crediderim, nisi rostri pedumque conformatio nimis obstaret.

Corpus magnitudine *Emberiza nivali* paulo minus.

Rostrum nigrum, rectum. Mandibula utraque ad apicem emarginata. Lingua bifido-lacera. Faux setis nigris cincta. Nares rotundae, membranula marginatae. Oculi iride rubra.

Pedes gressorii, fusco-nigri. Digito externo adnato medio.

Caput cinereum. Cervix, dorsum et uropygium fusco-virentia. Gula alba, macula lunata subgularis nigra. Pectus, abdomen, crissum, tectrices inferiores alarum, hypochondria et femora flavo-aurea.

Remiges et rectrices fusco-virentes, margine extimo albicante. Remex 5ta longissima.

Femina.

Caput supra oculos, cervix, dorsum et uropygium cinerea. Gula alba. Macula lunata subgularis nigra. Pectus, abdomen, crissum, tectrices inferiores alarum, hypochondria et femora ferruginea.

Remiges et tectrices superiores alarum cum rectricibus fusco-nigrae, margine extimo albido.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	6	unc.
» » » » unguem digiti medii	$6\frac{1}{8}$	»
Alae expansae	10	»
Pedes cum femoribus	2	»
Rostrum	$\frac{5}{8}$	»

Septembr. 5-12.

218. *Muscicapa naevia* G. (*)

(Fig. pict. G.)

Muscicapa cinereo-olivacea, superciliis albis, subtus albida.

(*) *Meliphagae* species ?

Habitat in nova Caledonia.

Corpus magnitudine *Emberizam nivalem* excedit.

Rostrum nigrum, subtrigonum, depressum, rectum. Mandibula superior dorso carinata, leniter declivis, apice incurvo, longiore, pone apicem emarginata paululum; inferior recta, planiuscula. Lingua lanceolato-sagittata, apice bifida, serrataque. Nares ad basin rostri subrotundae, supra margine elevato. Pennae setosae, patentes supra basin mandibulae superioris.

Pedes subgressorii, nigri, graciles. Tibiae segmentis pluribus. Digiti graciles, anticus medius extimo parum adnatus. Ungues nigri, tenues.

Caput, cervix, dorsum et interscapulia cinereo-olivacea. Supercilia a fronte ipsa, gula, iugulum, pectus, abdomen, crissum, uropygium albida.

Alae complicatae dimidium caudae attingunt. Remiges fuscae, prima brevissima fusca, reliquae primores lamina antica fere ad medium alba; secundariae margine extimo tenuissimo apiceque albis. Tectrices summae s. humeri fusco-cinereae; penultimae albae, rachi fusca; extimae margine exteriore fusco; ultimae fuscae, apice albae. Alae subtus tectricibus albis, remigibus cinereis, at maculis e pagina superiore translucentibus.

Cauda rotundata, ultra $\frac{1}{3}$ corporis longa. Rectrices 12 acutiusculae, 1-1 extimae nigrae, lamina exteriore interiorisque dimidio apiceque albis; 2-2 nigrae, lamina exteriore ab apice ultra dimidium parteque tertia interioris albis; 3-3 nigrae, lamina extima dimidia, apiceque albis; 4-4 nigrae, macula alba apicis ad marginem exteriorem; 5-5 nigrae immaculatae; 6-6 fusco-olivaceae immaculatae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae .... $7\frac{1}{2}$ unc.

Aug. 5-19.

219. *Muscicapa heteroclita* G. (*)

(Fig. pict. G.)

Muscicapa corpore supra virenti, subtus fronteque flava.

Habitat in Tanna insula, ab incolis appellatur *Kelàb-làbbel.*

Corpus magnitudine circiter *Emberizae citrinellae.*

Rostrum rectiusculum, basi depressum, carinatum, acutissimum, supra fuscum. Mandibula superior parum declivis, pone apicem levissime emarginatum; inferior aequalis, apice subascendens. Lingua bifida lacera. Faux setis brevissimis cincta. Nares oblongae ad basin rostri, membranula semitectae. Oculi iride fulva.

Pedes plumbei, ambulatorii. Digiti breves.

Ungues modici, plumbei. Occiput, collum, dorsum et uropygium virentia. Frons, gula, iugulum, pectus, abdomen, crissum flava. Lora pennis nigris. Oculi fasciola alba cincti, excepta parte antica.

Alae complicatae mediam caudam attingunt. Remiges nigro-fusci, marginibus flavis. Tectrices alarum virentes.

Cauda aequalis, tertia pars corporis. Rectrices 12 nigro-fuscae, marginibus flavis.

Septembr. 8.

220. *Muscicapa olivacea* G. (**)

Muscicapa corpore supra olivaceo, subtus albo, gula crissoque aureis.

Habitat in nova Caledonia descripta a filio, die quo ex veneno a *Tetrodonte scelerato* aeger eram.

(*) Avis e genere *Zosterops* Guldii; novam esse censeo.

(**) Eidem adsocianda, propter rostri formam et colorum dispositationem.

Corpus magnitudine circiter *Muscicapae xanthetreae.* Rostrum rectum, subulato-carinatum. Mandibula superior apice paululum declivi, incurvato, longiore, ad marginem inferiorem leviter emarginato. Lingua cartilaginea acuta, bifida, apice subciliato. Faux cincta vibrissis patentibus. Nares ovatae, patulae, ad basin rostri.

Pedes ambulatorii, graciles, lividi. Ungues mediocres, concolores.

Caput, cervix, dorsum, scapulares et uropygium olivacea. Gula et crissum aureo-flava. Iugulum, pectus et abdomen flavescenti-albida.

Alae remiges fuscae, margine olivaceo. Tectrices primariae ferrugineae.

Cauda recta olivacea. Rectrices 12.

Septembr. 6.

221. *Loxia melaleuca* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Loxia supra gulaque atra, subtus uropygioque candidis.

Pie grièche des Philippines de Buffon. Planches enl. 9. f. 1.

Pie grièche de Manille de Brisson. II. 180. t. 18. f. 2.

Pie grièche Dominicaine des Philippines Sonnerat. voy. de la nouv. Guinée p. 55. t. 25.

Habitat in novae Caledoniae fruticetis ad littus maris ab incolis *Keenh* appellatur.

Corpus magnitudine *Loxiam coccothraustem* parum excedit.

Rostrum validum, subpentagonum, coeruleum, apice nigrum, maxilla utraque emarginata. Lingua cartilaginea, bifida, ciliato-lacera. Faux vibrissis cincta. Nares parvae,

---

(*) *Ocypterus leucorhynchus* Cuv. *Lanius leucorhynchus* Lin. Gm. Lath.

ad basin rostri, vibrissis recumbentibus tectae. Oculi iride coerulescente.

Pedes gressorii, fusco-nigri. Digitis extimis mediis adnatis.

Corpus supra et gula atra. Subtus et uropygium candida.

Alae complicatae caudae extremum attingunt. Remiges atrae, extima longissima, omnes rachi nigra. Tectrices inferiores candidae.

Cauda rotundata. Rectrices 12 atrae. Extimae 1-5 apice albo paululum notatae. Intermediae atrae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$7\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	$6\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	14	»
Cauda	$2\frac{3}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{4}$	»
Rostrum	1	»

Septembr. 12.

222. *Fringilla pulchella.* (*)

(Fig. pict. G.)

Fringilla viridis, fronte, sincipite, gutture et uropygio coccineis.

Habitat in nova Caledonia et ab incolis *Durubeèa* s. *Gherubeèa* appellatur.

Corpus magnitudine *Loxiae Astrild* vel paulo minus.

Rostrum crassum conicum, nigrum, acuminatum. Mandibulae convexae, aequales. Rictus obliquus infra oculos descendens. Oculi iride fusco-purpurea.

(*) *Loxia prasina* Sparrm.?

Pedes graciles, nigricantes.

Corpus omne viride. Frons, sinciput usque ad oculos, gula et iugulum cum uropygio coccineo-sanguinea.

Alae complicatae basin caudae attingunt. Remigum lamina exterior viridis; interior fusco-cinerea.

Cauda subcuneata. Rectrices 12. Intermediae coccineo-sanguineae, excepta rachi; 1-5 lamina extera coccinea, interiore fusca.

Septembr. 11.

223. *Ardea ferruginea* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Ardea crista occipitis tripenni alba, pileo atro, corpore supra ferrugineo, subtus albo.

Habitat in paludibus Rhizophora consitis insulae novae Caledoniae, intensissime foetet.

Corpus magnitudine *Ardea cinerea* paulo minus.

Rostrum atrum, compressum, acutum, rectum, capite longius, sulco a naribus in apicem fere exaratum. Mandibula superior longior, ad apicem unica serratura. Rictus usque infra oculos. Lingua compressa, minima, apice lineari, truncato, basi semilunari, carnosa. Nares lineares $\frac{1}{3}$ rostri. Loris et oculi orbitis nudis viridi-flavicantibus. Iride flava.

Pedes flavi, paululum virentes. Ungues cornei, apice nigri, (in pluribus digitis ex morbo deerant).

Pileus et cervix atra, crista in ima cervice ex 3 pennis elongatis angustis albis, apice nigris, quarum secunda longitudine colli, tertia media brevior. Supercilia candida. Genae, collum et pectus pallide ferruginea. Gula in-

---

(*) *Ardea caledonica* Lin. Gm. Lath.

ter duas mandibulas alba. Dorsum fusco-ferrugineum. Uropygium ferrugineum. Abdomen, crissum candida. Femora, hypochondria et hypogastrica regio alba, paucis pennis sparsis ferrugineis.

Alae complicatae, longitudine caudae. Remiges 24 ferrugineae. Alae subtus albae, paucis hinc inde pennis ferrugineis. Margo superior alarum s. humeri fusco-ferruginea.

Cauda recta. Rectrices 12 ferrugineae, apice vix albo marginatae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$24\frac{3}{8}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	27	»
Alae expansae	37	»
Cauda	$4\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$10\frac{1}{4}$	»
Rostrum	4	»

Aug. 12.

224. *Rallus tannensis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Rallus griseus, subtus albidus, pedibus virescentibus.

Habitat in insula Tanna.

Corpus magnitudine *Rallo Crege* minus.

Rostrum compressum, subcuneatum, acutum, fusco-luteum, longitudine capitis. Mandibulis aequalibus; superior dorso convexa, basi crassa, versus apicem sensim descendens acuta; inferior dimidio angustior, recta, acuta, lutescens. Nares oblongo-lineares, ante medium rostri. Lin-

(*) Specimen unicum Musei Berol. a Temminckio a. 1823 donatum sub nomine *Rallus quadristriatus*, ex ins. Iava, postea *Crex quadristriata* n. appellata, huic descriptioni ab omni parte respondet.

gua oblonga, membranacea, ciliata, apice obtusa. Oculi iride sanguinea, et palpebris rubris.

Pedes virescenti-olivacei, vadantes, longitudine corporis. Femora seminuda; tibiae compressiusculae. Digiti ambulatorii, graciles, longi, antico intermedio tibia longiore. Ungues tenues, compressi, acutiusculi, flavescenti-olivacei.

Frons cinereo-fusca. Linea a basi rostri ad supercilia alba. Lora nigricantia. Occiput, cervix et dorsum antice cinereo-grisea; postice cum uropygio griseo-fuscum. Gula, iugulum, pectus, abdomen et femora semitecta, cinereo-exalbida. Hypochondria cinereo-grisea. Crissum pallide ochroleucum.

Alae totae cum interscapulio fuscae, pennis margine albido-griseis. Remiges complicatae mediam caudam attingunt, griseo-fuscae.

Cauda rotundata. Rectrices 10 fuscae s. griseo-fuscae.

Septembr. 16.

225. *Sterna serrata* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sterna cauda forficata, corpore supra nigro, subtus, fronte, extimisque rectricibus albis.

(*) *Sterna fuliginosa* Lin. Gm. Lath., quoad citata ex Cookii et Forsteri itinerariis. Latent autem sub hoc nomine duae species aliquantum diversae, quarum altera haec nostra: 16 poll. longa, macula frontali ampla maxillae basin amplectente, collo postice cum dorso alisque nigris, per totum orbem australem dispersa, vel usque ad littora Americae septentrionalis (*the Sooty Tern* Pennant.) aetate iavenili albidior (*St. panayensit* Auct.).

Altera, maris rubri incola, *St. fuliginosa* Musei Berolinensis et Catalogi venalium, cui nunc *St. fuligulae* nomen impositum est: 13 poll. longa, macula frontali lunata, antice coarctata, collo torquato, vertice dorsoque vix nigris, sed fuliginosis, alis caudaque

Habitat in vicinia novae Caledoniae, prope syrtes et brevia, sclopeto interfecta.

Corpus magnitudine circiter *Sternae Hirundinis,* vel paulo maius.

Rostrum longitudine capitis, paululum arcuatum, fronte emarginatum, acutum, nigrum. Mandibula utraque aequalis serrata. Lingua cartilaginea, acuta, apice bifido, rostro aliquanto brevior. Nares oblongae. Oculi iride fusca.

Pedes nigri, tetradactyli. Digitis tribus palmatis; postico brevi. Ungues atri, adunci, medio intus dentato-serrato.

Corpus supra, lora pennata et cervicis linea nigra. Frons, genae, gula et collum, excepta linea cervicis, pectus, abdomen, crissum candida.

Alae complicatae longitudine rectricum. Remiges 27 fusco-nigrae, prima longissima, rachides fuliginosae. Alae subtus cinereo-fuliginosae.

Cauda forficata. Rectrices 12 nigrae, extimae utrimque albae, apice laminae interioris fusco, subtus cinereo-fuliginosae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$16\frac{1}{4}$	unc.
» » » » » unguem digiti medii	$11\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	34	»
Cauda	$6\frac{1}{8}$	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{2}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$2\frac{1}{4}$	»
» in fronte	$1\frac{5}{8}$	»

Observ. Haec avis videtur connectere Pelecanos cum sternis.

---

atris. Huic forte adsocianda, quam Buffonius *Hirond. de mèr à grande envergure* nominaverat. Hist. av. VIII. p. 345.

226. *Pelecanus Plotus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Pelecanus cauda cuneiformi, rostro serrato, corpore supra fusco-nigro, abdomine albo, facie pedibusque virrescenti-flavis.

Habitat copiose ad syrtes et brevia maris novam Caledoniam alluentis.

Corpus magnitudine circiter *Pelecani Fiberis.*

Rostrum rectum unguiculatum, virescenti-flavicans, apice paululum aduncum. Mandibula utraque serrata; superior longior. Lingua brevissima carnosa, in fundo mandibulae inferioris; post eam loco faucis rima oblonga. Nares vix ullae, rima obliterata. Facies nuda, ultra faucem virescenti flava s. sulphurea. Oculi iride albicante.

Pedes tetradactyli virescenti-flavi. Digitis omnibus palmatis. Ungues cornei, medii digiti intus serratus.

Caput, collum, dorsum, uropygium fusco-nigra. Pectus, abdomen, crissum et femora candida.

Alae complicatae longitudine uropygii. Remiges supra fusco-nigrae; remex prima longissima, subtus fuliginosa. Tectrices alarum subtus candidae. Cauda cuneata. Rectrices 12 fusco-nigrae, subtus fuliginosae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$30\frac{1}{4}$	unc.
» » » » » digiti medii	$25\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	56	»
Cauda	9	»
Pedes cum femoribus	$8\frac{5}{8}$	»
Rostrum ab apice ad angulum faucis	5	»
» in fronte	4	»

(*) *Phalacrocorax flavirostris* Gould.?

MARE PACIFICUM ET INSULAE EXTRA TROPICOS SITAE AD AUSTRUM.

Relicta die 30. Septembr. 1774 nova Caledonia et vicina ei insula arenosa, rursus mare petiimus, et cursus in Eurum et Vulturnum direximus. At inexpectato Octobr. d. 9. plures *Delphinos Delphides* vidimus, quorum unam feminam, telo confixam, glandibusque e sclopeto pluribus necatam, in navem extraximus; quam et examinatam descripsimus ac delineavimus. Dio 10. Octobris novam deteximus insulam, quam et eodem die exploravimus, inter aves in ea observavimus pene omnes easdem, quas in nova Zelandia obvias habuimus, at omnes coloribus magis vividis et pulcris ornatas scil. *Psittacum hypopolium* et *pacificum, Columbam argetraeam, Motacillam Ventilabrum, Procellarias Gaviam, tridactylam* et *fuliginosam;* in rupibus frequentes nidos habebant *Pelecani Piscatores*. Plantae quoque plurimae novae Zelandiae heic crescunt scil. *Phormium tenax, Tetragonia oleracea, Mesembryanthemum acinaciforme, Oxalis corniculata, Coprosma lucida* et *Ripogonum scandens*. E Tropicis plantis vidimus et comedimus *Areccam oleraceam,* et eandem *Cupressam,* quam in novae Caledoniae orientalibus observavimus. Mare cingens hanc insulam altam et praecipitem non erat altum, sed bolide exploratum per plura quam 20 vel 30 ab ea milliaria, nonnisi 20 vel 22 hexapedarum altitudinem habet, fundo maris arenoso, mixto cum luto et conchyliis minutis. Hoc mare undique erat piscosum. Vidimus enim ipsi *Delphinum Delphidem, Squalum Carchariam, Echeneim remoram* et *Sciaenam Truttam,* unam novam alitem unamque piscis speciem cum unica nova planta ex hac insula retulimus, quam *Norfolciae* appellavimus nomine, in honorem ducissae huius nominis.

Paucis post horis in navem rediimus, et rursus vela fecimus. Die 17. Octobr. mane Egmontii montem in nova Caledonia conspeximus et postero die Aestuarium Reginae. Charlottae portumque consuetum tertio intravimus. Heic per 3 hebdomades substitimus, at saepe tempus erat pluvium et ventosum. Plantas vix decem novas deteximus; plurium antea cognitarum specimina decerpsimus, et quinque novos pisces cepimus. Et quod magni quoque momenti est, cymba in Aestuarium hoc ulterius penetrantes, tandem ad Eurum alium in mare exitum reperivimus naves admittentem. Incolae quoque nobis retulere, ad Favonium vel Afrum potius esse alium exitum in mare occidentale, sed brevem et nonnisi cymbis et parvis naviculis patentem.

Tandem refectis nautis et navis rudentibus repositis emendatisque, die 10. Novembr. rursus vela dedimus ventis et per ingens mare Pacificum cepimus cursu petere ultimum Americae in Austrum promontorium Hornanum; inde post brevem moram rursus adituri mare glaciale quod Americam et Africam interiacet, et eo explorato rursus Promontoreium Bonae Spei repetemus, ut sic circumnavigato orbe et exploratis maribus hactenus incognitis, tandem patriam revisere et dulcia pignora amicosque amplecti nobis liceat.

MARE PACIFICUM INTER NOVAM CALEDONIAM ET NORFOLCIAE INSULAM.

Octobr. d. 8° 1774.

227. *Delphinus Delphis* Linn.

(Fig. pict. G.)

Delphinus corpore oblongo subtereti, rostro attenuato acuto.

Habitat in mari Pacifico, gregarium animal, velocissime natat; naves et cymbas circumsistunt. Hoc nostrum speci-

men femina erat, et telo in corpus ex antenna navis deiecto vulnerata, tandem 5 glandibus traiecta et interfecta, inque navem delata fuit; ubi eandem minute examinavimus, descripsimus, delineavimus. Caro eius sapida satis, nobis omnibus in cibum cessit. Longitudo animalis a rostro ad extremum caudae 6 pedum.

Corpus totum rectum, teres, inter pinnas pectorales et dorsalem maxima crassities est, inde in utramque partem attenuatur.

Color supra virenti-fuscus s. ferreus, subtus albus. Macula exolete alba discum pinnarum dorsalis et pectoralium occupat: fascia alba trans rostrum.

Partes externae:

Caput rotundatum, antice declive, rostratum. Rostrum rectum, porrectum, cylindrico-depressum, attenuatum, apice obtusum. Mandibula superior brevior; utraque obtusa, dentata. Rictus amplus, rectus, horizontalis. Lingua brevis, frenulata, carnosa, oblonga, plana. Dentes numerosi, discreti, acuti, erecti, unius ordinis, alternantes, conico-incurvi (in qualibet maxilla 88, in universum 176), in maxilla profunde immersi. Oculi parvi, laterales, submedii, oblongi, prope rictum oris, (meatus auditorius forte) foraminulum utrimque supra et pone oculos. Spiraculum solitarium, inter oculos, in verticis excavatione lunatum.

Rima paululum pone infraque p. dors. abdominalis, linearis; in cuius parte antica vulva est, et in postica anus. Mammae geminae singula ad utrumque latus vulvae, cum papilla magnitudine circiter pisi intra scrobiculum.

Cauda lateribus compressa, supra infraque carinata, sensim versus apicem attenuata. Pinnae pectorales imae, lanceolatae, vix longitudine rostri. Pinna dorsalis in medio dorso, subtrigona, postice falcata, longitudine rostri. Pinna caudae horizontalis, plagiura, biloba, lobo utroque oblongo laterali, subfalcato.

Partes internae:

Cor biloculare, biauritum, loculo altero minore. Foramen ovale invenire non potuimus loco consueto. Cystis fellea nulla. Bulbi mammarum oblongi, vulvae vicini, lacte pleni.

7. Septembr. 1774.

228. *Tetrodon sceleratus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Tetrodon subtetragonus, supra virescens, abdomine albo.

Habitat in mari alluente novam Caledoniam, unus hamo captus, alius ab incolis iaculo prope littus transfixus.

Corpus subtetragonum, cuneatum, cute communi tectum; supra cinereo-virente scabriuscula, dorso punctis plurimis nigris notata; subtus argentea, laevi.

Caput osseum, subparallelopipedum, longius quam latius, versus os angustius et declive, rictu terminali, transverso, medio, labiato, recto. Labia carnosa, crassiuscula. Dentes in qualibet maxilla 2, approximati, erecto-porrecti, magni. Lingua ...? ..... Nares solitariae, oblongae, posticae, oculis vicinae, in $\frac{2}{3}$ parte rostri. Oculi ampli, medii. Irides flavescentes. Supercilia angulo prominente. Apertura branchialis ima, ante p. pectorales, transversalis.

Dorsum planum. Latera convexa. Abdomen planum, utrimque anguloso-carinatum. Linea lateralis sutura in nuchae puncto incipit, exinde supra oculos ducta, pone nares; tum descendit infra oculos, dein rursus ascendit supra p. pectorales, ac rursus dorso parallela descendit; denique media excurrit in caudam.

Pinna dorsalis solitaria, lumbaris, falcata, mediocris, carnosa, rad. 12. Pinnae pectorales imae, latae, rhombeae,

---

(*) *Tetrodon sceleratus* Bl. S. p. 506. Vide supr. p. 254. sqq.

carnosae, rad. 18, primo brevissimo. Pinnae ventrales nullae. Pinna analis dorsali similis ac fere opposita, sed caudae aliquanto propior, rad. 10. Pinna caudae lunata, radiis 7 crassissimis. Pinnae omnes insistunt basi carnosae, elevatae.

Mensurae.

Longitudo a capite ad caudam	24 unc.
Latitudo et crassities	5 »

Observ. Piscis hic venenatissimus est; navarchus, ego et filius vix degustato eius iecinore frixo, post 8 horas torpore et vertigine correpti fuimus, ut vix pedibus insistere possemus, etsi omne quod comedimus vomitu eiecissemus, et per aliquot dies vix ad priorem valetudinem rediimus. Sus quae intestina comederat et canis ambo veneno enecti fuere. Alia canis vix degustata carne piscis elixa, diu veneno affecta et doloribus correpta fuit.

17. Aug. 1774.

229. *Blennius gobioides* F. (*)

(Fig. pict. F. et G.)

Blennius corpore ensiformi alepidoto, capite truncato, pinnis ventralibus tridactylis.

Habitat inter saxa mari imminentia saloque madentia, Tannae insulae, animalculum agile summa velocitate discurrit per saxa littorea, et fluctibus eiectum, saxa madentia escendit altius, innixum latis pinnis ventralibus digitatis, et pectoralibus brachiatis, ita ut primo intuitu crederes, totidem lacertulas inter saxa discurrere et in mari victitare. Sicca vitat, utpote lubricitate ad discurrendum velociter necessaria, destituta. Victitat insectis minutis: vidi enim larvulas

(*) *Blennius tridactylus* Bl. S. p. 176. *Salarias alticus* Cuv. Val. XI. p. 337.

Grylli Achetae, ab eo captas, in chasmate rupis, quam mare alluebat. Oculi ipsi superi, ne ab avibus, hominibusque inopinus possit hic pisciculus minutus capi; et revera summa eiusdem velocitas, oculis summo capiti affixis adiuta, adeo cautum hunc pisciculum reddit, ut maxima difficultate quibusdam potiri potuerim.

Vide clariss. I. G. Schneider. notas ad Aeliani hist. anim. l. IX. c. 36. ubi de exocoetis tractat. et in eiusdem auctor. emendatt. et annotatt. ad Aelian. l. c. in commentariis ad reliqua libror. Friderici II. tomo II. p. 165. qui et Theophrastum ex Athenaeo VIII. c. 2. et Aristotelem cum Plinio testes advocat et recentiorem D. M. Huhn, qui ex India refert, tales pisciculos in Gange in: *Neueste Mannigfaltigkeiten* 2[ter] *Jahrgang. Berlin* 1779. p. 778.

Diu mecum haesitavi annon posset *Gobiis* anumerari. Verum ponderatis omnibus rationibus ad *Blennios* eundem retuli. Plura ipsa descriptio docebit.

Corpus ensiforme, antice teres, postice anceps, alepidotum, lubricum, plumbeo-nigrescens, maculis ocellatis albis in linea laterali, aliisque itidem albis sursum deorsumque pinnatis.

Caput obtusum, subtruncatnm, corpore crassius, mediocre, alepidotum. Os rictu submedium, horizontale, lineare, amplum. Rostrum simum, plagioplateum. Maxillae plagioplateae, edentulae; superior labiata et longior. Lingua nulla. Dentes nulli. Nares geminae, mediae, vicinae inter se, superae, subrotundae. Porus singulus utrimque ante oculos. Oculi superi, remoti, postici protuberantes, globosi, palpebrati, ampli; iride plumbea. Apertura branchialis ima, arcuata. (Opercula branchialia, membranas branchiostegas et branchias in minutis, quae sola habui, speciminibus, examinare nequii).

Gula e lobo a maxillis ad aperturam branchialem porrecto, amplo, plano, semicirculari. Linea lateralis recta, parallela, nuda. Anus anticus.

Pinna dorsalis longitudinalis, radiis spinosis 34 seu 36. Pinnae pectorales brachiatae, rotundatae, radiis simplicibus muticis 10. Pinnae ventrales iugulares, pinna pectorali breviores, digitis tribus muticis connatis,. interiore digito reliquis crassiore. Pinna analis longitudinalis, radiis cirrhosis 25. Pinna caudae subacuminata, radiis 9.

28. Iun. 1774.

230. *Pleuronectes pictus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Pleuronectes oculis sinistris, spina brevi frontali et tuberculo osseo in mento; pinnarum radiis antice squamatis et in cirrhos albos excurrentibus.

Habitat in mari alluente Namockam insulam.

Corpus ovatum, compressum, squamosum, glabrum, supra ex flavo virentique fuscum; maculis irregularibus, repandis, crebris, sparsis, pallidioribus, coeruleo cinctis, maioribus medio fusco-punctatis; minoribus non; totum reliquum corpus aspersum punctis fuscis. Subtus lactescente-album, punctis subfuscis pallidis. Squamae mediocres, orbiculatae, imbricatae, cute communi tectae. Totum caput et anteriora radiorum in pinnis squamosa.

Caput corpore angustius, compressum, mediocre, squamosum. Os rictu medio, arcuato, parvo. Rostrum brevissimum, compressum, arcuatum. Maxillae labiatae, denticulatae, parvae, terminales, mobiles. Superior intus fornicata; extus spina brevi obtusa valida supra maxillam superiorem; inferior longior, extus tuberculo osseo in mento. Labia utraque membrana revoluta. Dentes in utraque maxilla, acerosi, conferti, minuti, numerosissimi. Lingua compressa, apice cylindrica, cartilaginea, libera, vaginata. Pala-

---

(*) *Pleuronectes spinosus* Bl. S. p. 161.

tum glabrum edentulum. Nares tubulo brevissimo, minuto, ante oculum anticum, solitariae. Oculi binati, sinistri, parvi, protuberantes, nudi, cute communi tecti, remoti; altero antico pone os, medio, supercilio osseo et spina obtusa, brevi, valida, porrecta; altero supero, postico, ad nucham. Spatium inter oculos excavatum. Irides argenteae

Opercula branchialia triphylla, ossea, squamosa; lamina antica infra ad gulam membrana crenulata fimbriata. Membrana branchiostega tecta, gularis et lateralis, radiis 6. Apertura branchialis lateralis, arcuata, mediocris, operculata. Branchiae 4 operculatae, laterales, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula excavata inter maxillas. Thorax antrorsum, subtus osse *Sterni*, ante claviculam in acumen porrectum, intra opercula, excurrente. Dorsum monopterygium, arcuatum, carinatum. Latera plana, imprimis parte prona, parte supera paululum convexa. Abdomen carinatum. Linea lateralis incipiens pone oculum posticum, supera, descendens, dein curva, denique recta, media, vix elevata. Anus pectoralis, anticus, parvus, inter p. ventr. in latere prono.

Cauda compressa, carinata.

Pinnae omnes maculis albis supra aspersae, anteriora radiorum squamosa. Pinna dorsalis radiis 93 simplicibus apice cirrhosis albis. Pinnae pectorales radiis 12, simplicibus, earumque 2-5 apicibus longissimis cirrhosis. Pinnae ventrales thoracicae (ante pectorales, at in sterno positae), radiis 6, apice cirrhosis, albis, simplicibus. Pinna analis radiis 78, simplicibus, apice albis cirrhosis. Pinna caudalis, cauda rotundata, radiis 15 dichotomis.

231. *Harpurus inermis* F. (*)

(Fig. picta G.)

(*) *Amphacanthus punctatus* Bl. S. p. 210. Cuv. Val. X. p. 146.

Harpurus cauda bifida, spinis dorsalibus 13, ventrali prima postremaque, caudali nulla.

Habitat in mari alluente Namockam insulam et novam Caledoniam. Diu mecum haesitavi, quo hunc piscem imprimis referrem, quum enim spina laterali caudae omnino destituatur, vix inter *Harpuros* collocari poterat; at reliqui characteres id omnino suadebant, ut *Harpuris* eum annumerarem. Natura limites systematis semper excedit, genera et species undique in mirabilem telam connectit, ne ullibi esset vacuum vel supervacaneum quidquam, itaque *inermem* dixi, insolita forte appellatione. Sunt tamen exempla magnorum naturae consultorum sequenda, nec sine urgente necessitate nova genera condenda.

Corpus ovatum, compressum, squamosum, purpureo-fuscum, punctis gilvis, numerosissimis, sparsis. Squamae parvae, oblongae, confertae, imbricatae, cute communi tectae.

Caput obtusum, declive, rostratum, nudum, alepidotum. Os rictu parvo, medio, transverso. Rostrum obtusum, declive, mediocre. Maxillae utraque dentatae, fornicatae, aequales, latae, mobiles, labiatae. Labia lata, membranacea. Dentes in utraque maxilla, subulati, incurvi, immobiles, aequales, unius ordinis. Lingua acutiuscula, annexa, parva, subcartilaginea, vaginata infra fornice. Palatum glabrum, edentulum. Nares marginales, geminae, mediae, remotae inter se; priores orbiculatae, marginatae, minores; posticae oblongae, maiores. Oculi mediocres, supremi, medii, plani. Iride argentea, maculis circiter 8 gilvis.

Opercula branchialia triphylla, alepidota, punctis gilvis aspersa. Lamina antica trigona, ampla; ima subarcuata, parva; postica lunata. Membrana branchiostega quadri-radiata, semipatens, lateralis. Apertura branchialis lateralis, ampla, arcuata. Branchiae vicinae, operculatae, quatuor, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula planiuscula. Thorax planiusculus. Dorsum ar-

cuatum, monopterygium, sulcatum. Latera convexiuscula. Abdomen planiusculum. Linea lateralis supera, parallela, maxime obsoleta. Anus subanticus, amplus. Cauda compressa, carinata.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, membrana purpureo-fusca, maculis nivosis gilvis. Spinae validae 13 alternatim plicatiles in sulco dorsi, radii dichotomi 10. Pinnae pectorales rotundatae, fuscae, radiis dichotomis 17. Pinnae ventrales thoracicae, abdomini adnatae membrana, spina 1, radiis dichotomis 3, denique intra spina 1 divergens. Pinna analis fusca, gilvo-punctata, spinis 7 validis, radiis dichotomis 9. Pinna caudalis profunde bifida, cornibus utrimque rotundatis, fusco, punctis crebris gilvis; radiis circiter 16 dichotomis.

Aug. 13. 1774.

232. *Zeus argentarius* F. (*)

(Fig. pict. F.)

Zeus cauda bifurea, thorace alepidoto, corpore argenteo.

Habitat in mari alluente Tannam, reti saepius captus.

Corpus ovatum, squamosum, glabrum, argenteum, compressum. Squamae minimae, confertae, imbricatae, sessiles, cute communi tectae.

Caput rhombeum, breve, alepidotum, glaberrimum, argenteum. Os rictu supero, obliquo, subarcuato, parvo. Rostrum breve, acutum. Maxillae arcuatae, extractiles; superiore fornicata; inferiore longiore. Labia hyalina, membranacea, revoluta. Dentes in maxilla superiore antici duo incurvi, reliqui minuti, conferti, ordinati, unius ordinis; in maxilla inferiore magni, incurvi, a medio versus angulum

---

(*) *Zeus argentarius* Bl. S. p. 96. *Equula minuta* Cuv. Val. X. pag. 88.

faucis sensim decrescentes. Lingua parva, carnosa, adnata, spatulata. Palatum edentulum. Nares geminae, postremae, superae, vicinae; anticis minoribus, rotundis; posticis maioribus, rotundis. Oculi superi, ampli, planiusculi, medii, semitecti membrana annulata. Iris argentea.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, alepidota, glaberrima, argenteo-lucida. Membrana branchiostega quadriradiata, semipatens, lateralis. Apertura branchialis lateralis, arcuata; in margine interiore claviculae, utrimque duobus aculeis porrectis, intra aperturam branchialem, cute communi tectis. Branchiae 4 arcuatae, extus ciliatae, intus aculeis longis pectinatae.

Gula ventricosa. Thorax, abdomen et dorsum carinata. Thorax alepidotus, cute communi, argentea tectus. Dorsum et abdomen ad basin p. pect. et anal. serrata.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, intra membranas adiacentes laterales condenda, spinis 9, quarum prima recumbens, non pertusa; secunda minima, radiis 16. Pinnae pectorales radiis 15. Pinnae ventrales spina 1, rad. 5, adiacente squama laterali stricta. Pinna analis spinis 3, prima minima, radiis 14. Pinna caudalis bifida, rad. 16.

Iun. 27. 1774.

233. *Sparus miniatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sparus ovatus, gilvo reticulatus, dentibus incisoribus utrimque 4 conicis, incurvis, molaribus latioribus obtusiusculis.

Habitat in Namocka insula et nova Caledonia, sapidus piscis.

(*) *Sparus miniatus* Bl. S. p. 281. *Lethrinus miniatus* Cuv. Val. VI, p. 235.

Corpus cathetoplateum, ovatum, squamosum, flavescens, gilvo quasi reticulatum, dorso subfusco, abdomine pallidiore. Squamae confertae, magnae, rhombeae, sessiles, cartilagineae, flavescentes, margine gilvae.

Caput cathetoplateum, triangulare, apice acutiusculum, corpore angustius, rostratum, nudum, glabrum; supra e fusco virens; subtus flavum. Os rictu infero, transverso, mediocri. Rostrum longum, acutum. Maxillae dentatae, labiatae; superior longior extractilis; infera mobilis. Labia magna, crassa, carnosa, duplicata, miniata. Dentes in maxillis incisores 4 utrimque, exteriores maiores, conici, acuti, incurvi; molares confertiores, latiores, breviores, recti, obtusiusculi; intermedii maiores, pone incisores denticuli minuti, confertissimi, acerosi. Lingua carnosa, brevis, rubra, adnata. Palatum glabrum, edentulum, membrana brevi fornicatum. Nares superae, remotae inter se; anteriores tubulosae, in medio rostri; posteriores oblongae, oculis vicinae, in sulco positae. Oculi superi ampli, protuberantes, ovales; iride aurea.

Opercula branchialia triphylla ossea; laminae priores amplae, glabrae, cute communi tectae, alepidotae, postice angulo rotundato; imae (nota priorum) iisque parallelae; posticae squamosae, angulo obtuso supra pinnam pectoralem. Membrana branchiostega sex-radiata, tecta, gularis. Apertura branchialis lateralis et gularis, arcuata, mediocris, operculata. Branchiae operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Nucha squamis raris maioribus tecta. Gula membranis branchialibus connatis partim tecta. Dorsum monopterygium, carinatum, arcuatum, fossula excavatum. Abdomen turgidiusculum. Linea lateralis supera, parallela, elevata, e maculis trigonis fuscis. Anus medius, amplus. Cauda compressa, obtusa, subemarginata.

Pinna dorsalis fere longitudinalis, composita, flaves

cens, apice miniato; pars mutica rubicunda, spinis 10 in fossula dorsi recondendis, radiis 10 dichotomis. Pinnae pectorales subtrigonae, acuminatae, rubicundae, supra infraque ad basin macula sanguinea, radiis 12. Pinnae ventrales trapeziae, apice acuminatae, rubicundae, basi macula sanguinea; spina 1, radiis dichotomis 5. Squama stricta, linearis, acuta, ad basin pinnae. Pinna analis composita, rubicunda, subaequalis, spinis 3, in fossula abdominis condendis, radiis 9. Pinna dors. et anal. postice cute laxa carnosa a dorso et abdomine separatae. Pinna caudae subbifida, rubra, basi obscura, radiis 17.

Aug. 15. 1774.

234. *Sciaena argyrea* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sciaena argentea, pinnis dorsali analique intra duo folia squamosa condendis; supericiliis canthoque oculi pellucido-argenteis.

Habitat in Tanna insula.

Corpus ovatum, cathetoplateum, squamosum, argenteum. Squamae magnae, facile deciduae, semiorbiculares, argenteae.

Caput acutum, glabrum, crassitie corporis, squamosum. Os rictu antico, medio, obliquo, simo, exiguo. Rostrum subplagioplateum, planiusculum, breve. Maxillae exiguae, nudae, denticulatae, extractiles; superiore paulo longiore, fornicata. Denticuli acerosi, minimi, conferti in utraque maxilla. Lingua carnosa, obtusa, glabra, vaginata. Ossiculum mystacinum utrimque ovale, pro oris proportione magnum, argenteum. Nares posticae, supremae, ad canthum

---

(*) *Cichla argyrea* Bl. S. p. 344. *Gerres argyreus* Cuv. Val. VI. p. 360.

oculi, geminae, vicinae inter se, ovales, anticae minores. Oculi superi, antici, plani, orbiculati, amplissimi, semitecti membrana annulari. Iride argentea.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, squamosa, libera, argenteo-lucida. Membrana branchiostega sexradiata, infera sive gularis, tecta. Apertura branchialis lateralis, arcuata, operculata. Branchiae 4, arcuatae, laterales, extus ciliatae, intus tuberculatae.

Gula carinata, operculis inclusa. Thorax et abdomen plana. Dorsum monopterygium, arcuatum. Latera convexiuscula. Linea lateralis arcuata, parallela, supera. Anus amplus, medius. Cauda pinnata, compressa.

Pinna dorsalis fere longitudinalis, composita, intra duo folia membranacea condenda, spinis 9, prima minima, radiis 10. Pinnae pectorales acuminatae, radiis 15. Pinnae ventrales thoracicae, paululum rubicundae, compositae, spina 1, radiis 5. Pinna analis composita, inter duo folia membranacea condenda, spinis 3, prima minima, radiis 7. Pinna caudae bifurcata, radiis 17.

Octobr. 10. 1774.

235. *Sciaena cultrata* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sciaena argentea, corpore cultrato, pinnis ventralibus adnatis, connatisque.

Habitat extra Tropicos, in mari alluente insulam Norfolciae, capta hamo.

Corpus ovatum, squamosum, cathetoplateum, (dorso crassum, convexum; abdomine acutum, carinatum s. cultratum). Dorsum coeruleum, reliqua argentea. Squamae mediocres, argenteae.

(*) *Cichla cultrata* Bl. S. p. 343.

Caput subrotundum, cultratum, squamosum, argenteum. Os rictu supero, parvo, obliquo, arcuato. Maxillae parvae, arcuatae, aequales, utraque fornicata. Dentes minuti, acutissimi, conferti. Lingua cartilaginea, obtusa, coerulea. Mystax nuda, argentea. Regio ocularis et vertex squamosa. Nares geminae, superae, paulo ante oculos, in rostro brevi. Oculi superi, mediocres; iride argentea.

Opercula branchialia triphylla, argentea. Membrana branchiostega radiis 6 brevibus, arcuatis, infera, tecta. Apertura branchialis ampla, arcuata, lateralis et gularis. Branchiae 4, arcuatae, operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum crassum, convexum; latera compressa. Gula, pectus et abdomen acuta, carinata. Anus anticus, mediocris. Linea lateralis curva, antice a cervice ante aperturam branchialem incipiens, dein descendens, parallela, denique media, recta.

Pinna dorsalis composita, brevis, membrana laterali inclusa, spinis 8, radiis 24 dichotomis. Pinnae pectorales superae, subfalcatae, radiis 15 dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, parvae, adnatae abdomini, ac inter se connatae, radiis 5. Pinna analis brevis, membrana laterali inclusa, composita, spinis 3, radiis 26 dichotomis. Pinna caudae bifurca, radiis 22 dichotomis.

Mensurae.

Longitudo piscis	8 unc.
Latitudo	$2\frac{1}{4}$ »
Crassities dorsi maxima	$\frac{9}{10}$ »
Caput	$1\frac{4}{10}$ »
Pinna pectoralis	$1\frac{1}{10}$ »

Aug. 13. 1774.

236. *Perca grunniens* F. (*)

(Fig. pict. F.)

Perca pinnis dorsalibus unitis, spinis 12, radiis 14, ore simo, pinna anali basi squamosa, cauda subintegra.

Habitat in portu insulae Tanna; ubi capta frequenter, et dum in littus extracta proiiceretur, sonitum grunnitui quasi similem edidit.

Corpus cathetoplateum, ovatum, squamosum, argenteum, dorso e nigro-vinoso. Squamae amplae, rhombeae, antice ciliatae.

Caput obtusum, corpore crassius, et angustius, squamosum undique. Os rictu medio, obliquo, arcuato, simo, parvo, rostro obtuso, brevi. Labium supra membranaceum, revolutum. Maxillae arcuatae, parvae, fornicatae, extractiles; superior longior. Dentes in utraque maxilla minuti, acerosi, conferti. Lingua parva, carnosa, annexa, obtusa, glabra. Palatum glabrum. Nares postremae, superae, vicinae, oblique in scrobiculo ante oculos positae; anticae oblongae et maiores, posticae ovales, minores. Oculi supremi, remoti, convexi, magni, semitecti membrana nictitante annulari; iride aureo-rubicunda.

Opercula branchialia triphylla, squamosa. Lamina antica rhombea, postice serrata, ima, angusta; postica desinit supra pinnam pectoralem in acumen muticum, membranaceum, obtusum. Membrana branchiostega 7-radiata, semipatens, gularis. Apertura branchialis gularis, repanda margine. Branchiae operculatae, extus ciliatae, intus aculeatae.

(*) *Anthias grunniens* Bl. S. p. 308. *Pristipoma guoraca* Cuv. Val.? V. p. 192.

Gula ventricosa, thorax planus. Dorsum monopterygium, arcuatum, carinatum. Abdomen planum. Linea lateralis dorso parallela, supera. Anus remotus. Cauda compressa.

Pinna dorsalis fere longitudinalis, composita; spinis 12 lateribus argenteis, radiis dichotomis 14. Pinnae pectorales acuminatae, radiis 17. Pinnae ventrales rotundatae, spina 1, radiis 5. Pinna analis subsquamosa, spinis 3 lateribus argenteis, radiis 8. Pinna caudae sublunata, radiis 18.

Aug. 14. 1774.

237. *Clupea mystacina* F. (*)

(Fig. picta G.)

Clupea maxillae superioris mystacibus elongatis, pinnae analis discretae radiis dichotomis, cauda bifurcata.

Habitat in mari alluente Tannam insulam. Primum suspicabar, huncce pisciculum miniatum esse Linnaei *Clupeam mystacem;* verum facile vidi in nostra pinnam ani discretam, nec caudae coadunatam; nostra habet radios dichotomos in pinna ani 34, et Linnaeanus piscis habet teste Osbeckio radios 86 simplices; denique nostrae *Clupeae* cauda est bifurcata, at piscis chinensis cauda est acuminata. Itaque inde collegi nostrum pisciculum nondum esse descriptum et ob mystaces elongatas *mystacinum* dixi.

Corpus lineari-lanceolatum, cultratum, argenteum, squamosum; squamae deciduae, suborbiculatae, argenteae.

Caput compressum, obtusum, alepidotum; supra rubro-aureum; subtus argenteum. Os rictu infero, obliquo, amplo. Rostrum breve, obtusum, simum; maxilla superior excurrit in mystaces elongatas usque ad anum, osseas

---

(*) *Clupea setirostris* Bl. S. p. 428.

subtus serratas; maxilla inferior serrata. Dentes nulli. Lingua nulla, nisi sic appellaveris apicem ossis hyoidei magni inter ossa maxillae inferioris siti. Palatum canaliculatum, glabrum. Nares solitariae, rotundae, marginatae, posticae, superae, remotae. Oculi laterales, vicini rostro, plani, rotundi, mediocres; iride argentea.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, glabra, lucida, alepidota, argentea. Membrana branchiostega radiis 11 s. 12 vix conspicua, ima; radiis posticis, lamellatis, imbricatis, argenteis. Apertura branchialis amplissima, gularis et lateralis, repanda. Branchiae semi-ellipticae, altero apice apici ossis hyoidei, altero palato adnatae, extus ciliatae, intus aculeis setaceis longissimis.

Abdomen carinatum, serratum, argenteum. Anus submedius. Linea lateralis recta, submedia, laevis, obsoleta.

Pinna dorsalis decrescens, in medio dorso, pone aequilibrium, rubicunda, rad. 13 dichotomis. Pinnae pectorales acuminatae, falcatae, argenteae, radiis 13 dichotomis, adiacente squama longa, acuminata, stricta. Pinnae ventrales abdominales, albae, acuminatae; radiis dichotomis 6; pinnis pect. minores. Pinna analis alba, descendens, radiis 34 dichotomis. Pinna caudae forficata, rubicunda, radiis dichotomis 18.

Aug. 14. 1774.

238. *Clupea cyprinoides* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Clupea radio postico pinnae dorsalis setaceo, longo; membrana branchiostega radiis 24.

Habitat in Tanna insula, hamo capta, in aqua stagnante, dulci, vix 20 passuum spatio a mari et littore arenoso in-

(*) *Clupea thrissoides* Bl. S. p. 424.

teriecto; adeo ut certe marinus sit piscis, sed forte aestu, vel vento tempestuoso, mare ultra limites et littora deferente in hoc stagnum coniectus, vel etiam alio casu eodem delatus. Inter hunc nostrum piscem et *Clupeam Thrissam* Linnaei quaedam intercedit affinitas, at membrana branchiostega in nostro pisce 24 radiorum, in Linnaeano 5 vel 7.

Corpus oblongum, cathetoplateum, squamosum, argenteum, dorso nigrescente, ventre infra lineam lateralem punctis minimis nigris irrorato. Squamae amplae, suborbiculatae, margine membranaceo, argenteae.

Caput deltoideum, crassitie corporis, alepidotum, lucidum, supra nigrescenti-argenteum. Os rictu medio, obliquo, arcuato, mediocri; rostrum breve, subobtusum. Maxilla superior plagioplatea, denticulata; inferior longior, denticulata, mobilis, postice margine elevato. Dentes in maxillis, lingua, palato et faucibus minutissimi, confertissimi, acerosi. Lingua obtusa, spatulata, cartilaginea, medio denticulata, lateribus revolutis. Palatum canaliculatum, lobis 2 lateralibus, torosis, denticulatis. Nares mediae, superae, vicinae, ovales, geminae; posticae maiores. Oculi superi, vicini rostro, plani, rotundi, ampli, semitecti membrana annulari. Iris argentea.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, lucida, nuda, argentea, libera; lamina antica ex parte posticam tegens. Membrana branchiostega 24 radiorum, semipatens, gularis. Apertura branchialis gularis et lateralis, ampla, arcuata, operculata. Branchiae oblongo-ellipticae, operculatae, laterales, ossiculis 4, extus ciliatae, intus aculeis setaceis.

Gula osse hyoideo carinata, postice aculeata, membrana expansa lateribus supra membranam branchiostegam. Thorax et abdomen convexa (non carinata nec serrata). Latera plana. Linea lateralis recta, media, squamae lineis 5-10 radiantibus notatae. Anus posticus. Cauda compressa.

Pinna dorsalis pone aeguilibrium posita, descendens, fuliginosa, rad. 14 dichotomis, excepto radio postremo, elongato, setaceo. Pinnae pectorales deltoideae, cum squama, longa, stricta adiacente, rad. 14 dichotomis. Pinnae ventrales abdominales, cum squama longa, stricta, adiacente, rad. 10 dichotomis. Pinna analis medio excavato-falcata, rad. 25 dichotomis, excepto radio postremo elongato, setaceo. Pinna caudae bifurcata, radiis 21 dichotomis. Pinnae omnes, excepta dorsali, punctis minutissimis nigris irroratae.

Septembr. 9. 1774.

239. *Atherina lacunosa* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Atherina pinna anali radiis 15.

Habitat in novae Caledoniae ostiis rivulorum aquae dulcis, mari vicinis, salsuginosis tempore aestus; ab incolis appellatur *M'bai*.

Corpus lanceolatum, oblongum, subcultratum, squamosum, semipellucidum. Squamae semiorbiculatae, magnae, argenteae, imbricatae, crebrae, fixae.

Caput triquetrum, supra nudum, planiusculum, lacunosum, duabus lacunis inter oculos, sulcis circiter 6 in rostro; ab oculis cum nucha squamosum. Os rictu supero, obliquo, denticulato. Maxilla superior planiuscula, fornicata supra inferiorem, apice fixa, lateribus ad angulum faucis mobilis; inferior apice rotundata, mobilis; utraque aequalis. Dentes minutissimi, acutissimi, confertissimi. Lingua parva, carnosa, frenulata, spatulata, pellucida, hyalina, basi carina denticulata. Palatum postice sulcatum pro re-

(*) Cf. Bloch. Schn. p. 112. *Atherina lacunosa* Cuv. Val. X. pag. 454.

cipienda linguae carina, ad latera asperatum ossiculis denticulatis. Nares solitariae, ante oculos, mediae, maxillis proximae. Rostrum breve, obtusum, depressiusculum. Oculi amplissimi, antici, superi; iride argentea.

Opercula branchialia triphylla, flexilia, nuda, argentea. Membrana branchiostega radiis 6, infera, gularis, semitecta. Apertura branchialis ampla, arcuata, lateralis et gularis. Branchiae arcuatae 4, extus ciliatae, intus aculeatae.

Dorsum convexum, crassum. Latera plana, depressa, Gula tecta membrana branchiostega. Pectus et abdomen convexiuscula, at dorso multo minus crassa. Anus medius, mediocris. Linea lateralis recta, media, lata, opaca, argentea.

Pinnae dorsales binae; altera lumbaris, radiis 5; altera anali opposita, caudae vicina, radiis 9. Pinnae pectorales superae, subfalcatae, acuminatae, radiis 17. Pinnae ventrales abdominales; squama stricta, oblonga, acuta, subiacet pinnae, spina 1, radiis 5. Pinna analis ab ano remota, radiis 15, radio postico longiore. Pinna caudae bifida, radiis 18.

18. Aug. 1774.

240. *Mugil salmoneus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Mugil dorso monopterygio, membrana branchiostega radiis 4.

(*) Ex hac descriptione *Mugilis salmonei* Schneiderus (in systemate Blochiano p. 121) pauca, quae ad stabiliendam diagnosin graviora sibi visa sunt, excerpsit, reliqua neglexit. Cuvierus (Regn. anim. II. p. 324) ex icone (in Bibliotheca Banksiana) iudicans, eundem cum *Argentina machnata* Forsk. ad *Elopes* revocat, nulla radiorum membr. branchiost. ratione habita, quorum numerus in *Elopibus* 30

Hic piscis mare alluens Tannam insulam inhabitat, reti captus; et quartam *Mugilis* speciem exhibet. A reliquis numero radiorum branchiostegorum, et dorso monopterygio differt. Tres quod sciam species sunt dorso dipterygio: una radios 7 branchiostegos habet, duae species 5 et haec nostra tantum 4: illae inter se differunt, pinnis ventralibus connatis in *Albula,* vicinis at discretis in *cirrostoma,* et ore in *Albula* nudo, in alia specie cirris villosis cincto, unde *cirrostomen* dixi; sunt itaque omnes hae species sufficienter distinctae. Huic nostro *Mugili* cum reliquis speciebus id commune, ut retibus inclusi, subsultim evadere tentent, quod iam Oppianus in *Cephalo* observavit. Recte quoque hoc genus ab Aristotele piscibus littoralibus annumeratur.

Corpus oblongum, cathetoplateum, squamosum, argenteum, dorso coerulescente. Squamae rhombeae, mediocres, imbricatae, facile deciduae, argenteae, superficie antica striatae.

Caput subacutum, deltoideum, corpore angustius, mediocre, alepidotum, lucidum, argenteum, circa oculos et in operculis anticis substantia lazulino-argentea tectum. Os rictu medio, obliquo, exiguo. Rostrum plagioplateum, mediocre, rectiusculum. Maxillae plagioplateae, labiatae, edentulae, mobiles; superiore medio emarginata, longiore; in-

---

et ultra, in hoc pisce modo 4. Optime Rüppelius *Mugilem* nostrum *salmoneum* eundem esse, quem *M. chanos* vocat Forskålius, demonstravit, locum ei in familia *Clupearum* vindicans et generi *Lutodeira* eum adsocians: (*Lutodeira Chanos* Rüpp.). Specimina Musei nostri, ab Ehrenbergio in mari rubro capta, hanc Rüppelii opinionem et Forsteri descriptionem optime comprobant, Cuvieri errorem refutant, in eiusdem historia Piscium (Hist. nat. d. Poissons Vol. XI. pag. 4) denuo enuntiatum. Maxime autem Grajus et Richardsonius nobis videntur vituperandi, qui nuperrime in annotationibus zoologicis ad Dieffenbachii Itinerarium (Travels in New Zealand II. pag. 218) eundem piscem *Leuciscum* (*Ptycholepin*) *salmoneum* nuncupant, primi inter omnes Cyprinum in Oceano piscaturi.

feriore denticulo elevato in medio, recepta intra superiorem. Labia membranacea, cute communi maxillas tegente. Dentes nulli. Lingua obtusa, glabra, prorsus adnata. Palatum canaliculatum, glabrum, edentulum. Nares geminae, rotundae, approximatae, septo membranaceo distinctae, superae, mediae. Oculi ampli, medii, laterales, remoti, plani, cute communi cincti; iride argentea. Regio ophthalmica substantia hyalina, argentea operta.

Opercula branchialia triphylla, alepidota, flexilia, libera, subtus cute gulari connexa, laevia, lucida, argentea. Membrana branchiostega 4-radiata, apparens, gularis. Apertura branchialis lateralis et gularis, operculata, arcuata, mediocris. Branchiae 4 arcuatae, extus ciliatae, intus aculeatae. Gula membrana iungens opercula et branchiostegas.

Thorax et abdomen plana. Latera convexa. Dorsum monopterygium, convexum, subarcuatum. Linea lateralis antice a nucha descendens, dein media, recta, laevis. Anus remotus. Cauda compressa.

Pinna dorsalis pone aequilibrium posita, perpendicularis, deltoidea, inter duo folia squamosa condenda, rad. 15 dichotomis. Pinnae pectorales subacutae, exiguae, rad. 16 dichotomis; squama longa, argentea, stricta superiacet. Pinnae ventrales abdominales, remotae, trapeziae, vix magnitudine p. pect., rad. 10 dichotomis, adiacente squama longa argentea, stricta. Pinna analis postica, exigua, excavata, intra duo folia squamosa condenda, rad. 8. Pinna caudae bifurcata, radiis 28 dichotomis.

Octobr. 23. 1774.

241. *Cyclopterus pinnulatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

(*) *Lepadogaster pinnulatus* Bl. Schn. Syst. p. 2.

Cyclopterus corpore nudo, albo maculato, pinnulis ante oculos geminis.

Habitat in Aestuario Reginae Charlottae, in nova Zelandia, inter lapides littoreos ad ostia rivulorum aquae dulcis. Hic pisciculus medium obtinet locum inter *Cyclopterum dentacem* apud celeb. Pallas in Spicilegii Zool. fasc. VII. tab. 1. et *Lepadogasterem* clarissimi Gouan, qui ad *Cyclopteros* est revocandus. Praeterea monendum censeo, *Cyclopteros* inter Amphibia nantes relatos, potius ad *Iugulares* pertinere, nec, quod Gouanus vult, *Thoracicos* spectare. Pinnae enim ventrales certe in omnibus ante p. pect. corpori affixae sunt. Ab incolis appellatur *Moye-àdoo*.

Corpus alepidotum, mucosum, semipellucidum, viride-olivaceum, circa caput maculis rivosis confluentibus, paululum rubicundis, in reliquo corpore maculis irregularibus, sparsis, virenti-albidis.

Caput depressum, amplum, nudum, alepidotum, corpore latius, subtus planum, vertice itidem plano; latere operculis branchialibus ventricosis, prominentibus. Os rictu infero, horizontali, amplissimo. Labia crassa, carnosa, revoluta, munita utrimque lobis maioribus, revolutis, antice supra et ad angulum faucis tenuioribus, antice subtus minimis. Maxillae amplae, rotundatae, aequales, denticulatae. Dentes antice in utraque maxilla plurimi, obtusi, validiusculi, inordinati, conferti; postice versus angulum faucis ordinati, unius ordinis, obtusi, validiusculi. Lingua elliptica, carnosa, plano-convexiuscula, in ipsa fauce denticulis minutis asperata. Palatum lacunosum, antice fornicatum, velo membranaceo, arcuato. Rostrum vix declive, planiusculum, rotundatum, obtusum. Nares geminae, superae, ante oculos positae; posticae tubulo-brevi, amplo, membranaceo, prominulo, conico-truncato, perforato; anticae tubulo membranaceo longiore, angustiore, apice clavato, laciniaque opercu-lari membranacea clausili. Oculi laterales, parvi, cute com-

muni tecti, convexiusculi; irides viridi-fuscae, annulo ad pupillam aureo.

Opercula branchialia nuda, limbo membranaceo postice instructa, latere ventricosa, torosa, prominula, maculis albis rivosis notata. Membrana branchiostega 6-radiata, infera, pinnis ventralibus partim tecta, radiis 4 lateralibus subrectis, vicinis, longis, duabus gularibus subarcuatis, remotis, brevissimis. Apertura branchialis lateralis, ima, tubulosa, operculata, mediocris. Branchiae 4 retroactae, arcuatae, extus ciliatae, intus granulosae.

Dorsum plano-concavum, latum. Gula plana. Abdomen et thorax excavata. Linea lateralis inconspicua s. nulla. Anus exiguus, patulus, posticus, et pone anum appendiculus parvus, subcylindricus (forte penis s. membrum genitale).

Pinna dorsalis caudalis s. caudae insidens, sed a p. caud. distincta, rubicunda, striis 4 obliquis nigris notata, radiis 7 muticis. Pinnae pectorales laterales, rotundatae, radiis muticis 24, antice connexae p. ventr. ope membranae. Pinnae ventrales iugulares, rad. 4 muticis, carnosis; posticae coëunt in membranam carnosam orbicularem cotyledonideam, margine papilloso et lobis duobus lateralibus membranaceis sub p. pect. Pinna analis caudalis, sed a p. caud. distincta, rubicunda, striis obliquis nigris notata, radiis 6 muticis. Pinna caudae rotundata, rubicunda, rad. 12 muticis.

Mensurae.

Piscis	longus	$3\frac{3}{4}$	unc.
»	latus deorsum	$\frac{1}{2}$	»
»	crassus transversim	$1\frac{1}{16}$	»

Octobr. 29. 1774.

242. *Gadus Rhacinus* F. (*).

(Fig. pict. G.)

Gadus dipterygius cirratus, pinna dorsi anteriore 5-radiata, operculis muticis.

Habitat in Aestuario Reginae Charlottae in Nova Zelandia, incolis appellatur nomine *Ahòoroo.*

Summa affinitas inter hunc piscem et *Blennium Phycim,* et si numerum radiorum in pinnis, et imprimis ventralium, praetereaque colorem exceperis, nil magis simile. Figura *Tincae marinae* Salviani apud Willughbejum tabul. 12. fig. 3. eadem fere, quae nostri Gadi est; id tamen observandum, pinnas ventrales in nostro Gado constanter 6 radiorum esse. Quum Ovidius piscem quendam pullum seu nigrum colore, appellaverit *Rhacinum,* et noster Gadus eiusdem prorsus sit coloris, non haesitavi eundem *Rhacinum* appellare.

Corpus compressum, oblongum, postice attenuatum, magnitudine circiter *Gadi Mustelae,* nigro-fuliginosum, subtus vix pallidius. Squamae minutae, oblongae, cartilagineae, cute communi lubrica tectae.

Caput teretiusculum, declive, obtusum, squamosum, corpore angustius, longitudine circiter tertiam reliqui corporis partem exaequat (cauda nempe omissa), nigrum. Os rictu imo, obliquo, amplo, labiato. Rostrum obtusum, rotundatum, alepidotum, carnosum, prominens. Labia carnosa, tenuia, laxa. Maxillae dentatae; superiore longiore, extractili. Dentes acerosi, minuti, inordinati in maxillis, extimi maiores interioribus. Palatum antice edentulum, postice inter branchias utrimque tuberculo denticulis aspero. Lingua spatulata, minima, adnata, brevissima, carnosa, laevis, tuber-

---

(*) *Phycis tinca* Var. Bl. S. p. 56.

culo lunato denticulis aspero ad basin linguae inter branchias. Mentum cirro unico barbatum. Oculi ampli, laterales, superi, rostro propinqui, cute communi tecti. Iride obscure-fusca, argentea. Nares oculis vicinae, geminae, parvae, ovatae, approximatae, septo membranaceo-cirroso distinctae. Frons planiuscula uti reliquum caput squamosa. Opercula branchialia lateralia, diphylla, ossea, squamosa, cute communi tecta, mutica, lamina antica suborbiculata, postica lunata. Membrana branchiostega gularis, manifesta 7-radiata, radiis cartilagineis, muticis, declinatis. Apertura branchialis mediocris, lateralis et gularis arcuata.

Dorsum et abdomen convexiuscula. Anus pone aequilibrium at anticus. Cauda oblonga compresso-carinata, attenuata. Linea lateralis sulcata, antice supera, parallela, dein curvatur arcu eontrario, denique excurrit in caudam recta, media: ramificationes breves, simplices, obtusae, subparallelae, confertae, a latere inferiore lineae lateralis excurrunt.

Pinnae dorsales geminae; prima nuchae imposita, parva, triangularis, carnosa, radiis 5 exsoletis simplicibus; secunda anticae approximata, carnosa, radiis exsoletis simplicibus circiter 68. Pinnae pectorales mediae, mediocres, ovatae, crassae, radiis 22 dichotomis, mollibus. Pinnae ventrales iugulares, imae, acuminatae, crassae, radiis obsoletis 6 dichotomis s. ramosis. Pinna analis longitudinalis, carnosa, radiis 62 simplicibus. Pinna caudae integra, ovata, radiis dichotomis 28. Pinnae omnes squamulis minutis consitae.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri, in extremum pinnae caudalis	13 unc.
Latitudo circa P. d. priorem	$3\frac{1}{4}$ »
Caput longum	$2\frac{3}{4}$ »

Octobr. 28.

243. *Sparus pullus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sparus lanceolato-compressus, nigro-fuscus, squamis parvis cute tectis. Habitat in Aestuario Reginae Charlottae in Nova Zelandia, ab incolis appellatur *Mararee.*

Corpus oblongo-lanceolatum, compressum, squamosum, totum fusco-nigricans, Squamae parvae, oblongae, flexiles, imbricatae, confertae, cute communi tectae.

Caput acutum, subcuneiforme, latitudine corporis tertiam circiter longitudinis partem exaequante. Os rictu medio, horizontali, recto, parvo. Rostrum acutum, mediocre, rectum, subconicum. Maxillae rotundatae, parvae, aequales, utraque fornicata velo membranaceo, postice truncato; inferiore mobili. Labia parva, membranacea, sessilia. Dentes in utraque maxilla, duo, validi, longi, totam maxillam explentes, medio conjuncti, carinati, carina acutissima. Palatum glabrum, nudum. Lingua carnosa, brevis, frenulata, obtusa, parabolica. Nares geminae, superae, minutae, aequales, remotae a se invicem et inter se; ante oculos positae, iisque magis vicinae quam maxillis.

Oculi superi, laterales, remoti, plani, medii, mediocres, semitecti membrana annulari; iride lutea. Opercula branchialia triphylla, arcuata, flexilia, glabra, pone oculos et ad aperturae branchialis initium squamis minutis cute membranacea tectis; reliqua pars operculorum alepidota cute tecta. Lamina postica supra pinnam pectoralem appendice membranaceo, emarginato-repando aucta. Membrana branchiostega semitecta, gularis, 5-radiata, radiis arcuatis. Apertura branchialis arcuata, lateralis, mediocris, oper-

(*) *Scarus pullus* Bl. S. p. 288. *Odax pullus* Cuv. Val. XIV. p. 304.

culata. Branchiae arcuatae, operculatae, laterales, simplices, extus ciliatae, intus aculeatae.

Gula ventricosa. Thorax convexus. Abdomen turgidum. Dorsum monopterygium rectum, convexum. Latera convexa. Linea lateralis primum supera, parallela; dein pone pinnas pect. obliqua; denique media, recta, mutica. Anus amplus, remotus, cauda compressa.

Pinna dorsalis longitudinalis, composita, primum aequalis, dein postice assurgens, radiis 23 simplicibus, 11 dichotomis. Pinnae pectorales rotundatae, aequales, mediae, radiis 14 dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, pone pectorales, sed in sterno, trigonae, acuminatae, postice connatae, radiis 5 dichotomis. Pinna analis aequalis, radiis 13 dichotomis. Pinna caudae sublunata, radiis 10 vel 11 dichotomis.

Pinnae omnes nigro-fuseae.

Octobr. 18. 1774.

244. *Sciaena aurata* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Sciaena corpore aureo-rubicundo.

Habitat in Aestuario Reginae Charlottae, in Nova Zelandia, et incolis nomine *Ghoopàrree* venit. Sapidus imprimis piscis.

Corpus ovatum, compressum, squamosum, aureo-rubicundum: abdomine subtus planiusculo. Squamae amplae, oblongae, aureo-rubicundae, at in ventre albae.

Caput amplum, subrotundum, compressum, squamosum. Os rictu infero, subobliquo, unam tertiam partem capitis exaequante. Labia crassa, carnosa, revoluta, extra-

(*) *Labrus auratus* Bl. Schn. pag. 266.

ctilia cum maxillis. Maxillae amplae, dentatae, extractiles, superiore longiore. Dentes antici s. incisores validi, remoti a se invicem, obtusi, molares minores, granulosi, duarum triumve ordinum vel potius vix ordinati. Lingua brevis, obtusa, carnosa, nuda. Palatum nudum. Rostrum declive, obtusum. Nares geminae, superae, ante oculos positae; anticis brevibus, rotundis, posticis oblongis, amplis. Oculi superi, ampli, protuberantes, membrana nictitante annulari, iride aurea. Opercula branchialia triphylla, squamosa. Lamina antica ampla, rotundata; postica squamosa, supra pinn. pect. in angulum excurrens, infera lunata; membrana branchiostega infera, tecta, 6-radiata. Apertura branchialis lateralis et gularis, arcuata.

Dorsum arcuatum, antice carinatum, cum fossula pro recondenda pinna dorsali. Latera subconvexa. Abdomen plano-turgidiusculum. Anus posticus, in scrobiculo; pone anum membrum genitale prominulum membranaceo-cylindricum. Linea lateralis arcuata, parallela. Cauda compressa.

Pinna dorsalis composita, fere longitudinalis, spinae 10, dein spina 1 et rad. 12 dichotomi. Pinnae pectorales falcatae, acuminatae, rad. tertio capite longiore, radiis 14. Pinnae ventrales thoracicae, radiis 6. Pinna analis composita, spinis 3, radiis 8. Pinna caudae sublunata, radiis 18.

Pinnae dorsalis, pectorales et caudalis rubicundae, ventrales et analis albae.

Mensurae.

Longitudo piscis	24	unc.
Latitudo maxima	10	»

Piscis pendebat undecim pondera cum quadrante.

Octobr. 15. 1774.

245. *Perca prognathus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Perca (pinnis dorsalibus unitis, cauda integra) radiis spinosis 11, muticis 12. Maxilla inferiore longiore, acuta; dorso carinato.

Habitat in Aestuario Reginae Charlottae. Incolarum lingua *Patò-tĕrā* vocatur.

Corpus oblongum, lividum, squamosum; squamae minutae, confertae, imbricatae, margine exteriore rotundato, integro.

Caput amplum, corpore transverso latius, ovatum, squamosum. Os rictu supero, arcuato, oblique descendente; mystacibus amplis, trigonis, squamosis. Maxilla superior rotundata brevior, extractilis: inferior acuta, longior, apice obtusiusculo. Labia membranacea, revoluta. Dentes in utraque maxilla, minuti, acerosi, conferti, numerosi, incurvi. Palatum antice situm, denticulis confertis, acerosis, minimis. Lingua parabolica, plana, cartilaginea, nuda. Oculi superi, ampli, intra orbitam osseam, depressi; membrana nictitante annulari; iride argentea. Nares superae, ante oculos, in rostro mediae, geminae, ovales; anticae minores, posticae maiores. Opercula branchialia triphylla, squamosa; antica serrata duplici ordine, postica serrata et bispinosa, infera serrata et lunata; praeterea lamina oblonga, ossea, separata, serrata, pone summam partem aperturae branchialis in nucha posita. Membrana branchiostega infera, semitecta, 7-radiata, radiis validis, arcuatis. Apertura branchialis lateralis et gularis, ampla, arcuata, repanda. Branchiae 4 arcuatae

(*) *Epinephelus oxygeneios* Bl. S. p. 301. *Polyprion cernium* Cuv. Val. III. p. 22.

operculatae; prima s. supera extus ciliata, intus processibus osseis spinosis longis vallata; reliquae extus ciliatae, intus granulatae.

Dorsum a nucha ad pinn. dors. carinatum. Abdomen turgidum, album. Latera convexiuscula. Linea lateralis supera, parallela. Anus posticus.

Pinna dorsalis composita, spinis 11, radiis 12. Pinnae pectorales rotundatae, spina 1, radiis 16. Pinnae ventrales thoracicae, spina 1, radiis 5. Pinna analis spinis 3, radiis 10. Pinna caudae truncata, radiis 16.

Pinnae dors., pect., anal. et caud. carnosae et squamosae; omnes cinereo-lividae.

MARE PACIFICUM ET TERRAE MAGELLANICAE ET MARE ATLANTICUM.

Relicta die 10ma Novembris, tertia vice Nova Zelandia, ingens mare pacificum rursus intravimus. Die 12ma in vicinia Novae Zelandiae adhuc versantes, vidimus cetaceum animal, 30 circiter pedes longum, subcylindricum, nigrum; capite rostro obtuso, supraque sulcis duobus longitudinalibus exarato, oculis parvis; pone nucham vidimus duo spiracula lunata, parte convexa approximata; pinnis duabus rotundis pectoralibus, dorsali nulla; abdomine capite crassiore, maculis albis corpus erat hinc inde maculatum, praesertim in capite; cauda compressa, subcarinata; pinna caudalis plagiura, lunata vel subrecta.

Navis non raro volutatorio motu violento agitabatur, praesertim vento a puppi flante, et quidem tanto ut certe ultra 40^{mum} gradum a perpendiculari situ mali recederent, quod ideo notandum, quoniam a quibusdam publice id dictum fuerat, navim nunquam ultra 20^{mum} gradum a perpendiculo volutatione recedere. Calore aëris plerumque temperato, ventis prosperis et aëre humido, vaporibusque denso sumus usi, comitantibus navim per omne spatium oceani *Procellariis* pelagica, vittata, et assimili; *Diomedeis* exulante, chrysostoma et palpebrata, cum *Aptenodyta* anctarctica, et variis cetaceis animalibus, nec non hinc inde Fuci et Phocae conspiciebantur.

Tandem d. 18. Dec. mane terram australem magellanicam vulgo *del Fuego* appellatam conspeximus; raro exemplo mari ingenti 1500 leucarum, transcursu 5 hebdomadum triumque dierum superato. Littora huius terrae usque in 21. Dec. legimus, et ubique montes saxosos altissimos, nive

obrutos ac prorsus steriles conspeximus in hac Americae ora. Mare placidum semper et tempestas moderata, avibus undique navim circumvolitantibus, imprimis *Pelecanis magellanicis* et *carunculatis, Procellariis* variis et praesertim conspicua inter eas *ossifraga* gigantea, nec non *Diomedeis* enumeratis supra et *Laro catarracta.* Tandem vesperi 21. Dec. portum intravimus spatiosum et insulis plurimis consitum, inque recessu unius, loco securo anchoram iecimus.

Proxima die cymba in terram delati, prope rivulum paucas plantulas collegimus, et nonnullas novas alites, et piscem unum alterumve nacti sumus. Die 24. Decembri incidimus in locum, in quo ultra 60 anserini generis aves necavimus; itaque inter omnes nautas fuere distributae, adeo ut carne recenti possent sese reficere, neglectis salsamentis, quae plures iam fastidiebant. Posteris diebus exploratis variis huius portus recessibus, visisque saepius incolis huius infelicis terrae, denuo mare intravimus superatoque *Promontorio Hornano,* rursus in atlanticum oceanum ingressi sumus; *freto le Mairiano* enavigato, ubi plurima cetacea animalia circumsistebant navim. *Terram statuum* vidimus, eiusque septentrionalem oram legentes die ultimo anni 1774 inter aliquot insulas, orae *terrae statuum* obiacentes, anchoram iecimus: unamque earum *novi anni* insulam appellavimus. In eam illico escendimus et inumeros greges *Phocae ursinae* et *leoninae* Stelleri, quam ego *iubatam* appellavi, cum immensis gregibus *Aptenodytarum* ac *Pelecanorum* ubique conspeximus; praeterea et vidimus Anseres, Anates, Vultures, Falcones, Laros, Sternas, Tantali novam speciem, cum novo genere avis, cui nomen *Chionis lactea* a me impositum fuit, multasque alias aves. Plures earnm nobis in cibum cessere, neque in tanta abundantia carnes Phocae ursinae et iubatae recusavimus, sunt enim satis bonae et salsamentis praeferendae.

Tandem die 4[ta] Jan. anni 1775 rursus vela fecimus, ac circumnavigata *Statuum terra* in Eurum vela fecimus, at nulla in his plagis inventa terra in Thrasciam cursum direximus die 7[ma] Ianuarii et postquam circiter in 54° latitudinis Australis pervenissemus, Subsolanum petere coepimus et tandem die 14[ta] Ian. terram vidimus; verum ventis contrariis et intervallis quo venti nulli flabant detenti, die demum 17[ma] Ian. in hanc terram escendere potuimus. Et hic nil nisi saxa, mare versus atra, in interioribus nive et glacie squalida, nec ullis plantis operta vidimus; unico in loco tantum *Dactylim glomeratam* cum *Ancistro* conspeximus. Plures *Phocae iubatae, ursinae* et una alterave *leonina* in saxis quiescebant, cum pluribus *Aptenodytis,* una imprimis nova gigantea; vidimus praeterea *Sternam hirundinem, Laros marinum* et *catarractem, Pelecanum magellanicum, Procellarias capensem, ossifragam* et *pelagicam, Diomedeas Albatrum, chrysostomen* et *palpebratam, Anatem xanthoryncham* et *Chionin lacteam.*

Relicta post paucularum horarum moram hacce terra, cui nomen a Georgio III rege clementissimo diximus *Georgiam australem,* ut vera essent quae vates de Europa quondam cecinerat:

Tua sectus orbis nomina ducet.

Dein explorata hac insula, in Subsolanum et in Eurum pro re nata vela facere perreximus, et die Ian. 27[ma] glaciei congestas insulas conspeximus et rursus die 31. Ian. aliam vidimus terram sed *Georgia australi* multo squalidiorem, et in quam recte Plinii transferas verba, *pars mundi damnata a rerum natura* et *aeterna mersa caligine,* cuius pars dicta fuit *Insula Purificationis,* quod illi proximi essemus die 2[do] Febr. *Festo Purificationis,* at alia pars *Terrae nivalis* nomen obtinuit et alia maxime australis insula accepit nomen *Thule australis.*

Haec pars mundi nebulis densis pruinisque ac nivibus continuis involuta est, et gelu continuo riget, nil nisi nives et glacies a nobis sunt visae, et saxa vel cautes singulae ac veluti avulsae, mari cinctae, adeo erant atrae, ac si vim ignis recenter essent passae. Ne amplius oculi hoc immani aspectu laederentur denuo in Subsolanum cursum direximus, ita ut recte incideremus in eum locum, in quo anno 1739 d. 1. Jan. Lozierus Bouvet, Gallus navarchus credidit, se vidisse terram. Nos omne hoc spatium nave sumus emensi et multo ultra id in Apeliotem vela fecimus, nulla terra ne quidem glacie visa; tandem in eum usque pervenimus locum, ubi ante biennium et quod excurrit, ingentem conspexeramus vim glaciei, verum hocce tempore nil tale vidimus. Tunc igitur confecto omni negotio, ad promontorium bonae spei redeundi consilium cepimus: contrarii vero venti, quo minus id recta via peteremus obstitere.

Die 16no Martii primum navem ex India repetentem Europam conspeximus, nec dubium ullum est, gratissimum aspectum navis fuisse nobis, et magnum desiderium cum hominibus in ea navi colloqui, verum id nonnisi die 18va Martii efficere potuimus, ob venti defectum. Belgica erat haec navis, ex Bengala in prom. bon. spei cursum dirigens, et hic primum audivimus, sociam navim cum navarcho Furneaux anno praeterito in prom. bon. spei pervenisse et in Angliam rediisse, amissis in Nova Zelandia 10 sociis navalibus et cymba. Die insequenti Anglicam navem petiimus, a nobis tunc visam cum duabus Suecicis et Danica. In ea pransimus et varias res in ea audivimus et partim legimus ex actis diurnis anni 1773.

Die tandem 22da Martii in terram Promontorii escendimus, postquam navis portum intraverat. Hic quasdam ab amicis et coniuge litteras accepi, et ab amicis capensibus magna congratulatione sumus excepti. Varia animalia hic examinavimus, descripsimus, delineavimusque, quorum non-

nulla prorsus sunt nova, alia vix cognita et male descripta, alia denique cognita quidem fuere, sed sub alieno nomine latebant, quod illis a Belgis incolis imponitur non raro insulse. Sic *Canis ferus* est a nobis repertus vera *Hyaena*; animal quod hic nomine *Ratel* venit, est *Mustela* non descripta mellivora; animal appellatum *Mäusehund* est *Viverra Ichneumon; Phoca* huius loci est *ursina*. Piscis *Harder* est *Mugil Cephalus*; alius appellatus *Bagre* est *Silurus felis*; quos vocant *Stompnees* sunt *Sciaenae umbrae*; *Roche* est *Raja clavata*. Denique species piscis rubra hic loci nomine *Romans-Visch* nota, est *Sparus Pagrus*. Vidi hic quoque *Gadum Pollachium*. Quam *Vaccam marinam* appellant, est *Hippopotamus*. *Babuinus* capensis ululans, est *Simia Hamadryas*. Ex virorum fide dignorum ore id scio *Myrmecophagae* aliquam speciem promontorio bonae spei esse propriam, sed nullum huius generis animal obtinere potui, etsi magno oblato pretio.

Vulpecula huius regionis nec est communis, nec canis aureus, sed novum prorsus animal, cuius solas exuvias domum reduco. Animal ab incolis *Tygerwolf* appellatum ab amicissimo Pennantio recte descriptum delineatumque video in Synopsi quadrupedum, verum non ad novum genus Hyaenae spectat, caret enim foramine isto, in Hyaenis conspicuo. *Tigrides* huius terrae sunt *Unciae* Caji et *Leopardi* Buffonii: fulvi, maculis rotundis ocellatis; *Leopardi* capenses sunt pilis albidis, maculis nigris oblongis vel ovatis notati. Feles *Tigrinae* a Pennantio descriptae sunt nomine *capensium* (Syn. Quad. 131.). Nos accurate delineatas descriptasque habemus ex specimine vivo, praeterea et exuvias habeo. Sunt et aliae minores *Feles silvaticae* maculatae, novi generis, quarum exuvias affero. *Felis rubra* est, uti ex exuviis iudicare licuit, *Siyah-Ghush* sive *Lynx auriculis atris*. Quod vocant *Muskeljat Cat*, est *Viverra Genetta*, alia species, vocata *Mäusehund*, est varietas *Viverrae*

putorii, nigra, lineis tribus dorsalibus albis: a Pennantio Syn. quad. p. 234 descripta, nomine *Fizzler* i. e. *Paedens*.

Sciurum palmarum hic quoque vldi; griseo-rufum, dorso striis duabus flavicantibus, cauda albo nigroque varia. *Viverra tetradactyla* hic communis est, etsi comes Buffonius eam ex Surinamo velit allatam, ubi nunquam fuit indigena. Animalculum vivum ipse domum affero. *Hystrix cristata* communis et *Cavia capensis*. *Camelopardalis* caput vidi, cuius cornua fuere 6 circiter unciarum, pilis tecta, conico-cylindrica et apice obtusa, pilis ultra apicem in acumen exeuntibus. Cornua intus sunt solida, quod ipse examinavi, et capiti per apophysin annexa fuisse videbantur: antice 17 pedes longum fuisse comperi ex iis qui unum huius generis animal necaverant in interioribus Africae. Praeter *Bovem Taurum*, alium bovem, ferum imprimis validissimumque et homines animaliaque appetentem, in Africa esse comperi, verum quantum ex descriptione et cornubus in bibliotheca servatis colligere potui, simile admodum est animal *Bovi Bubalidi*. *Equus Zebra* habet varietatem hic, quam *Asinum* appellant *ferum*, colore spadiceo et pauculis zonis obliteratis albidis notatam; vidi unum mansuetum, currui iunctum cum equis, et huic similem picturam e vivo animali factam a pictore germano, et a filio transcriptam, mecum habeo. *Rhinocerotes* et *Hippopotami* iam sunt admodum rari, ideo iussum ne in posterum necarentur intra certos limites. *Suis Aethiopici* exuvias mecum affero. *Delphinos Phocaenas* in ipso portu vidi. De avibus paucula et vix notatu digna rescii, totus enim in mammalibus paene occupatus fui, ut quam plurimum colligerem.

TERRA STATUUM; INSULA NOVI ANNI.

Ian. 2. 1775.

246. *Phoca iubata* F.

(Fig. pict. G.)

Phoca auriculata, manibus pinniformibus exunguiculatis, (mas) thorace pilis elongatis tecto.

Hoc marinum mammale primum, quod scio, a candidissimo Stellero, graphice in commentariis Petropolitanis descriptum fuit nomine russico *Siwutcha* i. e. *Leonis marini*; et quod miror, illustris *Linnaeus* hoc animal non in systematis editione postrema recensuit, forte ob eam rationem, quod crederet, id prorsus cum *Phoca ursina* idem animal esse; vel etiam quod dubius esset, an non id iam sub Ansoniana *Phoca leonina* comprehensum esset. Müllerus nil fecit, nisi Stelleriana usus descriptione. Pennantius amicissimus mihi et acutissimus imprimis zoologus, nescio qua ratione in errorem est inductus, ut hanc nostram vel Stellerianam potius *Phocam leoninam* eandem crederet, quam auctor itineris Ansoniani descripserat. Pernetty et illustris Bougainvilleus certe nostrum animal ob oculos habuere; quod imprimis vicinia loci suadet.

Nos saepissime hoc animal vidimus et ad examen revocavimus, nec iam dubitamus, id satis distinctum animal a *Phoca ursina* pronunciare, et identidem diversum a *Phoca leonina* Ansoniana; et quoniam iuba huic nostro animali pro charactere inservit, *iubatam* vocavimus. Id tamen observandum, hanc *iubatam* et *ursinam* ambas esse auriculatas, ambas quoque manus habere pinniformes, exunguiculatas, quae omnia in reliquis Phocarum generibus non reperiuntur. Praeterea haec nostra *iubata* ab *ursina* distinguitur 1) magnitudine, nam leonina multo maior et prae-

stantior est ursina, 2) colore, ursinae enim mares sunt coloris nigricantis, nostrae sunt coloris fusco-fulvi; 3) iuba, quae in maribus constanter adest, at non item in ursinis; 4) cura pro liberis et pullis, qua iubatae ab ursinis facile vincuntur; 5) denique alacritate, qua *ursinae* iubatas excellunt.

Nunc etiam nostri officii est, hanc *iubatam* ostendere a *leonina* satis distinctam. 1) Primo loco *leoninae* labium superius multo ultra inferius exseritur, at in *iubata* labia sunt aequalia. 2) Nares in *leonina* sunt rugosae et in cristam possunt inflari, quae in *iubata* non reperiuntur. 3) Iuba in *leonina* deest. 4) Uti et auriculae. 5) Pedes antici sunt instructi digitis in *leouina* et ungues habent, at *iubata* habet pinniformes manus et exunguiculatas. 6) *Leoninae Phocae* excrescunt in multo maiorem molem quam *iubatae*: has non ultra 12 pedes longas vidi, at *leoninas* Ansonius ad 20 pedum molem excrescere asserit. *Phocae iubatae* gregatim natant et in scopulis ad mare discumbunt, *ursinae* vero semper ab eis quantum poterant, cum familiis suis recedebant, erant enim in eadem insula, at iubatarum greges multo erant numerosiores, quales etiam in Georgia australi viventes vidimus.

Maximae e maribus erant 12 vel 13 pedum, et pondere circiter 1000 vel 1200 librarum. Mas mediocris admodum, postquam exuvias ipsi detraxerant, eumque exenteraverant, et omnem adipem resecaverant, tamen 550 libras pendebat. Feminae non ultra 6, 8ve pedes sunt longae; carent iuba, mulfoque graciliori sunt habitu corporis. Mares adulti plures habent uxores, et pro earum possessione acerrime pugnant, vel etiam pro loco; nam senes quietem capiunt in certo loco, quem strenue defendunt, adeo ut nulli liceat impune in vicinia versari. Mares mugiunt et stertunt, foeminae vitulorum instar sonum, pulli balatum agninum edunt, omnisque ora non raro resonabat vario gregum ba-

latu, mugituque, quem in navi, ultra milliare Anglicum a littore in anchoris stante, distincte exaudivimus.

Mares cum uxoribus et pullis recenter natis, aliisque qui nondum ad Venerem sunt apti, in uno loco familiam habent; parvulo inde intervallo alia familia et rursus alia, per omnem pene insulae oram vivunt. Non raro summam insulae partem ascendunt, et inter cespites rotundos ac elevatos *Dactylidis glomeratae* degunt, locis madentibus et uliginosis.

Tempore solstitii aestivi i. e. mense Decembri et Ianuario pullos enituntur feminae, et aliae rursus cum maribus coëunt. Feminae maribus blandiuntur, mireque gesticulantur, oraque ori maris admovent, ac si vellent oscula figere. Mas non raro subiratus raucum quiddam admurmurat, et illico femina ad pedes obvoluta eosdem veluti deosculatur: si vero lubet, ambo, praesertim dum advesperascit, in mare descendunt, et hinc inde idem ludibundi pernatant, gyros varios saltusque perficientes in salo: tandem foemina in littus enatat ac in ipsa ora resupinata decumbit, quacum mas sic coït pluribus aliis circumsistentibus eum, coïtus non raro usque ad 8 vel 10 minuta scrupula horae producitur. Hoc tempore Phocae sunt bene pastae et adiposae, nec quidquam per plures hebdomades comedunt, in ventriculo plurium lapides pugni magnitudine complures reperimus, in unius ventriculo ultra viginti inventi fuere. Proelia committunt bene multa inter se, dentibus latera invicem appetentes; fortior non raro minus robustum sublimem dentibus arripit, ac ita furibundus conquassat saxisque affligit, ut is magno vulnere affectus cruoremque fundens statim fuga salutem sibi quaerat, ac in mare sese praecipitet.

Victus hisce Phocis ex testaceis Crustaceisque. Nam in ventriculo unius crustacea integumenta Cancri et Mytili testae inventae fuere. Hominem metuunt et illico in mare se proiiciunt, illo appropinquante; vidi et Phocam ex cre-

pidine ad minimum 50 pedum alta, in rupes se ex metu hominum deiicientem, et illaesum mare petiisse. Feminae etsi pullos non multum curent, vidi tamen unam alteramve pullos dentibus secum in mare asportasse. Una fusti percussa, illico partu edidit pullum, quo foeta erat. Ad incitas redacti se foriter defendunt. Inter se ita pugnant ut plures magnis recentibusque vulneribus afflictos viderem. Pinnis posticis caput scalpunt. Senes effoeti ac saginati sunt torpidi, quietis appetentissimi, ac per integras hebdomades in eodem loco stertunt, verum etiam iracundi, saevi, truculenti et litigiosi.

Dum obembulant, semper videntur claudicare, innixi pinnis; verum territae frequenter procidunt et per saxa effunduntur. Mirum in modum his pinnis in praerupta quoque loca escendere queunt. Impetuosissime natant et cymbas saepe per longum spatium sequuntur, hinc inde curiose easdem spectantes ut rem novam ac insolitam.

Phoca ursina habebit differentiam specificam: Ph. auriculata, manibus pinniformibus exunguiculatis: (mas) thorace nudo.

Phoca leonina vero: Ph. capite inauriculato, manibus digitis palmatis, labio supero longiore, (mas) naribus rugosis cristatis.

Descriptio animalis peculiaris prorsus supervacanea foret, est enim in omnibus eadem quae Phocae ursinae, si exceperis colorem pilorum, qui in maribus est fulvo-fuscus, in feminis paullo magis fuscus at pallidior, praeterea nullum in iubatis Phocis sub pilis vellus observavi: dein mares ab auribus per totum collum et partem dorsi ad humeros usque et ad manus pinniformes habent pilos elongatos circiter $1\frac{1}{2}$ vel 2 uncias longos, paululum undulatos, qui iubam leoninam repraesentant; dcnique sunt pro ratione aetatis multo maiores. Mensurae adiectae sunt ex specimine feminino, non enim mares in navim attulerant, et cum in terram

escenderem, oblitus eram scalam meusuratoriam mecum afferre: quas meusuras videas supra p. 66, mensuris *Phocae ursinae* in margine adiectas.

TERRA MAGELLANICA AUSTRALIS, VULGO DEL FUEGO.

Decbr. 26. 1774.

247. *Vultur Plancus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Vultur cera pedibusque luteis, corpore griseo-nebuloso, pileo atro, cauda fascia apicis nigra.

Habitat in rupibus mari vicinis, et in ramis arborum emortuarum visus. Nomen *Planci* Plinianum l. X. c. 3. Aquilae anatariae proprium, a plangente voce huius avis depromtum, eidem dedimus, cum a nulla huius generis ave adhucdum sit occupatum.

Corpus magnitudine Falconi Melanaëto multo cedit et Falcone Haliaëto paulo maior.

Rostrum validum, capite fere longius, e corneo-coerulescens: basi rectum, apice aduncum, lateribus compressum, utraque mandibula ante apicem emarginata. Cera aurea, ampla, oculos includens, rugosa, poris pertusa, pilis aspersa, fronte emarginata, lateribus sinuata, in mandibula inferiore subtus lobo rotundato proiecta. Lingua carnosa, margine cartilagineo, apice bifida, medio sulcata. Nares oblongae, superae, in medio ab apice rostri ad oculos positae. Oculi supra angulum faucis in cera, palpebris dense ciliatis, pilis rigidis, atris. Irides aureo-rubrae. Pedes nudi, aureo-flavi. Femora vestita, tibiae nudae, squamatae, au-

(*) Nomen a Lethamo receptum, qui specimen spiritu vini servatum Londini examinasse testatur, denuo comparandum. Inter affines *Falco coronatus* Temm., (*Tharus* Molinae) proximum obtinet locum.

reo-flavae. Digiti antice serie squamarum imbricatarum operti, infra vero et lateribus verrucoso-tuberculati. Ungues atri, adunci, obtusi.

Caput in cera pilis basi luteis, apice atris in antica parte vestitum, circa et pone oculos totis atris. Pileus ater, subcristatus. Cervix, dorsum, pars scapularium supera, pectus et uropygium griseo-nebulosa, i. e. pennis ochroleucis, fasciis s. lineis transversis undulatis, nigris, 7 vel 8. Gula barbata, pennis pilosis, ochroleucis. Abdomen nigro-fuscum, fasciis undulatis, obsoletis, ochroleucis. Femora nigro-fusca. Crissum lutescenti-ochroleucum, fasciis undulatis, obsoletis, fuscescentibus.

Alae complicatae caudae apicem non attingunt. Remiges 20, earum quarta longissima, 5 priores apice nigrae, inde ad basin macula oblonga albida, fasciis undulato nebulosis, obsoletis, fuscis; 5 posteriores atrae, lamina interiore maculis 8 vel 9 transversis lutescentibus; 10 reliquae nigro-fuscae, utraque lamina transversim lutescenti-maculata. Tectrices primorum nigro-fuscae: secundariarum fuscae, fasciis undulatis obsoletis albidis. Superiores alarum tectrices in ipsa ulna, atro-fuscae. Scapulares inferiores fuscae, fasciis undulatis obsoletis pallidioribus s. albido-fuscis. Tectrices subtus nigro-fuscae; remiges subtus cinereo-fuliginosae, fasciis paginae superioris transparentibus.

Cauda recta. Rectrices 12 scapis albis, ochroleucae, fasciis transversis, undulatis, fuscis; apice fascia lata, atra. Subtus magis obsolete fasciatae.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$24\frac{3}{4}$	unc.
» » » » » unguem digiti medii	$24\frac{3}{4}$	»
Alae expansae	$55\frac{1}{2}$	»
Cauda	$9\frac{3}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$11\frac{1}{4}$	»

Pedes nudi	7	unc.
Rostrum ad angulum faucis	2	»
» sine cera	$1\frac{1}{10}$	»
» in fronte cum cera	$1\frac{1}{2}$	»
» altum s. profundum	$1\frac{1}{10}$	»
» transversim s. horizontaliter crassum	$\frac{7}{10}$	»

Ian. 3. 1775.

Vultur Plancus F. (Fem.) (*)

(Fig. pict. G.)

Vultur cera pedibusque semilanatis flavis; corpore fusco, cauda apice albo-fasciata.

Forte alter sexus Vulturis Planci.

Habitat in Insula novi anni, ad Terram statuum, in rupibus. Vox Gallinae.

Corpus magnitudine circiter Falconis Planci.

Rostrum validum, vix longitudine capitis, virenti-coerulescens, incurvum, apice aduncum, dorso convexum, lateribus compressum; utraque mandibula ante apicem emarginata. Cera aurea, oculos includens, rugosa, poris pertusa, pennis pilosis aspersa, fronte emarginata, lateribus sinuata; subtus in mandibula inferiore, lobo rotundato proiecto. Lingua carnosa, margine cartilagineo, medio sulcata, apice obtuso (nec bifido). Nares oblongae, obliquae, superae, mediae inter apicem rostri et oculos. Oculi supra angulum faucis in cera, palpebrae dense ciliatae, pilis rigidis, atro-fuscis. Iride ....

Pedes semilanati, aureo-flavi. Femora vestita. Tibiae antice semitectae pennis pilosis. Digiti antice serie squamarum imbricatae, postice et infra in plantis verrucoso-tuberculatae. Ungues atri, adunci, validi, apice obtusi.

(*) Praecedenti affinis, sed specie diversus, nec mera eiusdem varietas sexualis esse videtur.

Caput pileo et regione parotica, dorsum, uropygium, abdomen, hypochondria et postica pars femorum atro-fusca. Collum, humeri et pectus pinnis atrofuscis, medio maculis trigonis, subulatis, ochroleucis notata. Femora, tibiae et crissum ferruginea.

Alae complicatae fere apicem caudae attingunt. Remiges 20 atrae, tertia longior, 1-6 ad basin lamina interiore macula ampla, ferruginea, nigris fasciis notatae. 1-3 et 7-11 apicibus ochroleucis. Tectrices atro-fuscae, primorum 6 ultimae macula fulvo-albicante. Alae subtus nigro-fuscae. Tectrices antepenultimae subtus ferrugineae.

Cauda rotundata. Rectrices 12 atrae, apicis fascia ochroleuca.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$23\frac{4}{5}$	unc.
» » » » » unguis digiti medii	22	»
Alae expansae	$50\frac{3}{5}$	»
Cauda	10	»
Pedes cum femoribus	$10\frac{2}{5}$	»
» nudi	$4\frac{1}{2}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$1\frac{9}{10}$	»
» in fronte	$1\frac{2}{5}$	»

Decbr. 26. 1774.

248. *Motacilla Gracula* F. (*)

(Fig. picta G.)

Motacilla fusca, subtus cinerea, snperciliis et vitta malari albis, ventre albo-striato.

Habitat in Terra del Fuego ad littora maris, victum inter eiectamenta maris quaerens. Haec avis admodum diffi-

---

(*) *Motacilla patagonica* Lin. Gm. — *Sylvia patagonica* Lath.

culter ad genera nota redigi potest. Forte Sturno Cinclo affinis, et genus cum eo constitueret separatum, si ad minutas descendere liberet, et ni iam tot genera in scientia adessent, ut multo satius sit, aves aliquando ad genera cognita referre etsi aliquantisper ab eis recedant, quam novis conditis studium naturae novis difficultatibus onerare. Rostri conformatio aliquantulum similis gracularum rostris. Volatus et habitus Turdi. Vox Motacillae et multa in moribus et charactere. Pedes gressorii, rostrum integerrimum et setarum absentia a Turdis removent. Laminula narium vix locum dat inter Motacillas.

Corpus magnitudine circiter *Turdi Iliaci*.

Rostrum longitudine circiter capitis, integerrimum, nigrum, paululum curvatum, supra vix carinatum, sub naribus angulosum, lateribus aliquanto compressum, in fronte nudum. Mandibula superior multo longior, (in uno specimine vix longior) apice deflexo, fornicata supra inferiorem: inferior brevior, compressa, subulata. Lingua brevis, acuta, apice paululum ciliato-lacera, una cum fauce intus et angulo faucis flava. Nares ad basin rostri, squamula planiuscula tectae, quae dimidia sui parte pennis linearibus minutis est consita. Oculi iride nigricante.

Pedes tetradactyli, gressorii, macri, nigri. Tibiae postice carinatae, tenues, segmentis circiter 6. Digiti graciles, medius fere longitudine tibiae, huic exterior basi adnatus, laterales multo breviores; posticus reliquis crassior, longitudine lateralium. Ungues incurvi, compressi, acuti, postico longiore.

Corpus supra fuscum, subtus fusco-cinereum. Pileus dorso magis saturatiusque fuscus, una cum regione parotica; lora pennis reversis fuscis. Fascia a naribus per supercilia continuata in nucham, at non connexa, alba, flavicans. Alia fascia albida a gula sub genis et regione parotica descendit versus collum. Gula cano-cinerea. Pe-

ctus, abdomen et crissum fusco-cinerea, pennis ad rachides lineolis albidis notatis.

Alae complicatae vix ultra uropygium protensae. Remiges 18, saturate fuscae, pallide marginatae: quarta reliquis longior, 4-15 ad basin fere macula ferrugineo-lutea in lamina interiore, fasciam formante per alas, notatae. Tectrices superiores fuscae, sub alula albidae. Subtus remiges cinereo-fuliginosae, fascia paginae superioris pellucet albida.

Cauda rotundata. Rectrices 12 nigro-fuscae, duae extimae utrimque paullo breviores, margine apicis externo macula lutea notatae, mediae totae fuscae. Mas paullo maior et supra colore fusco. Femina minor, supra colore fusco-fuliginoso.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri in extremum caudae	$8\frac{1}{8}$	unc.
» » » » » » ung. dig. m.	$9\frac{1}{4}$	»
Alae expansae	12	»
Cauda	3	»
Pedes cum femoribus	$3\frac{1}{2}$	»
» nudi	$2\frac{1}{4}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$1\frac{1}{4}$	»
» in fronte	1	»

In alio specimine.

Rostrum in angulum faucis	1	»
» in fronte	$\frac{3}{4}$	»

Decbr. 28.

249. *Motacilla magellanica* (*)

(Fig. pict. G.)

(*) *Mot.* et *Sylv. magellanica* Auct., e Troglodytum genere.

Motacilla supra olivaceo nigroque nebulosa, subtus lutescenti-grisea: remigibus apice luteis; rectricibus nigro luteoque undulatis.

Habitat in Terra del Fuego. Paris affinis, victitat inter rupes in foraminibus e saxorum congerie formatis, ut Troglodytes.

Corpus vix magnitudine Trochili.

Rostrum rectum, subulatum, fuliginosum, mandibulis aequalibus, lateribus vix compressis. Mandibula superior ante apicem emarginatura minima; inferior basi colore corneo, intus ad initium usque linguae carinata. Lingua cartilaginea, subulata, bifido-lacera. Nares oblongae, inferae, in basi rostri, squamula fornicata tectae. Oculi iride fusco-nigra.

Pedes graciles, longiusculi, subgressorii, flavi. Tibiae segmentis plurimis (8 vel 9). Digitus medius longitudine tibiae, extimus medio parum adnatus, posticus longitudine extimi, validior reliquis. Ungues compressi, flavicantes, incurvi, postico longiore.

Caput, dorsum, uropygium et tectrices alarum olivaceo nigroque nebulosa. Frons et lora cinereo-fuliginosa, haec pennis reversis. Pectus, abdomen, femora et crissum lutescenti fuscoque nebulosa.

Alae complicatae uropygii apice breviores. Remiges 18 fusco-nigrae, margine olivaceo, apicibus maculis luteis. Remex 4ta reliquis longior. Tectrices supra ultimae olivaceae, fasciis nigris, dein ipso apice luteae; penultimae olivaceo nigroque nebulosae. Subtus alae cinereae.

Cauda subcuneata. Rectrices 12 fasciis olivaceis, nigris et luteis undulatis alternantibus, circiter 5. Subtus pallidiores, fasciis paginae superioris pellucentibus.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$4\frac{1}{2}$	unc.
» » » » » unguis digiti medii	$5\frac{1}{2}$	»

Alae expansae	7	unc.
Cauda	$1\frac{1}{4}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{2}$	»
» nudi	$1\frac{5}{8}$.	»
Rostrum ad angulum faucis	$\frac{5}{8}$	»
» in fronte	$\frac{3}{8}$	»

Decbr. 26.

250. *Motacilla seticauda* F. (*)

(Fig. pict. F. et G.)

Motacilla fulva subtus alba, uropygio ferrugineo, pileo atro, superciliis fulvis, vitta ab oculis ad humeros atra.

Habitat in Terra del Fuego, inter fruticeta.

Corpus magnitudine circiter *Trochili*.

Rostrum rectiusculum, subulatum, lateribus compressum, fornicatum supra mandibulam inferiorem; supra nigrum, infra flaventi-corneum. Mandibulae aequales, integerrimae: superior in fronte nuda. Lingua parva, cartilaginea, subulata, apice ciliato-lacera, flava cum fauce et ad angulum faucis. Nares in basi rostri oblongae, seu potius lineares. Oculi parvi; iride coerulescenti-nigra.

Pedes subgressorii, griseo-virentes. Tibiae longiusculae, segmentis pluribus. Metatarsus crassiusculus. Digiti tenelli, medius extimo iunctus basi, posticus validus. Plantae subtus flavae. Ungues compressi, flavo-cornei, arcuati, postico longiore.

Caput pileo atro, fascia a capistro per supercilia in cervicem descendens, nec iuncta, fulva; sub ea alia fascia a rostro per oculos in humeros descendens, atra. Gula, pectus et abdomen alba. Hypochondria, femora et

(*) *Mot.* et *Sylv. murina* Auct.?

crissum pallide-fulva, dorsum fulvo-fuscum, uropygium ferrugineum.

Alae complicatae longitudine uropygii. Remiges 18 nigrae, 4ta longissima, 3-18 ad basin fascia e maculis fulvis, 11-16 ad marginem laminae anticae macula oblonga fulva. Omnes remiges margine interiore albo, et apice acuminato. Tectrices ultimae primorum nigrae; secundariae apice fulvo maculatae, sic et omnes tectrices penultimae apicibus fulvis. Alae subtus cinereo-fuliginosae, maculis paginae superioris obsolete pellucentibus.

Cauda cuneata. Rectrices 12 atrae, omnes apicibus attenuato-setaceis elongatis: 4 extimae utrimque apicibus ferrugineo-fasciatis. Subtus nigro-fuliginosae, apicibus 4 extimarum pallide-ferrugineis.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	5	unc.
» » » » » unguis digiti medii	$4\frac{1}{2}$	»
Alae expansae	$7\frac{1}{4}$	»
Cauda	$2\frac{1}{8}$	»
Pedes cum femoribus	$2\frac{1}{4}$	»
» nudi	$1\frac{3}{8}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$\frac{5}{8}$	»
» in fronte	$\frac{3}{8}$	»

Ian. 3. 1775.

CHIONIS.

Avis Gralla.

Rostrum conico-convexum, utrimque incurvum, compressum, margine integerrimum, basi cera cornea, emarginato-lacera tectum. Nares ovales, obliquae, perviae, cera cornea semitectae. Lingua cartilaginea, lanceolata, apice truncato-obtusa, basi sagittata, lacera. Palatum villis retro-

flexis consitum. Facies et orbitae nuda, carunculis papillosis.

Pedes tetradactyli, fissi. Callus nudus, subosseus, supra alulam.

Hoc avium genus certe ad nullum generum antea notorum potui referre, itaque optimum duxi novum condere, idque mea quidem sententia proxime ad *Fulicas* accedit, et in genere *Grallas* cum *Picis* et forte etiam cum *Gallinis* connectit. E mari victum habet et ni fallor ex testaceis. Constanter in scopulis mari vicinis intra ipsum fluctuum alluvium degit, gregatim, praedae inhians: caro intensissime foetet.

Ob niveum pennarum et omnis corporis colorem nomen ipsi dedi *Chionis*.

251. *Chionis lactea* F.

(Fig. picta G.)

Chionis

Habitat in scopulis, quos mare alluit. Earum uti suspicor, primus mentionem iniecit Bougainvilleus in itinere, qui eas pro Procellariis habuit; sic et Pernetty in itinere, sed certe nil cum Procellariis commune habent. Est quidem in antarctico mari *Procellaria nivea*, at ea non habet rostrum corneo-rubicundum, sed potius atrum, ideoque suspicor, Bougainvilleum nostram *Chionidem lacteam* in animo habuisse.

Corpus magnitudine *Columbae. Oenadis* vel paulo maius.

Rostrum conico-convexum, utrimque incurvum, lateribus compressum, apice obtusum, mandibulis aequalibus, marginibus incurvatis integerrimis. Mandibula superior dorso convexa, lateribus compressa, apice obtusa, supra incurva, margine subfalcato integerrimo: inferior ventre convexa et incurva, lateribus subcompressa, apice obtusa, mar-

gine integerrimo, incurvo, arcu sursum verso. Utraque mandibula basi sulphurea s. virenti-flavicans; in quibusdam corneo-rubicunda seu colore pallido unguium humanorum; dorso, ventre, apiceque rostri nigris. Cera cornea a facie ad nares rostro incumbens, margine emarginato-lacera, (in dorso rostri rotundata, ad latera dorsi angulata, dein perpendiculariter descendens ad nares, supra nares oblique retrorsum in angulum excurrit, inde rursum in marginem usque subperpendicularis.). Lingua libera, lanceolata, cartilaginea, medio excavato-sulcata, apice truncato-obtusa; basi sagittata-lacera, subtusque basi frenulata. Palatum apice aliquot ordinibus (3-5) villorum carneorum, conicorum rigidorum, retrorsum flexorum; postice sulco pertusum, eiusque marginibus argute retrorsum serratis. Nares ovales, obliquae, perviae, partim lamina cerae corneae tectae. Oculi palpebris nudis, papillosis, lacteis. Irides rubrofuscae. Facies nuda, papillosa, papillis lacteis, in fronte emarginatis; a vertice tenui fascia, inde ad angulos dorsi rostri et usque supra oculos, et ab angulo faucis sub oculis, usque ad aures protensae sunt.

Pedes gressorii, tetradactyli, fissi, granulati, coeruleofusci. Femora semitecta. Genua nuda, tibiae subteretes, mediocres. Digiti tres antici; posticus brevissimus, lateralis intus; medius longitudine tibiae; exterior medio adnatus membranula (ut in *Haematopode ostralego*,) interior exteriori aequalis, fissus. Ungues incurvi, obtusi, nigri, supra convexi, intus excavati (fere ut in Gallinis). Callus subosseus, semiglobosus, nudus, lacteus, supra alulam.

Corpus undique cum remigibus et rectricibus pennis lacteo-candidis vestitum.

Alae complicatae longitudine uropygii vel paullo longiores. Remex 2da reliquis longior. Remiges 26, primores 10, secundariae 16.

Cauda rotundata. Rectrices 12.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$15\frac{3}{2}$ unc.
» » » » » unguis digiti medii	17 »
Alae expansae	32 »
Cauda	5 »
Pedes cum femoribus	7 »
» nudi	$4\frac{1}{2}$ »
Rostrum in fronte	$1\frac{4}{10}$ »
» ad angulum faucis	$1\frac{4}{10}$ »

Ian. 3.

252. *Tantalus melanops.* (*)

(Fig. pict. G.)

Tantalus facie nigra, pedibus rubris, remigibus nigris, supra cinereus, subtus colloque fulvus.

Habitat in Insula novi anni, Terrae Statuum vicina; nidum ad crepidines rupium inaccessarum marique vicinarum habet.

Corpus magnitudine ad *Tantalum loculatorem* proxime accedit, sed aliquanto minus.

Rostrum teretiusculum, longum, arcuatum, subulatum, nigrum. Mandibula superior longior, arcuata, semicylindrica, a naribus ad apicem sulcata, inferior arcu sursum verso arcuata, semicylindrica, ad basin lateribus compressa. Lingua brevissima, deltoidea, subcarnosa, adnata, postice ciliata. Palatum sulcatum, marginibus laxe retrorsum serrato-villosis. Nares in basi rostri, oblongo-lineares, ad initium sulci rostralis. Oculi palpebris denudato-papillosis, nigris. Irides rubentes. Facies pone oculos usque denudata, papillosa, nigra; ad basin mandibulae inferioris saccus pendulus, laxus, membranaceus, rugosus, nudus, ater, gularis.

(*) *Tantalus* (*Ibis*) *melanopis* Auct.

Pedes tetradactyli, seminudi, granulati, rubri. Femora semitecta. Genua nuda. Tibiae mediocres, postice attenuatae. Digiti tres antici: posticus brevissimus, sublateralis; medius longitudine tibiae; laterales medio annexi membranula brevi, vix primam phalangem connectentes. Plantae rubro-luteae. Ungues nigri, obtusi, incurvi, supra convexi, subtus excavati. Pileus intense fulvus. Collum, pectus et abdomen fulvo-alba. Dorsum, scapulares et torques pectoralis cinerea, medio dorso pennae fusco-maculatae, omnes vero fuscescenti-marginatae. Hypochondria, femora et crissum atro-virentia.

Alae complicatae fere longitudine caudae. Remiges 20 omnes atro-virentes, tertia longissima; tectrices omnes coerulescenti-cinereae, marginibus fuscescentibus. Subtus atro-virentes, nitentes.

Cauda rotundata. Rectrices 12 atro-virentes.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	28	unc.
» » » » » unguis digiti medii	29	»
Alae expansae	49 $\frac{1}{2}$	»
Cauda	7	»
Pedes cum femoribus	10	»
» nudi	7	»
Rostrum in fronte	5 $\frac{4}{10}$	»
» ad angulum faucis	5 $\frac{1}{2}$	»

Ian. 2.

253. *Anas picta* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Anas rostro, pedibus rectricibusque nigris, corpore albo nigroque undulato, alulis callosis, speculo viridi.

(*) *Anas picta* Lin. Gm. Lath. (excluso synonymo Pallasii) et

Habitat in Insula novi anni, prope Terram Statuum. Unicum tantum par huius Anatis visum, et uti suspicor specimen descriptum femina fuit, mas enim coloribus magis vividis est pictus, caeterum in plerisque similis.

Corpus magnitudine *Anatis Anseris feri*, vel paulo maius, teretiusculum.

Rostrum semicylindricum, obtusum, atrum. Mandibula superior longior, descendens, apice declivis, obtusissima; ungue glaberrimo in apice; inferior recta, plana, brevior, utraque marginibus lamelloso-dentatis. Nares ob-

---

Anas leucoptera Lin. Gm. Lath. et *An. magellanica* Lin. Gm. Lath. *Anser leucopterus* Recentiorum. *Chenalopex leucopterus* Less.

Bene h. l. ab auctore nostro duae anserum antarcticorum species dignoscuntur, misere ab Ornithologis saeculi superioris confusae et in plures species discerptae. Quarum altera: *Anser leucopterus*, aquas dulces inhabitans, altera: *Anser antarcticus*, maris littora potius frequentans, vagabunda. Utraque magnitudine et pictura alarum (in feminis et masculis iunioribus) conveniunt, utrique hoc commune, quod masculi senescentes prorsus candidi evadant. Hi igitur non nisi partium quarundam proportione dignoscendi. Sunt autem: Rostrum in *leucoptero* gracilius, unguiculo coarctato, antiis acuminatis, in *antarctico* validius, unguiculo dilatato, antiis obtusis; Digiti in *leucoptero* eadem circiter qua tarsi longitudine, in *antarctico* tarso multo longiores.

Feminae et masculi iuniores facile distinguuntur; Capite et collo in *leucoptero* totis cinereis, immaculatis, in *antarctico* nigris albo confertim adspersis, et vertice modo immaculato fuliginoso; Pectore et dorso antico in *leucoptero* rufescentibus aut rufis, lineis crebris transversis nigris variegatis, in *antarctico* nigris, lineis crebris transversis albis; Rectricibus denique in *leucoptero* constanter nigris, in *antarctico* albis, hinc inde maculis et marginibus nigris primae iuventutis testibus remanentibus. Uropygium quoque in *leucoptero* nigrum, in *antarctico* album aut albo maculatum.

Synouyma Auctorum igitur sequentem in modum interpretanda:

Anas picta Lin. Gm. Lath. *Ans. leucopterus* est, statu masculo adultiori.

longae, patulae, perviae. **Lingua** carnosa. **Oculi iride** obscura.

Pedes palmati, nigri, (longiores aliquantulum, at in reliquis simillimi pedibus *Anatis Gantae*). **Callus** supra alulam, nudus, subosseus, flavus.

Caput cum **collo** ex albido cinerascentia, immaculata. **Pectus** cum **collo** inferiore candidum, fasciis transversis, parallelis, interruptis, remotis, tenuibus, atris pulcre pictum. **Interscapulium**, pars antica **dorsi**, **abdomines** et **femorum** candida, fasciis latis, atris, confertis variegata. **Crissum**, **uropygium**, **dorsum** postice et postica pars **abdominis**, et pars ima **femorum** candida, immaculata.

Alae complicatae mediam caudam attingunt. **Tectrices** totae candidissimae, **alulae** fuscae. **Tectrices** primorum lamina exteriore viridi-nitentes, **intus** fuscae, apice albae. **Remiges primores** fuscae, **secundariae** candidae. Primorum tres interiores apice exteriore macula albida. **Scapulares** fuscae. **Alae subtus** totae albae, praeter remiges primores cinereos.

Anas hybrida Molinae *Ans. antarcticus* n. Mas et Fem.

Anas antarctica Lin. Gm. Lath. *Ans. antarcticus* Mas adultus.

Anas magellanica Sparrm. Mus. Carls. tab. 37. *Ans. antarcticus* Fem.

Anas magellanica Lin. Gm. Lath. *Anser leucopterus* n. Fem.

Anas leucoptera Lin. Gm. Lath. partim *leucopterum* partim *antarcticum* spectat.

Antarctici anseris colores apte descripsit Lessonius (Manuel d'Ornithol. Tom. II. p. 409.) *leucopterum* autem breviter modo adumbravit, nulla rostri et digitorum ratione habita, quoad mensuras prorsus diversas.

Utrum ad unum idemque genus (*Chloëphaga*) refecendae sint hae species, an altera *Chenalopex* dicenda, aliis diiudicandum relinquo, minutiarum in disiungendis generibus parum curiosus.

Lichtenstein.

Cauda aequalis, rectrices 14, extima utrimque alba, reliquae nigrae (*).

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	30 unc.
» » » ad unguem digiti medii	$32\frac{3}{4}$ »
Alae expansae	57 »
Cauda	6 »
Tibiae	$2\frac{1}{2}$ »
Digiti medii	$2\frac{1}{2}$ »
Rostrum in fronte	2 »

Ian. 2. 1775.

254. *Anas Ganta* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Anas alba, rostro nigro, pedibus, calloque alarum nudo, flavis.

Habitat in Terra del Fuego et Insula novi anni, et forte in Insulis Falklandicis, in rupibus ad oram maris frequentes. Dum pullos educant, in portus et loca minus ventis obnoxia recedunt; at tempore deplumationis, quod erat circa solstitium, volare nequeunt, ideoque loca praerupta, saxosa, longe a hominum habitationibus petunt; pullos 5-7 educant, gramine et inter eiectamenta maris repertis pisciculis, conchyliis, squillis rel. victitant. Masculi anniculi habent remiges nigras, at dein in earum locum to-

(*) Ex hac colorum descriptione et mensura insequente patet, specimen examinatum fuisse masculum praegrande, aldultius, albedine colli, pectoris, alarum et caudae admodum provecta. Eadem pictura vestitum nullum, quod sciam, in Europae museis obvium.

(**) *Anas antarctica* Lin. Gm. (Mas) *A. antarctica* Lath. Synops. — *A. magellanica* Sparrm. (Fem.) *Anas hybrida* Molinae, Lin. Gm. Lath. *Anser antarcticus* Rec. *Chenalopex antarct.* Less. *Chloephaga magellanica* Eyton.

tae candidae successunt. Feminae minores, et prorsus colore a maribus diversae. Monogamae. Ambo parentes pullorum curam gerunt. Fine Novembris vel initio Decembris pulli excluduntur, erant enim circa solstitium iam plumulis vestiti.

Corpus magnitudine inter *Anatem Anserem* et *Brentam*, teretiusculum.

Rostrum subconicum, obtusum, nigrum, marginibus lamelloso-dentatis; inferiore magis, superiore mandibula vix dentata. Mandibula superior recta, convexa, ad nares elevata, nigra, supra nares macula rubicundo-cornea. Unguis in apice subrotundus, glaber, ater. Mandibula inferior planiuscula, denticulo apicis planiusculo, cinerascente. Lingua carnosa, apice obtusa, integra, medio sulcata, marginibus lateralibus ciliatis, infra frenulata. Palatum granulosum, medio carina acutum. Nares in tertia parte rostri a basi, ovato-oblongae, patulae, perviae, dissepimento interno interstinctae. Oculi palpebris nudis, nigris; iride nigra.

Pedes palmati, aureo-flavi; genua denudata. Digiti antici tres palmati; posticus minutus lateralis. Ungues albido-cornei, medii digiti linea longitudinali nigricante. Callus supra alulam, nudus, subosseus, semiglobosus, flavicans.

Masculi adulti

corpus habent omne candidum.

Feminae

Rostrum rubicundo-corneum. Oculi albo circulo inclusi.

Corpus aliquanto minus quam maris. Caput, collum, dorsi antica ad interscapulium, pectus, cum antica parte abdominis, remiges primores, tectricesque ultimae nigra. Rectrices, uropygium, crissum, femora, postica abdominis, cum tectricibus summis in utraque alae pagina, candida. Pileus cinereus, frons nigricans,

22

albo undulato-nebulosa, sic et genae, regio parotica, gula, cervix et iugulum. Pectus, antica abdominis ad femora et hypochondria pennis atris, quarum quaevis fasciis 3-4 transversis albis est notata.

Alae complicatae, ante apicem caudae desinunt. Remiges 22. Primores 10 atrae, basi fuliginoso-cinereae. Secundariae 12 candidae, earum prima postumaque maculis cinereo-nigricantibus. Tectrices primorum penultimae candidae, ultimae nigrae. Secundariarum ultimae lamina extima anatino-splendentes, apice albo-marginato. Alula nigra; scapulares atrae, nitentes.

Cauda rotundata. Rectrices 16 candidae, iunioribus intermixtae nigrescentes.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	$26\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	28	»
Alae expansae	48	»
Cauda	5	»
Tibiae	$2\frac{1}{2}$	»
Digiti medii	3	»
Rostrum	$1\frac{1}{2}$	»

Ian. 2.

255. *Anas pteneres* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Anas supra cinereo-fusca; subtus, speculo, capiteque albis, callo alarum gemino nudo.

Habitat in Magellanicis terris; pullos educat 4 vel 5; monogama; utroque parente pullorum curam suscipiente. Ova viridia. Nidus in rupibus inter virgulta, e stramineis

(*) *Anas cinerea* Lin. Gm. *A. brachyptera* Lath. *Micropterus cinereus* Less.

culmis et plumis sibi evulsis. Quum homines hanc Anatem appropinquant in mari nantem, non avolat, neque ullam vidimus volantem, sed aquam remigio alarum everberat et sic citissime super mare fugit; et pene ocius quam aliae alites volare potest. Caro oleoso-pinguis, minus sapida. Pendet ultra 16 libras.

Corpus magnitudine inter maximas congenerum, depressum.

Rostrum subcylindricum oblongum, obtusum, supra convexum, marginibus lamelloso-dentatis; (supra magis, infra obsoletius) mandibula superior longior, in fronte elevata, descendens, dein planiuscula. Unguis incurvus, ater, caetera mandibula aurantia (in quibusdam pone nares macula lunata, fronti subparallela, nigra). Mandibula inferior recta, plana, sulcis infra utrimque binis, antrorsum convergentibus exarata, aurantia, apice nigro-maculata. Lingua carnosa, medio longitudinaliter sulcata, apice lobato, integro, obtuso; marginibus lateralibus transversim sulcatis, lobulis ciliatis. Palatum rugis paucis, medio carinatum. Nares in medio circiter rostri, ovatae, patulae, perviae. Oculi palpebris nudiusculis aurantiis. Irides sanguineae.

Pedes 4-dactyli, palmati, aurantii supra, subtus fuliginosi. Femora tecta. Genua nuda. Tibiae digito medio breviores. Digiti 3 palmati, membrana fuliginoso-nigra, ad articulos fuliginosi, exterior phalangibus 4; medius 3; interior 2; membrana lateralis ad digitum interiorem: posticus brevis, membranula postica laxa (non callo subrotundo) instructus. Plantae totae fuliginosae. Ungues nigri, omnes obtusi, medius latior, maior.

Caput lutescenti-album, maculis fuscis linearibus, minutis. Regio ophthalmica alba. Colli annulus sericeo-albus. Colli inferiora, pectoris antica, dorsum, uro-

pygium, femora cinereo-fusca; pectoris postica, abdomen, crissum ochroleuca.

Alae complicatae vix uropygium attingunt. Remiges 26, secunda reliquis longior. Primores 1-10 cinereo-fuscae. Secundariae: 1ma, lamina antica cinereo-fusca, margine, apice et lamina interiore alba; 2da, basi laminae anticae macula cinereo-fusca, caeterum alba; 3-10 albae, 11ma macula baseos laminae anticae cinereo-fusca, caeterum alba; 12-16 cinereo-fusca. Tectrices omnes cinereo-fuscae.

Cauda rotundata. Rectrices 20 cinereo-fuscae.

Femina capite, colloque cinereis; sic et reliqua cinerea at magis fuliginosa ac in mare. Regio ophthalmica alba. Reliqua corporis, alae et cauda ut in mare. Totum corpus aliquanto minus ac maris.

Mensurae.

Ab apice rostri ad extremum caudae	30	unc.
» » » » unguem digiti medii	34	»
Alae expansae	42	»
Cauda	$4\frac{1}{2}$	»
Pedes cum femoribus	$11\frac{1}{2}$	»
» nudi	8	»
Rostrum in fronte	$2\frac{1}{2}$	»
» ad angulum faucis	$2\frac{9}{10}$	»

Ian. 2.

256. *Anas lophyra* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Anas nucha subcristata, pileo fusco, speculo anatino; cauda acutiuscula crissoqne nigro.

(*) *Anas cristata* Lin. Gm. Lath.

Habitat in terris magellanicis. Nidum ex stramineis culmis et plumis sibi evulsis struit in insulis, plantis muscosis obductis; ova viridantia, 10 circiter. Monogamae.

Corpus magnitudine circiter *Anatis* streperae, depressum.

Rostrum oblongum, obtusum, depressiusculum, nigrum; Mandibula inferiore medio flava. Unguis glaberrimus, plano-depressus, non ultra mandibulam productus. Nares $\frac{1}{3}$ a basi rostri, oblongae, patulae. Oculi iride sanguinea.

Pedes palmati, nigro-virescentes. Callus supra alulam, nudus, cinerascens.

Caput et collum cinereo-albidum, lineolis brevissimis fuscis conspersum; pileus et regio ophthalmica fusca. Nucha pennis longioribus fusco-cinereis, pilosis, in fasciculum collectis. Dorsum fusco-griseum, margine pallide fulvo. Pectus pallide fulvum (isabellinum) maculis parvis spadiceis in disco pennarum. Abdomen fusco-isabellinum, seu magis sordidum, sed immaculatum. Dorsum postice et uropygium fusco-grisea. Crissum nigrum.

Alae complicatae medium caudae attingunt. Remiges primores fuscae. Secundariae aeneo-virides, tum fascia atro-sericea, denique apicibus late albis. Tectrices omnes fuscae. Scapulares fusco-griseae, medio isabellinae.

Cauda subcuneata, rectricibus 16 atris, acutissimis.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	$23\frac{1}{2}$	unc.
» » » » unguem digiti medii	22	»
Alae expansae	32	»
Cauda	5	»
Pedes nudi	$4\frac{1}{4}$	»
Rostrum ad angulum faucis	$2\frac{1}{4}$	»

Ian. 17.

257. *Anas xanthoryncha* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Anas supra fusca pennis rufescenti-marginatis, subtus pallide testacea fusco-maculata; rostro flavo, supra nigro-maculato.

Habitat in Georgia australi, at vix magnitudine *A. Creccae*: et ad Caput bonae spei alia varietas reperitur, multo maior, accedens ad *A. ferinam*; illa pedibus nigro-virentibus, haec tibiis rubris, digitis nigricantibus, et in universum Capensis coloribus est magis vividis ac saturatis, Georgiae australis anas pallidiore est colore.

Corpus magnitudine vix *A. Creceae*, depressum.

Rostrum anatinum, flavum; mandibula superiore macula nigra in dorso, a basi ad apicem. Unguis et margo apicis nigra. Oculi iride ferrugineo-fusca.

Pedes nigro-virentes.

Caput griseo-rufescens, striatum lineolis minimis, tenuissimis, confertis, fuscis. Cervix minus rufescens, at identidem striatum. Gula et iugulum ochroleuca lineolis fuscis striata. Pectus ochraceum, pennis disco fuscis. Dorsum et uropygium fusca, pennis ochraceo-marginatis, (ita tamen ut fuscus color maiorem disci partem occupet, cuius contrarium in fuscedine pennarum pectoris locum habet). Abdomen leucophaeum maculis fuscis. Crissum fuscum, pennis ochraceo marginatis.

Alae complicatae, mediam caudam attingunt, suntque cinereae. Tectrices ultimae apice albae. Remiges primores cinereo-fuscae. Secundariae s. speculum atrum, nitens, (vix virore suffuso) margine postico albo. (Femi-

---

(*) *Anas oxyptera* Meyen Reise, zool. Bericht. IV. p. 121. tab. 36.

nae speculum fuscum, in reliquis simillima). Scapulares ligulatae, margine rufae.

Cauda cuneato-acuta. Rectrices fusco-cinereae, margine ochroleuco.

Decbr. 28. 1774.

258. *Procellaria ossifraga* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Procellaria fuliginoso-ferruginea, rostro flavo-virente, pedibus fuliginosis.

Habitat in terra del Fuego et australi parte maris pacifici ac atlantici cum reliquis Procellariis admodum frequens, victitat Molluscis, Sepiis et etiam carne Phocarum, vidi enim easdem una cum *Laro catarracte* laniantes cadavera pullorum Phocarum. Saepe pro *Diomedea* sumenda, nisi quis probe utrasque noverit. Hispani Americae australis hanc Procellariam appellant *Quebranta huessos* i. e. *Ossifragam* ideoque idem nomen adoptavi in latino sermone.

Corpus magnitudine *Diomedeam chrysostomam* aliquanto excedit.

Rostrum validum, capite longius, flavo-virens et corneum. Mandibula superior longior, sulco subparallelo, a naribus obliquo, desinente ante apicem. Apex unguiculatus, aduncus, acutus, margine interiore sinuato. Mandibula inferior sulco subparallelo, deorsum, ante apicem desinente. Apex unguiculatus, obtusus, rotundatus. Nares tubulosae, cylindricae, $\frac{2}{3}$ rostri, eidem insidentes, apice oblique truncato, intus septo divisae. Lingua carnosa, linearis, apice emarginata, medio sulcata, postice in margine serraturis retrorsum gulam spectantibus. Palatum carinis

(*) *Procellaria gigantea* Lin. Gm. Lath. rel.

tribus e villis retrorsum flexis. Oculi antici, superi, palpebris fuscis, iride flava.

Pedes tridactyli, palmati, natatorii, fuliginosi. Femora semitecta. Tibiae breves, subcompressae. Digiti 3 membrana natatoria connexi, interior brevior, tibia paulo longior, phalangibus 3, medius 4, extimus 5. Unguis posticus (loco digiti), reliquis brevior, subconicus, sessilis. Ungues mediocres, nigri, incurvi, submarginati, medio reliquis longiore.

Corpus omne ferrugineo-fuliginosum.

APTENODYTES (*).

De genere avium dicturus, quod vulgus *Pinguinos* a *pinguedine* appellare solet, liceat mihi quaedam de mea nominis ratione praefari. Scio equidem iam satis superque nominum in Ornithologiam illatum esse, sic ut in universam historiam naturalem; nec temere nova condenda genera et nomina, semper mea fuit opinio. Verum id luce quoque meridiana clarius esse deprehendi, eas avium tribus, quas ipsa natura forma constanti, et peculiari vitae genere a reliquis familiis segregavit, utique nova constituere genera et novum nomen mereri: sobrie tamen et raro naturae consulti hoc iure suo utantur, nec nisi gravissimis rationibus persuasi id sibi arrogent. Hoc genus Aptenodytae utique ab omnibus avium generibus et forma et rostri structura peculiari, circumcaesura pedum, alarumque usu pro remigio maris, distinguitur, ut insulsum utique foret hic non naturam ducem

---

(*) Dissertationem insequentem de Aptenodytarum genere, libello suo manuscripto separatim adiunctam auctor in nave rediens conscripsisse videtur, nova quaedam generaliora descriptionibus additurus, quas in nova Hollandia m. Aprili 1773, et hoc loco m. Ian. 1775 calamo exceperat. Conf. §. 69. p. 56. et §. 101. p. 96. Vid. quoque Commentat. Goetting. Vol. III. per ann. 1780 pag. 121.

sequi et novum condere genus. Nomen ab ἴπζαμαι, unde ἀπζην volare nesciens, et a δυνω subeo, mergo, compositum, et sic formatum in Απτενοδῦτης ut Τρωγλοδῦτης, Ψαμμοδῦτης rel. significatum habet: Urinatrix avis, volare nescia, quod utrumque optime in hanc familiam quadrat avium.

Aptenodytae genus orbi australi proprium, uti Alcarum regionibus borealibus. Alcae habent omnes breves remiges; at nostrae Aptenodytae pinniformes alas compressas, membranaque auctas, ad remigium aquarum adhibent. Pedes Alcis sunt tridactyli, nostris avibus tetradactyli, et quidem tribus digitis palmatis, quarto breviore distincto, praeterea membrana laterali ad marginem interiorem digiti tertii interioris decurrente. Rostrum Alcarum compressum, pluribus sulcis transversis exaratum, carinato-conoïdeum; nostris Aptenodytis est rostrum compressiusculum, cultratum, rectiusculum, secundum longitudinem oblique sulcatum. Pennae Alcae sunt molles, Aptenodytae regidiusculae, appressae corpori, sericeo splendentes lumine. Quum haec duo genera sint in omnibus hisce diversa; in aliis rursus sunt admodum similia: sic colore infra albo supraque nigro sunt utraeque insignes; pedes pone aequilibrium positae in utroque genere; erectae stant, urinantur in mari; ova satis magna pro mole corporis singulaque in nidis proprio marte uti cuniculis effossis deponunt, denique sunt corpore anatino et obeso victuque ex conchyliis, cancris et aliis testaceis, crustaceisve petito, insignia utraque genera.

Nostrum hoc avium genus, primum observatum suspicor ab iis, qui cum Americo Vespucio mare notium primi explorati sunt, nullo tamen hisce avibus nomine peculiari dato; a Belgis vero cum classe sub navarcho De Weert Magellanicum fretum navigantibus circa 1599 quoque visum et ab eis nomen *Pinguini* ob pinguedinem accepit: teste Clusio. Obs. exot. p. 101 et *Recueil de voyages qui*

ont servis à l'établissement de la Compagnie des Indes. Tom. 1. p. 647 edit. 1702; ab eisdem quoque insulae in medio freto sitae nomen ortum, uti et aliae postmodum circa Promontorium bonae spei. Iam vero ante Belgas notatas descriptasque, at sine nomine hasce aves reperio, in itinere Winteri 1578 apud *Hackluyt Collect.* vol. III. p. 752. seqq. (edit. 1598). Dein et ab aliis frequenter visae, imprimis ab equite aurato Io. Nasborough (Sir I. Nasboroughs *Voyage* p. 58. 59). At nemo, quod sciam, naturae consultorum mentionem huius generis avium iniecit ante Clusium (Exot. p. 101). Post eum Edwardus duas species descriptas, delineatasque nobis dedit (tab. 49 et 94) nempe *Aptenodyten demersam* et *catarracten.* Tandem hae duae species ab illustri Linnaeo (qui hasce aves nunquam vidisse et examinare potuisse credendus), rursus in alia genera fuere amandatae, una nempe inter Diomedeas et altera inter Phaëtontes, unde ob viri magni in historia naturali auctoritatem facile errores potuissent oriri, nisi nostro aevo rursus magis intento oculo hae aves fuissent examinatae. Qua re confectum, ut iam novem species *Aptenodytarum* sint cognitae et plures forte cognoscentur successu temporis.

Genus *Aptenodytes.*

Avis Anser.

Rostrum rectum, laeve, compressiusculum, cultratum; mandibula superiore apice incurva, longitudinaliter oblique sulcata; inferiore apice truncata. Nares lineares, parvae, obliteratae, in sulco rostri sitae. Palatum et lingua obsita ordinibus aliquot villorum conicorum, acutorum, retrorsum flexorum.

Pedes compedes, tetradactyli, palmati, digitis omnibus anticis, tertio s. interiore membrana laterali aucto;

postico s. quarto compresso separato. Talus s. calcaneus validus.

Alae pinniformes, tectae membrana dilatata pennisque minimis appressis, absque ullis remigibus.

Ian. 18. 1775.

259. *Aptenodytes patagonica* F. (*)

(Fig. picta G.)

Aptenodytes macula parotica aurea, rostro pedibusque nigris.

Pennant *Philos. Trans.* Vol. 58. p. 91. Millers Illustrations.

Bougainville *voyage autour du monde.* Pinguin premier 63. 64.

Sonnerat *Voyage à la nouvelle Guinée.*

Manchot *de la uouvelle Guinée* p. 179. 180. tab. CXIII.

Nemo quod sciam ante illustrem Bougainvilleum huius avis mentionem fecit, et ea quae ipse de nostra Aptenodyte scribit sunt admodum manca et obscura. Nos primi, quod sciam quaedam rectiora certioraque de universo genere cum orbe erudito communicare potuimus, quoniam sex ad minimum species vidimus. Scio equidem clarissimum ac generosum Pennantium actis anglicis inseruisse quaedam de toto genere cum ageret de *Pinguino Patagonico* quem describit, at cum volumen 58^{uum} nunc non sit ad manus, nec post trium annorum navigationem memoria teneam, quae de variis speciebus summus amicus noster et summus zoologus scribat: satius erit heic ita rem hancce tractare, ac si a nobis ignorarentur quaecunque ante nos sint scripta; quia revera ea omnia ignoramus et ingenue ignorantiam fatemur, facili alias corrigendo errore, quum in patriam erimus re-

(*) *Aptenodytes patagonica* Lin. Gm. Lath.

duces facti. Nunc animus est, antequam de *Aptenodyte patagonica* agam, de omnium nobis cognitarum differentiis specificis quaedam observare.

Aptenodytae hactenus cognitae omnes hemisphaerio antarctico sunt propriae et optime sunt dispescendae in *cristatas* et *alophas* vel nulla crista instructas.

Primum in Novae Hollandiae parte australi alter Navarchus repererat *Aptenodyten cristatam*, cuius exuvias siccatas secum attulit, ex quibus descriptionem delineationemque fecimus, et quam

1) Aptenodyten chrysocomen appellavi, cuius igitur differentia specifica sic erit exprimenda; *A. crista gemina auriculari deflexa sulphurea.* Bougainvilleus aliam cristatam ad insulas Falklandias habitantem describit gregariam, minorem patagonica, subsultim procedentem, agilem, *saturate luteam*? crista aurea, quam erigit subirata, palpebris luteis: forte haec est eadem nostra chrysocome vel etiam distincta species; verum ex illustris peregrinatoris descriptione obscura id non liquet.

Inter Alophas, quarum plures novimus, primum in censum veniunt illae quae characteres habent illico obvios omnibus: et tum igitur ob ingentem molem et auream maculam aurium primum occupat locum

2) Apt. patagoica haec nostra, cuius differ. spec. sic forte exprimenda: *A. macula parotica aurea, rostro pedibusque nigris.* Proxima erit

3) A. nostra magellanica: *fasciis duabus albis, altera includente oculos, altera pectorali, in femora descendente, rostro nigro, pedibus rubicundis.* Hanc excipiet

4) A. demersa, quam Linnaeus perperam inter Diomedeas locaverat: *A. superciliis fasciaque pectorali ad pedes descendente, rostro pedibusque nigris.* Clusii Exot. 101. *Anser magellanicus. Blackfoeted Penguin.* Edwards

tab. 94. *Manchot du Cap d. b. e.* Buffon Pl. enlum. tab. 382. *Diomedea demersa* Linn. Syst. 214. Sequitur ordine nostra

5) A. antarctica: *linea gulari nigra, rostro atro, pedibus rubicundis* (*). Duae postremae vix nisi magnitudine inter se ipsas differunt et colore pedum et rostri, quae in auxilium vocare necessarium duxi, quum revera sint constantes satis characteres in hoc genere et partim species distinguant.

6) A. Catarractes est Linnaei Phaëton demersus, quocum genere haec avis nil commune habet; eius vero nomen specificum adhibere non potui, quum eodem iam in A. demersa sim usus: retinui igitur Brissonianum nomen Catarractes; est vero ea: *capite fusco, rostro pedibusque rubris. The Penguin.* Edwards tab. 49. *Le Gorfou; Catarractes,* Brisson Av. VI. p. 102. *Phaëton demersus* Linn. Syst. 219.

7) A. nostra minor est postrema et sic a reliquis distinguenda: *A. rostro nigro, pedibus albidis.* Si sunt aliae et ab his diversae, ea facile poterunt a nostris dignosci.

Aptenodytes nostra *patagonica* maxima forte congenerum est. In Insulis Falklandicis et Georgia australi et Novae Guineae insulis habitat. Quas ibi vidimus, in rupibus ad littora maris stabant erectae, hinc inde 4 vel 5, imo 10 etiam vel 12 in uno grege reperiebantur. Medio Ianuarii vel quod excurrit, erant maxime obesae, adeo ut vix de via hominibus Phocisque decederent. Hoc quoque illis erat tempus deplumationis, quod non perspeximus, quam postquam in navem reduces eramus facti; nam ex 12 a nobis allatis vix unius exuvias servare potui, reliquarum pennis omnibus defluentibus.

(*) Conf. §. 69. pag. 56.

A nobis sunt comesae, cum *magellanica* et *antarctica*.

Corpus maximum ac maxime obesum inter congeneres (quaelibet circiter 40 libras pendet); vox rauca.

Rostrum capite longius, lateribus compressum, carinatum, subulatum, subarcuatum. Mandibulis aequalibus: superior atra, in fronte angulo acuto ad nares pennae descendunt in angulum acutum; sulco a naribus ad apicem fere exarato: inferior basi rubra, apice atra. Lingua brevis, conica, frenulata, villis retrorsum flexis trium ordinum, consita. Palatum sulcatum antice, postice consitum 7 ordinibus villorum carnosorum, conicorum, retrorsum flexorum. Oculi iride avellanea.

Pedes compedes, palmati, tetradactyli, validi, breves, atri, cute granulosa tecti. Femora corpori immersa. Tibiae vix exsertae. Digiti tres antici membrana fuliginosa iuncti, tertius interior membrana laterali auctus; pollex s. posticus lateralis, brevis, remotus, membranula auctus. Calcaneus tuberculatus. Ungues obtusi, validi, compressi, semicylindrici, atri.

Caput atrum, pone aures macula croceo-aurea, ovata, excurrens in lineam subgularem, atra linea utrimque cinctam. Gula atra; in pectore sub gula croceo-aurea linea nigro colori abrupte contermina et ex adverso, colore aureo in album sensim diluto. Cervix, dorsumque antice caeruleo-nigra, dorsum postice et uropygium nigrum. Pectus, abdomen et crissum sericeo-candida.

Alae pinniformes supra coeruleo-canae, subtus candidae et in apice macula oblonga nigra, margo inferior paginae superioris albus.

Cauda cuneata, acuta. Rectrices breves, rigidissimae, circiter 26 vel 30.

Mensurae.

Longitudo avis erecte stantis a vertice ad calcaneum	36	unc.
Alae expansae	29	»

Ian. 3. 1775.

260. *Aptenodytes magellanica* F.

(Fig. pict. G.)

Aptenodytes fasciis duabus albis, altera includente oculos, altera pectorali descendente in femora, rostro nigro, pedibus rubicundis. Pernetty p. 243. tab. XV.

Habitat in Terra del Fuego, Statuum Insula novi anni, freto Magellanico, et Insulis Falklandiis. In insula novi anni multa millia huius avis vidimus; stant statura erecta, gregatim in aqua piscantur, merguntur et emergunt; saturae in rupes et ipsos colles escendunt, ubi inter cespites rotundos, elevatos *Dactylidis glomeratae*, victitant, dormiunt et nidulantur, ova ponunt, pullos singulos excludunt et educant in cuniculis subterraneis. Vox rauca, clangens, et etiam crotali instar erepitans, fere asinina. Homines Phocasque vix metuunt, decedunt eis tamen de via, at si evadere nequeunt homines, caput horsum vorsum ad latera alternantim vertunt et subito vehementissimoque morsu pedes appropinquatium appetunt. Aliquot centena a nautis necata fustibus, in navim allata, excoriataque nobis elixa assataque in cibum cessere, nil minus quam ingratum.

Corpus magnitudine circiter *Aptenodytae antarcticae*, torosum.

Rostrum rectum, carinatum, lateribus compressum, apice aduncum, basi rugoso-sulcatum, nigrum, fascia coerulescenti-fusca, ante apicem utramque mandibulam cingente. Mandibula superior longior dorso carinata, sulco a fronte per nares oblique ducto, inque margine anteriore ante apicem desinente, basi sulcis rugosis numerosis ante nares circiter desinentibus, apice adunco. Mandibula inferior apice oblique truncata, subtus sulco per medium ducto, basi sulcis rugosis numerosis. Nares lineares in sulco rostri. Lingua sublanceolata, apice obtusa, consita 5 or-

dinibus villorum carnosorum retrorsum flexorum. Palatum incisum sulco et consitum 6 ordinibus villorum carneorum, conicorum, retrorsum flexorum. Oculi iride rubro-fusca. Pedes compedes, palmati, 4-dactyli, validi, breviusculi, atri, albedine hinc inde aspersi, cute granulosa tecti. Femora corpori immersa. Tibiae brevissimae, vix exsertae, nudae. Digiti 3, tibia aliquoties longiores, membrana albida nigro-varia iuncti, tertius interior membrana latcrali auctus, posticus s. pollex lateralis, remotus sursum, membrana utrimque auctus. Calcaneus tuberculatus, membrana scabriuscula vestitus, in extremitate postica plantae. Ungues validi, semicylindrico-compressi, obtusi, atri.

Corpus supra et usque in pectus pennis atris, subtus candido-sericeis. Mandibula inferior cincta basi margine albo. Fascia alba a sulco rostri ad nares undulatim supra oculos pone regionem paroticam in iugulum ducta, ubi iungitur. Alia fascia alba ad initium pectoris per basin alarum aucta in femora descendit.

Alae pinniformes, in basi interiore s. subtus macula et per omnem alam punctis aliquot sparsis nigris notata. Margo apicis superior et linea nigra. Margo inferior paginae superioris alarum albus, reliqua paginae superioris nigra.

Cauda cuneata, acuta. Rectrices circiter 20 breves, rigidi.

261. *Aptenodytes Papua* F.

Aptenodytes rostro pedibusque rubicundis, macula occipitali alba.

Sonnerat *Voy. de la N. Guinée* p. 181. tab. 115. Manchot Papou.

Corpus magnitudine secundum post *A. patagonicam.*

Rostrum capite longius, subconicum, lateribus aliquantum compressum. Mandibulae aequales, superior

supra carinata, rubicunda, apice nigra, in fronte angulo acuto, ad nares pennae in angulum acutum excurrunt, sulco a naribus ad apicem fere exarato oblique; inferior rubro-aurea. Lingua ..... Palatum antice sulcatum, postice consitum aliquot ordinibus villorum carnosorum conicorum, retrorsum flexorum. Oculi iride flava. Pedes compedes, palmati, 4-dactyli, validi, breves, rubicundi, cute granulosa rugosaque tecti. Femora corpori immersa. Tibiae vix exsertae. Digiti 3 membrana fuliginoso-maculosa iuncti; tertius interior membrana laterali auctus; pollex s. posticus, lateralis, brevis, remotus, membranula auctus. Calcaneus tuberculatus. Ungues obtusi, validi, subcylindrici, rufo-atri.

Caput fusco-nigrum, in occipite ab oculo ad oculum fascia alba, pollicaris. Collum et iugulum fusco-nigra. Dorsum cum cauda atra. Pectus, abdomen et crissum sericeo-candida. Sub alis emarginatura griseo-fusca.

Alae pinniformes, supra atrae, margine superiore griseo, inferiore albo, subtus candidae, at ab apice macula falcata atra, acuta, versus corpus.

Cauda cuneata, pennis rigidis, laxe pinnatis, setosis, mediis longissimis. Longitudo ab apice rostri in extremum caudae circiter 30 unciarum (at Sonnerat 2 pedes habet).

Habitat in insulis Novae Guineae et Falklandicis.

262. *Aptenodytes torquata* F.

A. rostro pedibusque nigris, semitorque albo gulae, regione periophthalmica nuda sanguinea.

Sonnerat *Voyage de la Nouv. Guinée* p. 180. 181. t. 114. (*Manchot à collier de la N. Guinée.*)

Corpus magnitudine dimidia *A. patagonicae* i. e. 18 pollicum Gall. = 19½ Angl.

Rostrum, pedes et iris nigra. Oculi siti in membrana nuda, sanguinea, ampla.

Caput, gula, cervix, dorsum, uropygium, rectrices, alae, omnia atra. Pectus, abdomen, femora, crissum candido sericea, torques albus sub gula atram intrat partem, sed non collum postice cingit.

Habitat in mari australi circa insulam a Kerguelen detectam, circa Novam Georgiam, denique circa Novam Guineam.

Paulo post reditum in patriam Forsterus hanc commentationem de *Aptenodytarum* genere, aliquanto ampliorem factam et correctam, sed fere iisdem verbis conceptam, quasi specimen operis docti propemodum edendi, ad societatem regiam scientiarum Goettingensem misit, quae tractatum, d. 13. Mart. 1780 a Gmelino recitatum, volumini tertio commentationum (p. 121) inseruit et tabulas aeri incisas 5, coloribus obductas addidit. His Lathamus primum, deinde Gmelinus, in recensendis speciebus avium usi sunt, nec post eos numerus specierum in hoc genere multo est auctus, ita ut ornithologi recentiores novi nihil videntes, quod addant, in dirimendo genere potius desudarint, 11 species Lathami in 4 genera distribuentes: *Aptenodytes, Spheniscus, Catarractes* et *Eudyptes*. Quorum characteres genericos e rostri conformatione sola desumserant, reliquas partes ac si in omnibus eadem prorsus essent forma, negligentes. Praeter rostrum autem vultus, ala et cauda notas praebent optimas e quibus species non solum distinguantur, sed in familias (subgenera!) quasi segregentur. Ita cum notissima 1) *A. patagonica*, omnium maxima, proxime conveniunt; 2) *A. Papua* et 3) *A. torquata* Forst., quippe quae cum ea rostrum gracile eiusque partem basalem rubicundam, sulcum lateralem rostri plumulis ad nares usque obsitum, et rectrices elongatas lineares 16 communia habent. *Aptenodytis* nomine, sensu strictiori, eas comprehendere haud recusaverim.

Porro 4) *A. Chrysocome*, crista gemina sulphurea insignis, et 5) *A. antarctica* Forst. (linea gulari nigra) propter rostrum validum, abbreviatum et praecipue propter mandibulam a basi ultra medium plumis mentalibus obtectam et quasi obvolutam, a reliquis omnibus recedunt, nisi avis ab Edwardsio pag. 49 depicta et a Brissonio *Catarractes* nuncupata, eis adsocianda, quod prae caeteris figura rostri (apud Edwards. tab. 94 singulatim depicti) suadere mihi visa est; forte alterius proles, cristis nondum evolutis, ptilosi immatura? Quod, si recte suspicor, nomen *Catarractes* pro generico a Cuviero huic avi impositum haud respuendum foret, sin minus, idem nomen alteri familiae servandum et Vieilloti *Eudyptes* huic tribuendum.

Sequuntur species intermediae magnitudinis: rostro basi rugoso, mandibula apice argute truncata, medio fascia rubente cincto et arcu pectorali nigro, utrimque ad femora descendente insignes, quae cum *Chrysocome* rectrices breves lineares numerosas (ultra 30) communes habent: 6) *A. demersa* (promontorii bon. sp.), 7) *A. Humboldtii* Meyen, 8) *A. magellanica* Forst. Quarum diagnosis ardua, ex alarum figura et pictura, digitorum longitudine, colorum denique circa insertionem alae dispositione, petenda. *Sphenisci* nomen Brissonianum pro hac familia valet; *Pygoscelis* Wagleri pro *A. Papua* delendum, cum a *patagonica* haec species generice non sit seiungenda, uti demonstravimus.

Restant quaedam huc usque neglectae, pictura minus conspicua et quasi nebulosa, rostro basi identidem rugoso, sed, pro mole, breviore et validiore (fere corvino), mandibulis subaequalibus, inferiore leviter truncata, rectricibus abbreviatis, numerosis, in quibus omnibus cum 9) *A. minore* Forst. satis nota, apte conciliantur. Sunt autem: 10) *A. brasiliensis* n. bipedalis et ultra, toto collo ad pectus usque cum dorso fuscescente, gula modo et superciliis dilute albicantibus, alis subtus t o t i s a l b i s immaculatis, non nisi ad

littora Brasiliae huc usque reperta et 11) *A. palpebrata* n. minorem mole paulo excedens, supra aterrima subtus albo-sericea, palpebrarum lunula candida, gula ad medium collum usque argenteo-cinerea, alis dilatatis supra atris subtus albis, margine antico vitta lata atra a basi ad flexuram, macula angulosa in lobo cubitali et altera oblonga media versus apicem, itidem atris. E capite bon. spei nobis iam dudum missa et falso pro iuniore *demersa* reposita, usquedum meliora edocti sumus. Si quis hanc familiam *Pygoscelis* nomine salutari velit, nil videmus huic contrarium.

Ultimam commemorare mihi liceat novam speciem superiore anno in museo Parisiensi visam, nuperrime tunc ibi allatam, quae inter maiores, sed rectricibus est abbreviatis, numerosis, gastraeo toto candido, vertice nigro aurum subresplendente, fascia occipitali semilunata et regione infra orbitali flavo-aureis, alis supra undique albo limbatis, subtus albis. Quo nomine eximia haec avis postea ab amicis ornithologis sit vocata, nondum comperi.

A. chiloensem et *chilensem* (Molinae Lath.) propter descriptionem nimis brevem et obscuram, ulteriori examini derelinquendas censeo.

Lichtenstein.

Decbr. 28.

263. *Pelecanus magellanicus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Pelecanus (mandibulis edentulis) cauda subcuneata, supra, collo, femoribusque atro-virentibus, subtus parotidibusque albis, orbitis sanguineis.

(*) *Pel. magellanicus* Lin. Gm. Lath. *Halieus* et *Carbo magellanicus* Recentiorum.

Habitat in Terra del Fuego et Statuum in insula novi anni; in rupibus mari vicinis et impendentibus, in chasmatibus ac fissuris rupium, inque locis scruposis nidum struit ex paucis stramineis culmis, virgultis et fimo, ita ut si pulli decidant, illico in mari natare possint; in quolibet nido fine mensis Decembris et initio Ianuarii 2, 3, 4ve pullos vidimus, nec raro ova nondum exclusa. Urinatur, victitat piscibus. Vox rauca instar crotali, vel ruditus. Caro nigra, exsucca. Pulli comedendo meliores, stant erecti.

Corpus magnitudine *Pelecani Picae* vel maius.

Rostrum tenue, subcylindricum, rectum, apice aduncum, lateribus basi compressiusculum, atrum. Mandibula superior utrimque sulco longitudinali, laterali: inferior recta, apice incurvo, obtuso. Nares obscurae, in rima sulci rostralis. Lingua minima, adnata, subcylindrica, apice obtusa. Facies (excepta fronte, mediaque gula) nuda, papillosa, sanguinea, pennulis minimis, setaceis, atris obsita. Oculi orbitis elevatis, coccineis. Iride rubicunda.

Pedes 4-dactyli, palmati, nigricantes. Femora tecta. Tibiae nudae, sordide-carneae, fuliginoso colore quasi inquinatae. Digiti 4 membranis iuncti; exterior reliquis longior, phalangibus 4; secundus tribus; tertius duabus; interior minimus unica. Digiti fuliginoso colore inquinati; membranae albidae et fuliginosae. Ungues nigri, parum incurvi, obtusi; secundus margine interiore crenato.

Caput, collum, dorsum, uropygium et femora atro virentia. Pectus, abdomen, crissum et macula parotica candida: in femoribus pennae hinc inde ligulatae, pilosae, candidae.

Alae complicatae, vix longitudine uropygii. Remiges et tectrices supra atro-virentes, subtus fuliginoso-cinereae.

Cauda subcuneata. Rectrices 12 rigidissimae, atrae rachidibus nigris.

Mensurae.

Ab apice rostri in extremum caudae	27	unc.
» » » » » unguis digiti medii	27	»
Alae expansae	40	»
Cauda	5	»
Pedes cum femoribus	$7\frac{6}{10}$	»
» nudi	$5\frac{1}{2}$	»
Rostrum in fronte	2	»
» ad angulum faucis	$3\frac{1}{8}$	»

Decbr. 24. 1774.

264. *Callionymus trigloïdes* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Callionymus . . . .

Habitat in mari alluente Portum Nativitatis in Terra del Fuego, hamo captus.

Corpus oblongum, subtus planum, dorso deflexum, lateribus compressum, squamosum, fusco-flavescentique varium, subtus album. Squamae minutae, imbricatae, antice orbiculatae, confertae, tenaces.

Caput amplum, $\frac{1}{3}$ pars totius corporis cauda inclusa, squamosum, corpore latius, subtriquetrum, infra planum, ante oculos lateribus fere in carinam compressum; pone oculos supra planiusculum, lateribus depressis. Os rictu infero, obliquo, amplo, labiato.

Rostrum supra arcuatum, carinatum; apice obtusum, dilatatum, plagioplateum. Maxillae amplae, plagioplateae, labiatae, denticulatae, aequales: superior extractilis. Mystaces in triangulum isosceles formatae. Dentes minuti, conferti, acerosi, acutissimi, reflexi, in utraque maxilla et palato. Palatum antice ossiculo denticulato, lateribusque

(*) *Batrachus trigloides* Bl. S. p. 44.

denticulatis; medio glabrum, nudum. Lingua minuta, nuda, spatulata, cartilaginea. Nares nullae visibiles: (ad canthum anteriorem oculi est ossiculum cartilagineum, instar squamulae obliquae, sursum apertae, sub qua forte nares). Oculi ampli, snperi, laterales, vicini, fossula verticis diremti, utroque osse supercilii carinato; membrana nictitante annulari. Irides fusco-luteae, aunulo aureo a pupilla diremtae. Pupilla virenti-beryllina. Opercula branchialia triphylla, squamosa, flexilia; lamina antica subrotunda, inferior ima, falcata, alepidota, maxillae connexa; postica excurrens supra pinn. pect. in spinam, pone qùam lobus membranaceus, semirotundus excurrit ad lineam lateralem usque. Membrana branchiostega lateralis et ima, arcuata, ampla, semitecta, radiis 7. Apertura branchialis ampla, arcuata, lateralis et ima, operculata; branchiae 4, arcuatae, remotae, tectae, extus ciliatae, intus tuberculis asperatae.

Dorsum dipterygium, deflexum. Latera vix convexa, gula, thorax et abdomen plana. Anus medius. Linea lateralis supera, parallela, elevata, glabra, nuda, versus caudam deflexa, denique media. Cauda compressa, lateribus rotundatis.

Pinnae dorsales: prima trigona, rad. 7 simplicibus, subspinosis, secunda rad. simplicibus 22. Pinnae pectorales imae, rotundatae, rad. 17 simplicibus, cirrosis. Pinnae ventrales, iugulares, remotae, acuminatae, compositae rad. 1 simplici, cirroso et 5 dichotomis. Pinna analis aequalis, rad. 21 simplicibus. Pinna caudae rotundata, rad. 12 dichotomis.

Mensurae.

Piscis longus	$6\frac{1}{4}$	unc.
» altus	$1\frac{1}{4}$	»
» crassus (transversim)	$1\frac{1}{8}$	»
Caput longum	$2\frac{1}{4}$	«

Decbr. 26.

265. *Callionymus bispinis* F. (*)

Callionymus . . . .

Habitat ad ostia rivulorum aquae dulcis in mare influentium; in Terra del Fuego manibus captus pisciculus hic minutus.

Corpus antice depressum, postice compressum, oblongum, alepidotum, nigro-fuscum, subtus gilvo-pallidum.

Caput obtusum, corpore latius, depressum, alepidotum, rubro fuscoque varium. Os rictu imo, obliquo, parvo, labiato.

Rostrum breve, arcuatum, rugosum. Maxillae obtusae, depressae, labiatae, denticulatae, aequales, utraque fornicata velo membranaceo, superior extractilis. Dentes minuti, conferti, acerosi. Lingua cartilaginea, exigua, parabolica. Palatum glabrum, nudum. Nares superae, singulae, tubo cirroso, medio spatio ante oculos.

Oculi parvi, superi, vicini, membrana annulari nictitante. Irides gilvo-rubicundae. Opercula branchialia alepidota, lamina antica nuda, torulosa, ima parva; postica bispinosa, spinis recurvis, acutis, validis. Membrana branchiostega lateralis, arcuata, radiis 6. Apertura branchialis lateralis, ampla, repanda. Branchiae 4 remotae, arcuatae, extus ciliatae, intus tuberculatae.

Dorsum antice depressum, postice subcarinatum; gula, thorax, abdomen plana. Latera convexa. Linea lateralis gemina, altera ab angulo supero aperturae branchialis incipiens, ascendens, supera, dein subparallela, ante caudam abrupta, e granis elevatis; altera recta, media, e poris. Anus fere medius.

(*) *Batrachus bispinis* Bl. S. p. 45. Cuv. Val. XII. p. 484.

Pinnae dorsales: prima rad. 3 cirrosis, secunda gilvo-fuscoque varia, rad. 23 simplicibus. Pinnae pectorales rotundatae, imae, gilvo-fuscoque variae, rad. 15 dichotomis. Pinnae ventrales iugulares, remotae, obliquae, rotundatae, rad. 6, 4 externis carnoso-cirrosis, 2 intimis dichotomis. Pinna analis gilva, rad. 18 simplicibus, cirrosis. Pinna caudae rotundata, gilvo-fuscoque varia, rad. 12 dichotomis.

Mensurae.

Pisciculi longitudo	3	unc.
» altitudo	$\frac{1}{2}$	»
» crassities transversim	$\frac{3}{4}$	»

Decbr. 21.

266. *Gadus magellanicus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Gadus : . . . .

Habitat in mari alluente portum Nativitatis in Terra del Fuego, capta hamo, imprimis prope littus inter fucos.

Corpus oblongum, compressiusculum, squamosnm, fulvo-fuscum. Squamae mediocres semiorbiculatae, imbricatae, sessiles.

Caput supra planum, declive, corpore vix angustius, lateribus et infra rotundatum, squamosum. Os rictu medio, obliquo, mediocri, recto. Rostrum breve, declive, latum, depressum, obtusum. Maxillae obtusae, subplagioplateae, labiatae, denticulatae, aequales, fornicatae velo lunato. Labia carnosa, revoluta, crassiuscula. Dentes plurimi, minuti, conferti, acuti. Palatum nudum, glabrum, ad faucem denticulis asperatum. Lingua brevis, carnosa, obtusa, spatulata, ad faucem denticulis consita. Nares me-

(*) *Gadus magellanicus* Bl. S. p. 10.

diae, superae, in scrobiculo positae, singulae, margine cirroso cinctae. Oculi laterales, superi, mediocres, membrana nictitante annulari, iride fusca, intus circulo aureo. Opercula branchialia triphylla, lamina antica rhombea, torosa, squamosa, infera parva, angusta, alepidota, membrana tecta; postica lunata, squamosa. Membrana branchiostega infera, aperta, rad. 6 subarcuatis. Apertura branchialis lateralis, operculata. Branchiae 4 remotae, laterales, operculatae, extus ciliatae, intus granulosae.

Dorsum convexum. Latera convexa. Gula membrana branchiostega tecta, planiuscula. Thorax planus. Abdomen turgidiusculum. Linea lateralis supera, parallela, obsoleta, mutica, prope caudam abrupta et in cauda recta, media. Anus medius, amplus. Cauda compressa.

Pinnae dorsales: prima triangularis, rad. 5 simplicibus, secunda rad. 31 simplicibus. Pinnae pectorales mediae, subbrachiatae, rotundatae, rad. 17 dichotomis. Pinnae ventrales iugulares, acuminatae: rad. 6 dichotomis. Pinna analis rad. 25 dichotomis. Pinna caudae recta, rad. 14 dichotomis.

Pinnae omnes fuscae.

PROMONTORIUM BONAE SPEI.

Apr. 4. 1775.

267. *Felis capensis* Penn.

(Fig. pict. G.)

Felis cauda sub-elongata, annulata; corpore supra maculis virgatis, infra orbicularibus; auriculis nigris, macula lunata alba.

Felis capensis Pennant Syn. quadruped. p. 181.

Habitat in Sylvosis montosis circa Prom. b. spei terrisque interioribus; agnis, leporibus, capreolis, antilopibus,

avibus infesta. Mores omnes *Cati felis*; tranquilla placide submurmurat. Nos vivum specimen iunioris et cicuris descripsimus ac delineavimus, et per totum diem et ultra observavimus, praeterea et plures exuvias vidimus, examinavimus, ac nobiscum in patriam retulimus; unde nobis patuit, vivum specimen fere iustae fuisse magnitudinis. Belgis incolis vocatur *Tyger-Cat*.

Corpus magnitudine *Felis Cati sylvestris* vel paulo maius: in genere supra colore pallide-fulvo, subtus e cinereo albo, maculis atris. (Pili apice pallide-fulvi, basi albi.)

Caput rostro magis acuto, quam *F. Cati*, albo, in labio superiore prope angulum faucis macula nigra, orbiculata. Nares nudae, atrae: mystaces plnrium ordinum in labio superiore, et supra oculos, validae, albae. Oculi figura fere trianguli sphaerici, latere anteriore perpendiculari, irides flavae. Pupilla orbicularis, diurna (nec ut in *F. Cato* perpendicularis oblonga). Lingua retrorsum aculeata. Dentes primores . . . . molares . . . . Linea albida utrimque ad interiora oculorum latera, naso parallela. Linea nigra paullulum convergens a cantho anteriore oculorum descendit in nasum. Aliae duae nigrae supra oculos convergentes, inque frontem ascendentes: praeterea in capite puncta et lineolae nigrae, plures, sparsae. Auriculae amplae, longitudine fere capitis, ovatae, intus villosae, ochroleucae, extus nigrae, macula lunata, transversa, alba. Margo exterior sacculo membranaceo, nudo, lobato.

Corpus ovatum, elegans; lineae atrae longitudinales 4 in cervice inter aurium bases orsae, in dorso interruptae; superiora laterum obtinent maculae oblongae lineares, obliquae; inferiora laterum maculis rotundis sparsis. Abdomen e cinereo-album maculis rotundis, parvis, nigris, sparsis.

Pedes omnes superne subfasciati, extremitatibus punctis numerosis, nigris conspersi. Digiti quinque, felini; ungues modici, retractiles, nigri.

Cauda attingit basin tarsi, annulis circiter 8 vel 10 nigris cincta.

Mensurae.

Ab apice rostri ad basin caudae	18 unc.
Cauda	8 »
Caput longum	4 »
Auriculae margine exteriore	3 »
Pedes anteriores a cubito	7 »
Pedes postici (tarsi scilicet)	4½ »

Mart. 2. — Apr. 27. 1775.

268. *Fossor leucops* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Fossor inauris helvo-griseus; rostro, maculis aurium, oculorum, verticisque albis, fusco cinctis.

Caput magnum, ovatum, declive, apice truncatum, convexum. Rostrum truncatum, apicis superioribus prominentibus, inde excavata parte truncata. Nares snbrotundae. Os inferum, exiguum, longitudinale. Labia carnosa, lateralia. Dentes primores extra s. ante oris aperturam positi s. exserti, labia perforantes, occursantes; superiores duo approximati, porrecti sub naribus, maxillae inserti, labium perforantes, cuneati, subquadrati, extus convexiusculi, longitudine rostri; inferiores duo, infra os maxillae inferiori inserti, approximati, subascendentes, tetragoni, apice oblique scissi. Laniarii nulli. Molares in utraque maxilla, utrimque 3. Oculi minuti, nigri, macula alba cincti, maiores quam in fossore capensi. Aures laterales, pone

(*) *Georychus capensis* Ill.

oculos, apertura minuta, auriculis nullis, (nisi cutem crassiorem subplicatam, pilis crebre consitam pro margine postico sumere velis). Vibrissae crebrae, plurium ordinum, incurvae, inter oculos et rostrum.

Pedes breves, pentadactyli, tarsis insistentes: palmae nudiusculae, talis callosis, magnis, geminis. Digiti breves, pilosi; unguiculi conici brevissimi. Digiti 2 intermedii reliquis longiores (caetera ut in fossore cap.). Cauda brevis, teres, obtusa, pilis raris longioribus vestita. Pili totius corporis lanuginosi, molles, erectiusculi. Macula magna alba in frontem antice angulo acuto ascendens, cingens rostrum et os; albedo cincta nigredine. Macula parva alba cingens utrumque oculum. Macula alia alba in ipso vertice; alia denique macula maior alba utrimque aures cingens. Palmae plantaeque albo-rubentes. Totum corpus supra coloris helvo-grisei (i. e. e pallide luteo et pallide cinereo mixti); pilis basi fuscis. Subtus magis cinereum.

Apr. 27.

Yerbua capensis F.

(Fig. pict. G.)

Animalculum quod nunc sumus descripturi, videtur antea zoologis prorsus ignotum fuisse: capenses incolae id *Leporem montanum* appellare consuevere, quia sub radicibus montium plerumque in cuniculis vivat. Nos idem paullo curatius examinantes, illico observavimus, plura huius generis animalcula passim per orbem cognitum obvia esse, sed ingenere minus perspecta summis zoologis, ideoque variis modis ad naturales ordines revocata. Summus imprimis Linnaeus inter *Mures* ordinat; Gmelinus in Act. Petrop. unam speciem inter *Cuniculos* vel *Lepores* militare iussit. Sunt quoque characteres quidam, qui vel ad unum vel alterum

genus idem amandare videntur. Sed sunt aliae quoque certissimae notae, quae animalcula haec ab omnibus aliis cognitis generibus removent et in peculiare, privumque, ac ab omnibus aliis generibus distinctum genus cogunt. Pedes postici elongati et imprimis tarsi longissimi, callis calcaneorum loco substratis; palmae brevissimae pro manubus inservientes et nunquam vel rarissime adhibitae ad procedendum vel insistendum: praeterea cauda dense vestita pilis et in quibusdam speciebus floccosa a murino genere prorsus distinguunt; haec eadem elongata cauda a *Leporino* genere removet: itaque iam habebimus novum genus.

Antiquis id iam innotuerat sub nomine *μῦς δίπυς*, vel etiam *χοιρογρύλλος*. Hebraea scripturae sacrae lingua vix dubium *Sapan* vocatum; arabes olim et nunc idem *Yerbuam* appellant; id nos igitur nomen, ut maxime notum idoneumque adoptabimus.

YERBUA.

Mammale Glis.

Dentes primores 2 utrimque.

Aures longae, patulae, nudae.

Oculi prominentes, ampli.

Pedes palmae brevissimae. Pedes plantae elongatae.

Tarsus subtus callosus.

Cauda elongata, vestita (non raro floccosa).

Fodiunt fere omnes, irrequietae, pedibus anticis raro vel nunquam insident et incedunt, posticis saliunt. Vox similis leporinae, grunniunt quoque. Labia indesinenter motitant, palmis pro manibus utuntur, eisque cibum ori admovent. Interdiu pleraeque latent somnolentae, noctu cibum capiunt et vagantur. Hyeme quaedam torpidae, intra cuniculos. Vivunt gramine et cerealibus. Morsu et unguibus

se defendunt. Saltus ingentes faciunt immenso repercussu plantarum, elatereque femorum. Animnlia quae hocce novo genere sunt comprehensae, sex sunt numero, nempe *Yerbua* quam Linnaeus nomine *Muris Iaculi* exhibet et alia apud eundem *Mus longipes* dicta; dein innotuit ex Sibiria opera Gmelini *Alagdaga* vocabulo barbaro appellata; postmodum illustris Buffonius primus meminit animalculum his simile nomine *Tarsier*; generosus Pennantius amicus summus, ex museo summi anatomici Hunteri idem descripsit et ex India allatum refert. Generosus Ios. Banks ex Nova Hollandia novam speciem, verum admodum proceram attulit, incolis *Kangooroo* dictam, denique ipse primus novam speciem in Prom. bon. spei visam, a me illic examinatam, descriptamque, a filio delineatam, et in Angliam allatam, vocavi *Capensem*. Quatuor *Yerbuae* habent caudam apice floccosam: *Tarsata, Capensis, Sibirica* et *Iaculus*; duae apice caudae vestito, attenuato, nempe *Kanguru* et *longipes*. Reliquae differentiae specificae petendae a digitis: nam *Tarsata* et *Sibirica* palmis plantisque sunt pentadactylae. *Capensis* palmis pentadactylis, plantis tetradactylis. *Kangooroo* habet palmas pentadactylas, at plantas tridactylas. *Longipes* est palmis tetradactylis, plantis pentadactylis, at *Iaculus* est palmis tetradactylis, plantis tridactylis et sic erunt satis distinctae species huius novi generis.

269. (1) *Yerbua Kanguru* (*).

Corpus magnitudine circiter ovis maioris, colore cervino supra subfusco, infra pallidiore.

Caput respectu corporis parvum, acutum, aures longae, erectae, pilosae. Dentes: incisores supra 6, duo maiores, prominentes, approximati, acuti; Incisores in-

(*) *Halmaturus giganteus* Ill.

fra 2 maiores. Molares supra, infraque 4, ab incisoribus valde remoti. (Dentes 16 in universum.) Trunci anteriora, respectu posteriorum, exilia. Trunci postica vero multo maiora quam in ullo alio animali respectu ad antica.

Pedes antici seu palmae breves, pentadactylae. Ungues nigri, soleis nigris splendentibus. Pedes postici s. plantae elongatae, validae, tridactylae, digito medio lateralibus longiore, calcaneo magno, nigro.

Cauda longitudine totius corporis, crassa, vestita pilis, apice attenuato (nec floccoso).

270. (2) *Yerbua capensis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Yerbua cauda floccosa, palmis pentadactylis, plantis tetradactylis.

Habitat ad montes pone Stellenbosch, in quibus ad eorum radices cuniculos fodit, educat tres vel quatuor pullos, victitat gramine, foliisque brassicae, et cicur pane et tritico aliisque vegetabilibus; noctu cibum capit et vagatur, interdiu somnum capit, hiemem dicitur torpida in cuniculo vitam agere. Irrequieta, pedibus anticis raro vel nunquam pro incedendo insistendove utitur, sed loco manus adhibet palmas, cibum eisdem ori admovet, faciem et corpus lavat, scabit unguibusque defendit: plantis tarsisque elongatis insistit, eorumque ope reptabunda salit, vel etiam dum fugam capit, ingenti repercussu saltus immensos facit. Morsu quoque, se defendit, grunnit vel etiam instar capellae balatus, vocem tremulam edit. Indesinenter labia motitat, ac si ruminaret; erecta sedet et circumspectat, vel etiam auditura, aures arrigit: in plurimis Leporis timidi mores habet,

(*) *Pedetes Caffer* Ill.

unde et ab incolis Belgis Prom. bon. spei *Berghaas* (*Lepus montanus*) appellatur.

Corpus magnitudine circiter *Leporis timidi*, colore e fusco-fulvo, subtus helvo.

Caput lateribus compressum seu subcuneatum, antice fronte extrorsus arcuata. Ore infero, mystacibus supra elongatis plurium ordinum cincto. Dentes incisores in utraque maxilla duo, exserti contigui, occursantes, paralleli, incurvati, quadrati, apice oblique scissi. Superiores ex maxilla superiore exserti, labium superius perforantur et habent infra se foramen saccatum, nullo orificio quod sciam in os interius exeunte. Inferiores exserti quoque ex maxilla inferiore. Canini nulli. Molares 4 utrimque. Os exiguum, longitudinale; inter os et foramen ex quo dentes superiores prodeunt, membrana transversa labium superius format inter dentes. Lingua exigua, teres; palatum rugosum. Nares rotundae, rubicundae, nudae. Oculi laterales, amplissimi, protuberantes, nocturni. Auriculae longitudine fere capitis, amplae, patulae, cochleatae, apice nudae, venosae.

Truncus thorace compresso, abdomine et circa femora dilatato. Mammae 4 pectorales, vicinae, sub pedibus anticis, at paullo retrorsum in feminis. Foramen amplum, saccatum, prominulum, rotundum, rugosum, contractile, intra quod anus et genitalia: ano postico, et glande penis reticulata, verrucosa, totoque pene in postica verso.

Pedes: palmae pentadactylae, brevissimae, exiles; digitis 3 mediis subaequalibus, lateralibus brevioribus. Subtus callus torosus, nudus ad partem interiorem; ad exteriorem lobus lateralis profunde divisus extra nudus, intus pilosus. Ungues validi, subulati, subincurvi, subsolidi, fere longitudine digitorum. Plantae longissimae, validae, tetradactylae; metatarsis tarsisque elongatis; digito medio longiore, lateralibus duobus brevibus, extimo breviore. Callo

sub calcaneo oblongo exiguo; ungues breves, validi, subsolidi.

Cauda longissima (corpore longior) pilis densis, longis fulvis vestita: apex caudae floccosus pilis elongatis nigris.

Mensurae.

Caput ab apice rostri ad basin aurium	4 unc.
» ab auribus ad basin caudae	12 »
Cauda	17 »
Aures	3 »
Longitudo tota	33 »
Armi palmae, s. ped. anticor ad cubitum usque	3 »
Tibiae anticae	3 »
Digiti cum metatarsis	2 »
Ungues	$\frac{3}{4}$ »
Femur plantae, s. ped. posticor ad flexuram	$4\frac{1}{2}$ »
Tibiae posticae	4 »
Metatarsi cum digitis	5 »
Unguis digiti medii	$\frac{1}{2}$ »

271. (3) *Yerbua Sibirica* (*).

Alagdaga Messerschmidii habet 4 incisores; duo medii superiores breves, truncati et approximati; inferiores longiores acuti, remoti, duo minores utrimque ad utriusque latera. Auriculae longae, plicatae, et pellucidae ut venae transluceant. Pedes antici breves, digitis quinque aequalibus: postici elongati, pentadactyli, trium digitorum anteriorum medius longior, quartus quintusque semipollice distant retro.

Corpus antice exile, posteriora dilatata, crassa. Vibrissae maxillae superae nigrae circiter 20. Nares nigrae. Fros plana, obscure cinerea, tempora ochroleuca. Oculi ampli. Iris viridescens. Auriculae, superiora corporis et

(*) *Dipus Iaculus* Auct.

caudae et exteriora pedum lutescenti-cinerea, at interiora cum inferioribus corporis albo-cinerea. Cauda corpore longior teres, pilis brevibus vestita, apice bipinnata, albis nigrisque pilis floccosa.

Fodit, salit, hybernacula radicibus et foeno implet. Russis *Lepus terrestris* et *Babuk*, circa Tanaim et in Sibiria. Iter S. G. Gmelin Vol. I. p. 26 sqq.

Mart. 22. — Apr. 27. 1775.

ANTELOPE (*).

Genus Antelopae a celeberrimo Pallas merito introductum in systema, plurimas habet species, at quod dolendum nondum rite examinatas satisque zoologis cognitas. Promontorium bonae spei et adiacentes Africae regiones a Belgis occupatae, ditissima pars mundi plantis et animalibus, quorum vix dimidia pars bene est cognita. Florae divitias clarus magni Linnaei discipulus D. Thunberg indefesso studio et itineribus in interiora Africae non sine discrimine susceptis, examinavit et descripsit, per integrum triennium; quas-

(*) Dolendum sane, hanc commentationem de Anteloparum genere prius non innotuisse, antequam celeb. Pallasii Spicilegiorum fasciculus duodecimus in lucem prodierat. Licet elucidationes et observationes huius auctoris satis congruae sint iis, quae Forsterus h. l. obtulit, tamen si uterque alterius potuisset uti lumine, opus pro tempore absolutum iam tunc fuisset dicendum.

Nunc demum edendo quae ante hos 66 annos de Anteloparum tritissimo genere conscripta sunt, parum scientiae consultum iri multi censebunt. Attamen ex his Forsteri manuscriptis hauserunt quicunque de Antelopis scripturi erant et quibus adire hunc fontem licebat. Interest igitur ipsam auctoris sententiam, integram et genuinam perspicere et inde de varia ratione qua singuli eam in suam verterunt diiudicare. Fideliter igitur omnes quas diversis temporibus addiderat auctor adnotationes, descriptionibus adiecimus, nec omisimus quidquam nisi locorum ad historiam generis spectantium enumerationem nimis copiosam, a serioribus ad taedium usque repetitam.

qne uti spero, doctissimus vir Nic. Laur. Burmannus cum orbe erudito brevi communicabit. Animalia vero nondum satis sunt perspecta. Ideoque quum mihi contigerit bis Prom. b. spei visitare, totus in eo fui, ut plurima animalia conquirerem, examinarem, novaque describerem ac delinearem; at si quis consideraverit, quam difficile id sit, ne dicam multa, aliquid tantum in hoc negotio praestare, ob breve temporis spatium quo naves plerumque hic morantur ob impudentem avaritiam incolarum, qui a peregrinis pretia immodica pro rebus maxime communibus exigunt, ob ingens spatium quo loca animalibus frequentata distant ab urbe, ob paucitatem hominum quos vel pretio magno pellicere possis, ad animalia, aves vel pisces colligendos; tum denique id patebit, me certe nec sumptibus, nec labori pepercisse, quo maiorem copiam novorum animalium colligerem. Et revera 40 nova animalia me nactum fuisse, credo satis superque dictis fidem facient Praeterea id effeci, ut ad minimum 20 plurave animalia antea quidem nota, sed sub novis falsisque nominibus latentia postliminio ad sua genera speciesque restituerem. Denique id quoque praestiti, ut futuri naturae consulti, qui in Prom. b. spei sunt perventuri, sciant, esse adhuc plura prorsus nova in hisce oris animalia, et quorum vel exuvias tantum videre mihi licuit, vel de quibus fama auraque vulgari quaedam accepi; eaque igitur investigabunt maiori cura feliciorique, quod spero, successu.

Anteloparum genus ad Prom. b. spei habet species quod sciam undecim, quarum ipsemet vidi plures, vel etiam exuvias cum cornibus examinavi: scil. sex species vidi et exuvias trium, cornua duarum. De singulis huius generis speciebus quaecunque comperi, quantum potero tradam perspicuiter; quum mea quidem opinione, historia *Anteloparum* etiam post luculentas curas clarissimi Pallas, et summi An-

gliae zoologi Pennantii luce adhuc egeat et in multis certitudine.

Non dubito, figuram conformationemque cornuum utique adhibendam ad distinguendas huius adeo numerosi generis species, id tamen caute faciendum simul moneo; quoniam in una specie *Dorcadis* eiusque varietate *Pygargo* vidi cornua in quibusdam subflammantia, in aliis lyrata, in aliis arcuata, nec defuere denique redunca, adeo ut si secundum cornua in hoc genere ordinare eandem velles, ad plures species foret referenda. Utique igitur debent, tot quot possunt, characteres colligi, et multa huius generis animalia climate, magnisque terrarum spatiis diremta inter se comparari, non neglectis mediis veluti inter extrema umbris, ut verae species constituantur. Id enim zoologi γνησίȣ est officium, nec ullas intactas relinquere species, nec varietates pro speciebus exhibere, nec plures species sine urgente necessisate in unam confundere.

Illustris Linnaeus 6 species distinctas inter suas Capras enumeravit, sed aliquoties in synonymis peccat. Illustris Buffonius plures Antelopas separatim a Caprino genere Gazellas vocans, descripsit, nec non delineavit: is certe plurima ad historiam Anteloparum facientia, diligenter ex antiquis et recentioribus congessit; verum in hac parte operis, non mihi satisfecit vir summus, neque par sibi ipsi videtur. Recte quidem plures varietates in unam speciem idem coniungit, verum nimis fidens Adansonio, varietates quasdam rursus in species dispescit. Hunc excipit accuratus imprimis zoologus, celeberrimus Pallas, qui in spicilegio zoologico I. nobis 16 Anteloparum species sistit, quarum tamen plures rursus in unam speciem sunt amandandae, sic v. gr. *Dama* et *redunca* sunt idem animal; *Pygargus, Dorcas* et *Kevella* non nisi pro varietatibus *Dorcadis* sunt habendae: addidit quaedam nova, multa bene observavit, in synonymis aliquoties peccat: caeterum admodum utile opusculum cum orbe erudito

communicavit. Postremus qui de Antelopis quaedam commentatus est amicus summus, Angliaeque decus eruditae, generosus Thom. Pennant armiger, qui in synopsi quadrupedum 22 Antelopas breviter, at graphice ut solet, descripsit. Is a prioribus autoribus in errorem inductus, itidem ut illi varietates nonnullas pro speciebus habuit v. gr. eius *A. velox* et *rufa* sunt *Damae* varietates: dein sub *A. barbara, platycera, alba, sinensi* et *maculata*, varietates *Dorcadis* latent: *A. cervina, senegalensi* et *gambensi* eadem *Bubalis* denotatur, eiusque forte varietates. Praeterea etiam synonyma quaedam non recte eum suspicor enumerasse: at multa praeclara, novaque communicavit. Hisce auctoribus, qui me instruerunt, sum usus; reliqua vel a visis examinatisque Antelopis ad Prom. b. spei obviis, vel ex iis quae de reliquis congenerum illic audivi, hausi; nonnulla etiam comparatis aliorum de hoc animalium genere dictis, et ex autorum monumentis decerpsi.

Antequam plura de Anteloparum speciebus dixero, observabo brevibus, unicam earum nempe *Rupicapra* nonnisi in Europa, quod sciam, vivere: *A. bezoartica*, et *Leucopus* videntur Asiae soli propriae species esse: in Africa tantum reperiri credo *A. glaucam, leucophaeam, grimmiam, minutam, Oreotragum, Bubalin, Strepsicerota, Damam* et *Tragulum*. Europae et Asiae communis est *tatarica*: et nonnisi 4 sunt Asiae, Africaeque communes, scil. *Dorcas, Cervicapra, Oryx* et *Gazella*. In universum verae quod sciam species sunt numero 17, quas iam breviter delineabimus.

272. (1) *Antelope Tragulus* (*).

Antelope cornibus erectis, teretibus, laevissimis, subulatis, subreduncis. Sunt in hac specie plura notanda, vix ab

(*) Nomen ab omnibus receptum sed ei, quam auctor secundo loco proposuit varietati tributum, dum reliquae aliis nominibus postea sint distinctae.

ullo quod sciam auctore observata. Quae enim Kolbe et de la Caille meminere, sunt manca, obscura et brevissima. Incolae Prom. b. spei tres huius speciei varietates memorant, duas a me visas: prima vocatur *Grysbok*, secunda *Steenbok*, ultima denique *Bleekbok*.

α) Primam varietatem (*) *Melanotidem* appellavi, ob auriculas nigras. Pili in corpore sunt colore spadiceo, seu e fusco-rufo, pilis plurimis albis interspersis, unde animalculum videtur canescere, et hinc ei nomen haesit a cano colore (*Grysbok*), quasi canescens. Degit plerumque in summorum montium locis planis, inter saxa, ericeta ac frutices victum sibi quarens. Non tantae est pernicitatis quemadmodum animalia varietatis secundae, ideoque non raro a canibus graiis et venaticis capitur. Masculi soli cornuti, foeminae muticae.

Corpus circiter Caprae altitudine sed multo gracilius et pedibus pro corpore longioribus.

Caput oblongum, teretiusculum, pilosum, rostro subconico. Os exiguum, labiis nigris; nares pilis raris obsitae, nigricantes. Apex niger. Oculi ampli, viridi-nigri. Regio periophthalmica ampla, nigra; sub oculi cantho antico versus nares sacculus lacrymalis s. sebaceus supra niger, orificio subrotundo. Aures longitudine capitis, oblongae, extus nigrae, pilis brevissimis dense vestitae intus subvillosae, pilis elongatis. Cornua teretia, atra, basi remota, subparallela; fronti obliquo angulo insistentia, ideoque erectiuscula, subulata, laevissima, adunca in adversum s. redunca paululum. Pedes graciles, elongati, attenuati deorsum. Ungulae atrae, triangulares, acuminatae. Cauda vix ulla.

Corpus e fusco-rufum.

(*) *Melanotidis* nomen ei haesit.

Caput et pedes dilutiora. Subtus et abdomen leucophaea. Dorsum, femora et latera aspersa pilis crebris canis.

β) Secundam varietatem (*) *Rupestrem* vocavi, quoniam plerumque locis petrosis at planis, inter fruticeta degat; unde incolis a petris *Steenbok* appellata, 7 vel 9 pedum spatium saltu complet, ideoque summae velocitatis; non raro et vineas intrat.

In plerisque cum *melanotide* convenit, figura nempe, magnitudine et proportione. Solo colore differt: qui est per totum corpus spadiceo-rufus absque maculis supra, pilisve canis interspersis. Aures fuscae, nec nigrae, intus striis elevatis 3 pilosis notatae. Super oculos macula albicans. Abdomen et femora intus alba. Vibrissae supra infraque oculos crebrae nigrae. Macula alba sub cauda. Cornua non vidimus hac vice; at antea annotaveram, teretia, recta, parallela, subulata, laevia, nigra, fronti oblique insistentia.

γ) Tertia varietas *pallida* (**) a me est vocata, quoniam incolae Belgae ei nomen imposuere idem significans: *Bleekbok.* Hancce videre mihi non contigit, at ex viris fido dignis, earumque rerum ob amorem venationis gnaris id comperi, in omnibus *Rupestri* simillimam, et solo colore pallide rufo a reliquis varietatibus dignoscendam.

Obs. Hae tres varietates promiscue a Belgis in cibum adhibentur; nec id negandum, inter optima huius orae felicis fercula esse numerandas carnes Antelopae Traguli: saepius enim e duabus primis varietatibus pransi.

(*) *Ant. Tragulus* Auct.

(**) Mera praecedentis varietas sexualis vel secundum aetatem.

273. (2) *Antelope Dama* F.

A. cornibus teretibus rectis, parallelis, reclinatis, reduncis, basi annulatis.

Haec Antelope ex solis Adansonii ap. Buffonium descriptionibus cognita, quae sunt admodum mancae et obscurae; id tamen inde et ex figuris patet, eiusdem speciei utramque varietatem esse, et nonnisi colore differre, qui in *Dama Nanguer* est rufus, abdomine, pedibus, femoribus et uropygio albicantibus; at *Nagor* undique est rufa. Hanc speciem ob cornua *redunca* recte appellari *Damam*; et forte eandem esse suspicor quam Plinius et Aelianus ob oculos habuere.

274. (3 et 4) *Antelope Leucopus* F. (*)

Antelope cornibus teretibus, erectis, laevibus, subreduncis; auriculis pedumque apicibus albo nigroque fasciatis, cervice iuba brevi.

Hunterus ex vivo specimine descripsit et delineari curavit, eisque nomen *Nil-gau* applicari in India asseruit: itaque his nil addam. Alter tantum sexus cornutus. Examinatis descriptionibus et figuris Antelopae *Nil-gau* et *Tragocameli* in actis anglicis, id certo certius apparuit, idem animal sub gemina descriptione latere, et non nisi varietatem ad summum vel sexus differentiam in utroque animali obviam esse.

274. (5) *Antelope Strepsiceros.*

Antelope cornibus subteretibus, carinatis, rectis, divergentibus, longissimis flexuoso-spiralibus, basi rugosis.

(*) *Ant. Tragocamelus* Pall.

Etsi clariss. Pallas velit reprehendere Buffonium, quod Kolbii *Bock ohne Namen* (*Capra anonyma*) pro hac Antelope habuerit; comparatione instituta rursus, credo Buffonium recte hariolatum esse; et quod magis forte curiosum, ipsum nomen *Condoma* servat vestigia vocis Kolbianae: nam Galli fere omnes voces exteras mire corrumpunt, itaque dum Gallus quidam haec cornua ad Prom. b. spei emisset, quaesivit ex quo potissimum animali ea essent; Belga respondit, ea referenda ad Kolbii *Bock ohne Namen,* unde statim is qui ea verba excipiebat, nomen confinxit *Condoma,* et sub hoc nomine scribae navali dedit, qui Buffonio cornua et nomen detortum tradidit. Nec obstat quod clar. Pallas obiicit: Strepsicerotem carere *arunco,* nam Kolbius tantum voluit per barbam vel aruncum designare pilos elongatos a mento usque in pectus obvios. Nunc apud Belgas Prom. b. spei incolas, nomine *Koedoes* nota, est haec Antelope, quod galli *Coudous* pronunciant. Ego animal vivum non vidi, at ex pelle seu exuviis pluribus descripsi, sic et pluries cornua vidi. Ante aliquot annos specimen huius Antelopae vivum in viridario visum, agilissimum, pulcherrimum, saltu ingenti semper portam ex ferreis virgis factam transilire solitum, ut panem appeteret ab hominibus commonstratum; eoque accepto rursus in viridarium decem circiter pedum portam transcendisse ferebatur. Uterque sexus cornutus.

Corpus e maximis, griseum, canescens, linea dorsi et septem utrimque strigis niveis. Iuba brevis nigra, et pili itidem elongati nigri a mento in pectus, facies fusca, a cantho oculorum utrimque duae lineae albae in naribus conniventes. Cauda floccosa, apice pilis nigris, subtus alba. Dentes 8 incisores medii maximi latissimi, inde secundi paris proximi magnitudine, tertii paris minimi, quarti tertio paulo maiores. Aures fusco-nigrae. Pedes graciles, cervini, intus albi, genua nigra. Cornua fusco-nigra, carina spiras 3 circiter legente, apice teretia, subulata, alba.

275. (6) *Antelope Cervicapra.*

Antelope cornibus teretibus, dimidiato-annulatis, flexuosis contortis.

Mares soli cornuti, facie corporeque fusci, colli lateribus et humeris fere nigri, cervice griseo-fulvescentes, dorsique duabus striis ac regione ophthalmica albidi. Subtus et pedum interiora cum apice caudae nivea. Feminae muticae, colore griseo-flavescente. Dentes primores octo, medii latissimi. Sub genubus floccus pilorum.

276. (7) *Antelope Oryx* (*).

Antelope cornibus teretibus, subcarinatis, rectis, longissimis, nudis, flammantibus; iuba brevi, paleari laxo, piloso.

Uterque sexus cornutus. Feminam ipse vidi, examinavi, descripsi et delineavi, quum viveret in vivario Capensi. Male illustris Buffonius hanc Antelopes speciem vocat *Coudous*, cum hoc nomen ad *Strepsicerotem* nostrum pertineat. Generosus quoque Pennant male hanc suam *Antelopem Indam* ab *Alce Capensi* distinguit, et *Gazellam* mox enumerandam pro vera *Alce capensi* habet, quum Belgae incolae Prom. b. spei, *Gazellam* consueverint appellare *Gemsbock* (*Rupicapram*). Mitis et mansueta haec quam vidi femina erat, at lasciva, ideoque ob defectum maris, in Antelopas Damas imo et homines insiliebat. In montanis vivere dicebatur.

Corpus magnitudine Cervi, vel equi potius maioris, totum ex fusco-griseum s. cervinum, ad humeros 4 circiter pedes altum; linea dorsi, et genubus nigricantibus. Abdomen et interior pars pedum pallide-fusca. Gula strumosa,

---

(*) *Ant. Oreas* Pall. Spicil. XII.

s. larynge protnberante subgloboso. Iuba brevis nigra; in humeris pili incrementum capiunt. Paleare laxum, pilis nigris elongatis vallatum. Ungulae parvae pro mole corporis, acutae, nigrae. Cornua teretia, subcarinata, recta, capite paulo longiora, 2 circiter pedum (in trimula), nuda, basi vix annulata (annulis quasi undato-obsoletis), nigra, opaca, reclinata (i. e. ita capiti insistentia, ut si frontis linea recta sursum produceretur, in cornua excurreret) divergentia (ita ut si faciei circumcaesura, formans litteram Romanam V, produceretur, in cornua excurreret).

Dentes primores 8 lati, et satis magni, extimis paulo minoribus. Aures amplae, intus tribus carinis villosis. Nares subnudae atrae. Oculi ampli, vividi.

277. (8) *Antelope Bubalis* (*).

Antelope cornibus teretibus, annulatis, lyratis, apice nudis rectis; Belgae Prom. b. spei hoc animal appellant *Hartebeest*, i. e. Cervum. Exuvias ipse vidi et examinavi cum cornubus: in omnibus simile animal ei qnod Adansonius ap. Buffonium appellat *Koba*. Quantum vero hoc simile sit *Bubalidi* et alteri minori varietati, quam Adansonius appellat *Kob*, facile comparatis iis quae Buffonius refert et Pallas et Pennant patebit, itaque nolo in his diutius morari. Certe ad eandem speciem referendae, et varietates tantum dicendae.

278. (9) *Antelope Gazella* (**).

Antelope cornibus teretibus, rectissimis, longissimis, basi annulatis. In hac Antelope omnes fere autores peccant:

(*) *Ant. Bubalis* Pall. *Ant. Caama* Recentiorum.
(**) *Ant. Oryx* Pall. Spic. XII.

ideoque accuratius de ea nobis dicendum. Primum hanc credo esse *Orygem* Plinii, et antiquorum, nam in tabula Isiaca Taurinensi est Hercules immolans *Orygem*, cuius cornua sunt rectissima, et cum haec Antelope sit maxima adhucdum in Aegypto communis (*), non dubito nostram *Gazellam* esse Orygem antiquorum. Praeterea idem Plinius l. 8 c. 79: *Sunt et Oryges*, ait, *soli quibusdam dicti contrario pilo vestiri, et ad caput verso*. Iam vero de suo *Pasan* Buffonius, describens eius exuvias, observat; *contrario in dorso pilo vestiri et ad caput verso*: itaque hinc magis magisque mihi id quidem patet, *Gazellam*, Aegyptium animal antiquorum, esse Orygem, nam Buffonii Pasan est Gazella vel varietas eiusdem. Dein illustris Linnaeus male quidem ad suam Gazellam revocat Kolbii Alcem capensem, quam demonstravimus esse Orygem recentiorum (*Oreadem*). Postmodum illustris Buffonius Antelopen Gazellam et Pasan perperam in duas species dirimit, et multa confundit; nam etsi vera *A. Pasan* sit certe animal ab *A. Gazella* diversissimum; id tamen de sua *Pasan* dici nequit; nam Buffonius verba Kaempferi, optimi de ea re iudicis pervertit, et quum is *Caprae bezoarticae* cornua adunca, in dorsum reflexa tribuat, ipse tamen hoc diserte negat et eadem rectissima vult esse, vel paululum medio a se discedentia, rursusque coëuntia fingit: praeterea et pellis *Pasani* ab eo descripta, est *Gazellae* vel ut plurimum varietatis eiusdem: nullibi enim refert, unde resciverit, ad *A. bezoarticam* vel suam *Pasan* pertinere exuvias a se descriptas; verum id ex cornubus colligit simillimis illis, quae Io. Dan. Major sub nomine *Capri bezoartici* in Ephemer. nat. curios. anni 1677 descripsit: qui certe a Bontio in errorem est inductus. Hic Buffonii error pluribus locum dedit, quae enim postmodum a clariss. Pallas ac generoso Pennant partim hinc sunt de-

---

(*) *Ant. Leucoryx* Pall. Spic. XII.

cerpta, et ideo quoque male synonyma ab utroque recensentur. Id certum, animal Aegyptium cornibus rectissimis, quoque ad Prom. b. spei reperiri, verum in partibus interioribus. Incolae id vocant *Gemsbock (Rupicapram)*. Nobilissimus Baro de Plettenberg, qui nunc in Prom. b. spei gubernatoris munere fungitur, meque benigne in pluribus adiuvit, ipse mihi exuvias *A. Gazellae* in interioribus Africae, dum eas partes inviseret, necatae, et cuius carnes ipse degustaverat eximias, dono dedit, uno cornu carentes, unde collegi, id in caeteris prorsus simillimum animali a Pennantio descripto nomine *A. Aegyptiaca*.

Si haec denique cum descriptione confero, ex itinerario in Congense regnum decerpta, exhibente *Pacassam* vel *Empacassam*, animal Bovi bubalo simile, monogamum, album, nigro rufoque maculatum, auribus praelongis, cornibus rectissimis, nullum mihi dubium reliquum est, hanc nostram *A. Gazellam* illic nomine *Pacassae* describi.

279. (10) *Antelope Oreotragus* F.

Antelope cornibus teretibus, rectissimis, arrectis, subulatis, basi rugoso-annulatis.

Hocce elegans animalculum, nemo quod sciam ante nos descripsit et delineavit, ab incolis Belgis appellatur *Klipspringer* (*Rupium saltator*) iu summis habitat rupibus, praesertim in ipsa extremitate Africae, ipsissimoque Prom. b. spei, prope *Vals-Bay* (Sinum falsum). Quum a venatoribus excitatur, saltus immensi spatii per avia et devia rupium facit et non raro in ipsas crepidines rupium, et in loca recedit ubi vix satis spatii reliquum est, ut possit quatuor pedes collectos in angustissimum locum reponere, inde rursus si petra apta in propinquo est, in eam transilit, vel etiam desilit, in loca quae intuentes solum, terrent ob praecipitem descensum, et sic non raro pernicitate miranda industriam

venatorum eludit, verum etiam, si in loca prorsus inaccessa pervenerit, unde nullus reditus est, ab eisdem glandibus plumbeis e bombarda conficitur et in loca confragosa convallium decidit. Feminae cornibus carent. Pili in hac specie adeo parum sunt affixi cuti, ut illico tacti defluant; eos incolae pro faciendis culcitris adhibent.

Corpus magnitudine circiter *A. Traguli* vel paulo maius.

Caput conicum, teres, crassiusculum, obtusum. Nares nigrae, nudae, planiusculae. Labia tenuia, nigra. Rictus mediocris, subobliquus. Oculi ampli, sub cornibus, in plaga nuda, nigra. Saccus lacrymalis s. sebaceus, sub oculis, in eadem plaga, orificio amplo ovato. Aures fere longitudine capitis, ovatae, acutae, apice nigro-marginatae. Cornua auribus paulo breviora, basi remota, paululum divergentia, rectissima, arrecta (i. e. capite horizontali, terrae perpendicularia) teretia, subulata, basi rugoso-annulata, atra.

Pedes graciles, attenuati, elongati; ungulae obtusae, atrae, compressae.

Cauda brevissima.

Caput universum fulvescenti-fuscum, hinc inde striolis nigris variegatum. Pili basi albidi, medio nigricantes, apice fulvo-grisei.

Corpus reliquum minutissime variegatum, commissura intima e flavo et fusco: pili ut in capite, basi albi, medio nigri, apice flavo-grisei. Pedes latere interiore albicant. Aures eis concolores. Pili facillime decidui, molles, elastici, at filiformes, crassiusculi.

280. (11) *Antelope minuta* (*).

Antelope cornibus teretibus, subrectis, basi annulatis, subulatis, atris.

(*) *Ant. pygmaea* Pall. Spic. XII.

Haec elegantula Antelope saepissime pro alio animalculo quod ad Moschos spectat, est habita: at nil clarius ac luculentius easdem distinguit, quam characteres a natura eis attributi diversissimi: *Antelopes minutae* mares sunt cornuti, et in maxilla superiore nullos habent laniarios; verum *Moschi pygmaei* in utroque sexu cornibus destituuntur et habent dentes laniarios superioris maxillae exsertos. Buffonius videtur ignorasse differentiam inter *Antelopas* et *Moschos*, cum utrumque animal vocetur voce gallica *Chevrotain*.

281. (12) *Antelope Grimmia* (*).

Antelope cornibus subteretibus, subrectis, basi rugoso-annulatis, striatis, subulatis, reclinatis, atris: verticis fasciculo piloso.

Primus *Grimmius* hanc Antelopen ad caput b. spei viderat; verum specimen hoc erat femina sine cornibus quod etiam summum alias zoologum illustrem Linnaeum impulit, ut hanc Antelopen, quam primo inter capras ordinaverat, postmodum inter Moschos numeraret. Illustris Buffonius recte suspicatus est, *Grimmiam* esse *Antelopen*, verum nescio qui factum sit, ut nobis rursus offerat Antelopes caput ab Adansonio communicatum e Senegalensibus regionibus allatum, de quo dubitem, an sit revera *Grimmiae* nostrae: cornua enim vix correspondent. Nolo tamen quicquam in re dubia pro certo affirmare, satius igitur est, rem tantum meminisse, et dein in medio relinquere, aliis diiudicandam. Primus clariss. Pallas bene riteque de *Grimmia* commentatus est. Ea quam ipse descripsit e Guinea fuit allata. Cornua quae ipse vidit, etiam apud Sebam Musei I. t. 43. fig. C. D. delineata esse et quidem exactissime, refert. Generosus Pennantius hanc eandem *Grimmiam* Hagae comitum viderat;

(*) *Ant. mergens* Desm. Mammal.

eius igitur descriptio non ab ea discrepat, quam cl. Pallas dederat. Quum ad Prom. b. spei essem et undique colligerem res ad historiam *Anteloparum* spectantes, inter alia quoque mihi oblatum fuit cornu animalis, quod incolae Belgae vulgo *Duyker-Bock* i. e. *Capram mergam* appellant. Id in omnibus exacte figuram apud Sebam expressam refert; estque 4 uncias longum, subrectum, striatum, basi ad $\frac{1}{3}$ cornu annulis circiter 4 vel 5 rugosis cinctum, ad latus eius exterius postice est quaedam sutura elevata seu carina rugis ferme destituta, neque exacte teres figura est cornu; verum postice quasi planiuscula et antice magis convexa, at striis magis expressis, paululum retro incurvatur, estque subulatum. Praeterea simul ab eodem homine et pluribus aliis, qui hoc animalculum probe noverant et venabantur, mihi relatum, hanc *Capram mergam* (*Duyker-Bock*) habere in medio capite fasciculum pilorum s. cristam quasi (*een Kuifje*); eiusque foeminam esse ecornem. Deinde quum rationem nominis *Duyker-Bock* inquirerem, id pro responso retuli: hanc Antelopen plerumque vitam agere locis planis, inter fruticeta; et si venator casu in ea veniat loca, ubi haec Antelope versatur, eandem illico per fruticeta fugam capessere, et post aliquod intervallum, saltu ingenti e fruticetis emergere, ut sic videre possit ubi sint infesti venatores, et rursus illico inter frutices fuga continuata, quasi immergi, donec longo rursus intervallo alio saltu emergatur, rursumque eandem immergi, unde ipsi nomen haesisse *Caprae mergae*; neque esse dicendam (uti clariss. Pallas id nomen interpretatus est): *Capram nictitantem*. Idem accuratus imprimis zoologus suspicionem iniecit, *Grimmiam* forte esse Kolbii *Capram canam* (*Grysbock*); quae certe multum a vero abest: illa enim *Capra cana*, nobis *Antelope Tragulus melanotis* dicta, prorsus caret illo fasciculo piloso verticis, estque *Capra merga* aliquanto minor, nec cornua habet similia cornubus *Grimmiae*.

Denique ex cornuum longitudine colligo, *Grimmiam Guineensem* aliquanto minorem esse, quam *Capensem*; verum id certo affirmari nolim, ipso animali a me non viso.

282. (13) *Antelope Leucophaea* (*).

Antelope cornibus subcompressis, rectis, bicarinatis, spiralibus, apice teretibus; corpore spadiceo, striis, fasciis, maculisque albis.

Quum in Prom. b. spei colligerem omnia ad historiam naturalem facientia, inter alia oblata mihi fuere cornua cum parte pellis caput tegente, colore spadiceo maculis albis notata, quae mihi venditabantur pro cornibus Antelopes appellatae *bonte Bock*, i. e. *Caprae variegatae*, quae dicebatur animal esse magnitudine circiter *Axis benegalensis* et cornua erant aliquantum similia cornibus Antelopae a Buffonio *le Guib* appellatae. Clariss. Pallas *Capram variegatem* vult esse *A. Pygargum*; mea quidem opinione id nomen ad nostram *Leucophaeam* referendum. Quaedam huius Antelopes specimina circa *Hottentotsch-Holland* passim sunt obvia.

283. (14) *Antelope Dorcas.*

Antelope cornibus teretibus, basi annulatis, striatis, reclinatis, apice resupinatis, nudis. Stria laterum nigricante.

Nulla alia inter Antelopas tot habet varietates, quam haec nostra *Dorcas*. Cornua certissime non solum variant in hac specie, verum etiam natura in cornuum conformatione eiusdem varietatis mire solet ludere; quod ipse oculatus testis in *Pygargo* observavi. Vidi enim masculum adultum, certe 8 vel 9 annorum; cuius cornua erant simillima iis quae Buffonius delineavit XII. t. 31 f. 6 ideo-

(*) *Ant. scripta* Pall. Spicil.

que eadem recte a clariss. Pallas ad Pygargum sunt relata; vidi quoque alios *Pygargos* (*) cornubus subflammantibus, alios lyratis et unam feminam reduncis: unde satis superque patet, in hac specie cornua eorumque conformationem non adeo presse pro charactere adhibenda esse, verum et alias notas in stabiliendo charactere usui debere esse.

Color in *Dorcade*, *Kevella*, *Corinna* et *Pygargo* est cinnamomeus et ab armis ad femora stria lata, obliqua, nigricante-spadicea est ducta, albedini abdominis abrupte contermina; uropygium late candidum, cauda apice floccosa, nigra. Hi sunt in omnibus varietatibus a me enumeratis constantes characteres. An illa varietas, quam sub nomine Turcico-Tatarico *Tzeiran* s. *Dsheren* (**) noscimus, ad *Dorcadem* spectet, vel an potius novam condat speciem, id adhucdum ambigo; color certe similis *Cervi capreoli*, i. e. multo rufescente tinctus cervinus, et pene ad cinnamomeum accedens. Auctores qui de hac specie quaedam observarunt, silent de litura seu striga laterum nigricante, neque meminere uropygium late candicans et caudam nigram, itaque haec erunt manebuntque dubia, donec clariss. Pallas qui in oris Asiae fuit, ubi *Tzeiran* versatur, redux certiora orbem eruditum docuerit. Nollem igitur *Tzeiran* pro certo inter Dorcadis varietates enumerare. In *Dorcade*, *Kevella* et *Corinna* genua sunt pilosa, quod ego in *Pygargo*, cuius plura quam 20 vidi viva individua, nunquam observavi. Certe vel ipso Buffonio iudice *Dorcas*, *Kevella* et *Corinna* eiusdem speciei sunt varietates, climate et locorum situ distinctae et separatae; unde magnitudine, colore intensiore vel dilutiore, paucisve maculis differunt. De *Pygargo* (*Euchore*) recte pensitatis omnibus, idem pronunciare ausim, esse *Dorcadis* varietatem. Sed quo minns nostra verba tantum

(*) De *A. Euchore* loquitur auctor.

(**) *Ant. subgutturosa* Pall.

pro hac opinione militent iam hoc animalculum describam, ita ut cuilibet liceat de integra re iudicium ferre.

Antelope Dorcas, varietas Pygargus F. (*)

(Fig. pict. G.)

Elegans hoc animal ab incolis Belgis Prom. b. spei appellatur *Springbock* (*Capra saltatrix*). Interiores, penitioresque Africae regiones incolit, nec viciniam Prom. b. spei accedit, nisi ob aquae penuriam in superiore et siticulosa Africa. Gregaria vivit, gregibus a 10 ad 50 millium simul pascentibus: nec homines multum formidat. Leones, Leopardi, Lupi, Hyaenae, et alia carnivora animalia greges sectantur, et cibum sibi ex eis depromunt. Prima gregis individua, utpote quae pascua nova et abundantem procedentia nacta sunt cibum, sunt altilia, postrema macilenta. Dein quum rursus superiora Africae repetunt, postrema quae fuerant gregis, prima iam facta, melioraque indies pascua obtinentes, brevi pinguescunt; et ultima ex primis facta in grege macescunt ob inopiam pabuli. Si homines vel equo insidentes vel curru iter facientes incidunt in eiusmodi gregem, flagello de via removendae sunt Antelopae et si visum fuerit, fustibus tot enecant, quot in praesentia in cibum necesse ducunt; vel etiam aliquot vivas capere enituntur, imprimis capreolos. Facile mansuescunt, et tum pane, tritico, et foliis brassicae pascuntur. Mares adulti magna validiaque habent cornua, annulis distinctis notata. In vivario Soc. Mercatorum in Indiam mercaturam facientium, vidi marem 8 vel 9 annorum aetate, cornubus validis, annulis perfectis quasi nodosis, apice abruptis, quod casu, ultrove factum sit

(*) Eandem hanc speciem Forsterus postea, dum resciret, esse eam a *Pygargo Pallasii* diversissimam, nomine *Ant. Euchore* significavit.

ambigo; erat vero petulcus, et nisi bono fusti lapidibusque appeteretur a custode vivarii, in omnes praesentes magna vi irruebat, eosque humi sternebat. Vox ab omnibus stertori similis editur, vel etiam grunnitui suillo. Quaedam feminae adultae erant mites et ad panem e manibus accipiendum accedebant. Proles maris adulti intra trimatum, feritatem servavit; at ex eis una femina mihi a nobiliss. ac generoso Barone de Plettenberg dono data, et in navem allata feritatem exuit et paucis diebus prorsus mansueta ac cicur evasit, et panem vel pulverem Tabaci appetere solebat e manibus offerentium. Tempestates et ventos dum liberae vagantur, praesagiunt, subsultim ingentique quodam elatere se a terra elevando, tum vero caput demittunt, et pedes, imosque horum articulos retrorsum flectunt, dorsum vero et totum corpus in arcum curvant, et tum reclinatis utrimque pilis fulvis dorsi in uropygio usque ad clunes ingentem albam maculam recludunt. Una vero subsiliente, totus grex ilico idem facit. Mares et Feminae cornua habent, quae uti supra observavi, mire in eisdem variant.

Corpus magnitudine fere *Cervi Damae*, seu potius *Axis bengalensis*, forma eleganti, corpore gracili, pedibus altioribus ac *Damae* vel *Axis*.

Caput conicum, oblongum, pilis vestitum. Nares lunatae, angustae, connexae ad divisuram labii superioris et ubi connectuntur glomerulus est glandularum hemisphaericarum humidarum, nudarum, atrarum. Labia superiora vibrissis brevibus crebris inter pilos canescentes eminentibus, consita. Dentes incisores in maxilla inferiore 8. Oculi ampli, iride fusco-nigra. Sub oculis ante canthum anteriorem est sinus lacrymalis s. sebaceus obliteratus orificio subrotundo, exiguo. Aures longitudine fere capitis, basi tubulosae, angustae, acutae, suberectae; extus pilis minutis appressis griseo-nigris, intus canis elongatis per tres series dispositis vestitae. Cornua teretia, in plerisque ru-

gis annulata, apice nuda, subulata, nigra, fronti (non vertici) insistentia, suberecta. Collum compressum, gracile; truncus compressus, circa pedes posticos aliquanto altior quam antice. Pili dorsi paralleli, appressi, in postica vergentes; at medio circiter dorsi sursum oblique convergentes, rimamque formantes, quam animal potest pro lubitu remotis pilis convergentibus cinnamomeis dilatare, et sic maculam candidissimam cuneatam, ad clunes latissimam, dorso in angulum excurrentem, recludere; et rursus admotis pilis convergentibus occludere.

Pedes admodum graciles, elongati, attenuati. Genua antica nuda (i. e. nullo flocco piloso vestita), verum pilis appressis ut reliqua pedum consita; postici pedes valgi, et quasi divaricati. Ungulae bisulcae, nigrae, oblongae, acutae, spuriae exiguae.

Cauda exigua, pilis floccosis in apice.

Caput candidum, vertice et in frontis sinu cinnamomeum; ab oculis ad angulum oris linea nigricanti-spadicea ducta: in quibusdam linea in fronte usque ad nares fere descendit cinnamomea.

Corpus, collum pedesque cinnamomea, i. e. fulvo-spadicea. Linea dorsi in eiusdem medio incipiens, uropygium, abdomen, et pars pedum interior candida. Stria lata, obliqua, ab armis ad femora, albedini abdominis abrupte contermina, nigricante-spadicea. Apex caudae floccosus niger. Clunes ubi albedini sunt contiguae nigrescunt.

284. (15) *Antelope tatarica* F. (*)

Antelope cornibus teretibus, basi annulatis, reclinatis, apice resupinatis, nudis, flavescenti diaphanis; labio superiore longiore.

(*) *Ant. Saiga* Pall.

De hac specie vix aliud habeo quod addam, nisi quod usque in Moldaviam et Valachiam ac Hungariam sit dispersa; et quod ingentes greges earum usque 10,000 simul pascantur. Hieme a venatoribus in convalles alta nive obrutas compulsae facile conficiuntur contis. Feminae excornes.

285. (16) *Antelope rupicapra.*

Antelope cornibus teretibus, nudis, atris, rectis, erectis, apice uncinatis. Sinu post cornua, et genubus fasciculo piloso. Recte clariss. Pallas mea quidem opinione *Rupicapram* inter Antelopas militare iussit: et sunt argumenta pro hac opinione facientia; id certum, *Rupicapram* Capras et Antelopas connectere. Uterque sexus cornutus.

286. (17) *Antelope glauca* (*).

Antelope cornibus teretibus, annulatis, arcuatis, apice nudis, rectis, nigris.

Belgae Prom. b. spei incolae, hanc Antelopen *Capram coeruleam* appellant, et raro inveniri in interioribus Africae asserunt. Dum vivit pilos corporis ita disponit ut color coerulescens multo saturatior appareat et similitudinem habeat panni sericei villosi rasilis (*velvet* Angl. *velours* Gall.) verum necato animali pili concidunt et multo pallidiorem glaucum colorem faciunt, vel potius glauco-cinereum. Caput et linea dorsi nigricant. Abdomen, pedes, macula sub oculis, et caudae apex alba. Uterque sexus cornutus. Magnitudine Cervum Damam excedente.

Kolbius videtur errare, dum huic Antelopae tribuit barbam.

(*) *Ant. leucophaea* Pall.

287. (18) *Antelope bezoartica.*

Antelope cornibus teretibus, arcuatis, annulatis; gula barbata. Plerique recentiorum, nescio quo consensu, *Antelopen Pasen* s. *bezoarticam* cornibus volunt esse rectis, in errorem ut videtur inducti a Bontio et Majore uti supra ad *A. Gazellam* pluribus disserui, quum unicus in hisce oculatus iudex Kaempferus eam velit esse arcuatis. Id certum, Kaempferi animal, a Pasen Buffonii et A. bezoartica clariss. Pallas vel Pennantii toto coelo diversam esse; quod et aruncus bezoarticae confirmat: nec forte male fecerint ii, qui obscurum hoc animal rursus ad Capras amandaverint.

Inter Antelopas ad Promontorium bonae spei obvias et notas incolis, decem ad certas, determinatasque species retuli, quo maxima res est effecta, ut in posterum naturae consulti sciant, sub quo nomine eis sit inquirendum, si quaedam de certa Antelopa velint rescire: unam speciem, quam appellant *Rehbock* (*Capream*) (*), non quivi ad aliquam referre speciem cognitam: nec quicquam de ea rescire potui, nisi hoc unum, esse ipsi pilos mollissimos tenuissimos instar lanae, nec uti in reliquis congenerum rigidiusculos.

288. *Bos connochaetes* F. (**)

(Fig. pict. G.)

A κόννος barba et χαίτη iuba, quoniam hoc animal est simul barbatum et iubatum. Bos cornibus divaricatis antrorsum descendentibus, sursumque versis; cervice, gulaque a mento ad pectus pilosis, cauda pinnata.

(*) *Ant. Capreolus* Licht. Mag. d. Ges. Naturf. Fr. 1814. p. 174.
(**) *Ant. Gnu* Auct.

Animal simile Poëphago Aeliani. Kolbe 2. p. 129.

Nemo quod sciam huius bovis unquam mentionem fecit, neque id est animal uti suspicabatur Kolbius, simile *Poëphago Aeliani* lib. 16, nam id equo multo maius fuisse aiunt, hoc vix magnitudine *Cervi Damae* vel *Equi Asini*: illud caudam habebat insignem, ob quam imprimis a venatoribus appetebatur, hoc nostrum animal caudam vix ultra genua elongatam habet; et ut quod sentio verbo eloquar: *Poëphagus* forsitan est *Vacca Tibetana,* cauda praelonga insignis, a *Bove grunniente* vix diversa. Sed e diverticulo in viam redeundum. Kolbius refert quaedam de pictura animalis in interiore Africa visi, quod ipse aliquantum simile *Poëphago* vult, verum de hoc animali nil refert, praeterquam, quod sit iubatum ut equus, et corpore referat in omnibus bovem. Haec quidem aliquatenus in nostrum bovem conveniunt, sunt tamen nimis manca et imperfecta, ut quisquam suspicatus fuerit, revera tale animal in Africa obvium esse; neque quisquam his inductus, unquam inquisivit, num tale animal ibi reperiatur, nec ne. Plurimi enim pro fabula id habuere, donec ante 5 circiter annos, tale animal caperetur et ad Prom. b. spei adduceretur; idque paulo post nave in Belgiam missum, in itinere mortuum; id ipsum a generoso Jos. Banks visum. Dein mas et femina adducti, quos Belga homo, interiora Africae 38 dierum itinere a Prom. b. spei remota inhabitans, parvulos cepit et integro biennio et quod excurrit educavit. Mas iterum in Belgiam amandatus, in itinere periit. Femina triennis, quum ad Prom. b. spei venissem, adhuc ibidem vivebat. Ex hoc animali descriptio facta, et eam quoque filius delineavit. Verum et tabulam marem delineantem a pictore germano factam transscripsit. Mite satis animal erat, quod vidimus; in stabulo vivebat, pane et brassicae foliis alebatur. Habitus, magnitudo et partim mores ferme asini: fimus similis bovino, et bovis instar quoque ruminabat; impatiens manu-

bus contrectari vel demulceri. Mas dicebatur aliquanto maior fuisse femina.

Corpus magnitudine *Cervi Damae* vel *Asini* potius, in trienni femina.

Caput fronte planiusculum, lateribus compressum, subtus extrorsum arcuatum. Nasus quadratus; nares lunatae, una cum ore vibrissis setaceis, divergeutibus, arcuatis, albis consitae. Labia et maxillae subaequales. Dentes incisores maxillae superioris nulli, in inferiore 8 obcuneato-truncati. Oculi laterales, superi, ampli, furvi, truces; palpebrae ciliis fusco-nigris. Vibrissae hinc inde supra infraque oculos, setaceae, divaricatae, arcuatae, albae. Aures divergentes, patulae, fuscae (bovinae).

Cornua teretia, conica, divaricata, antrorsum descendentia, dein medio arcuata, sursumque versa, apice subulata, nigra. Collum anceps, compressum, cervice recta.

Iugulum paleari nullo. Abdomen doliatum, humeri modice elevati; dorsum rectum, omoplatae musculosae, femora macra, pedes graciles, dicheli; ungulae acutae, rotundatae lateribus, atrae; spuriae parvae. Regio lumbaris dorsi carina elevata, versus caudam depresra. Cauda basi compressa, cuneata, pinnata.

Corpus undique pilis brevibus, appressis, fuscis vestitum. Frons ab oculis in nasum pene tecta pilis setosis, longis, atris, erectis. Inter cornua pili longi, divergentes, fusci, in latere versus cornua appressi.

Cervix a cornibus ad humeros iubata, pilis setosis, erectis, densis, pallide fuscis. A mento in iugulum barba e pilis setosis, fuscis, ad gulam longioribus. A gula ad initium sterni pili setosi elongati, fusci, in medio amplius elongati in barbam acutam, ad genua fere dependentem. In sterno inter pedes, pili setosi, elongati, atro-fusci. Umbilicus obsitus pilis, setosis, elongatis, atro-fuscis.

Cauda pinnato-setosa, pilis elongatis, setosis, pallide fuscis, ultra genua dependentibus.

Mensurae.

Caput ab apice nasi ad basin aurium	$15\frac{1}{2}$	unc.
Corpus ab auribus ad basin caudae	58	»
Cauda cum pilis	28	»
Aures	$5\frac{1}{2}$	»
Armi	10	»
Cubitus	8	»
Tarsus	3	»
Ungulae	2	»
Cornua longa	18	»
» a basi ad curvaturam descendendo	9	»
» a curvatura in apicem sursum	9	»
Altitudo corporis ad humeros summos	$40\frac{1}{2}$	»
» supra lumbos	38	»
Femur	13	»
Tibia	10	»
Tarsus	3	»
Ungulae	2	»

Sunt praeter hos Boves connochaetas, alii Boves feri et ferocissimi, quantum ex ore narrantium testium oculatorum et cornubus in bibliotheca publica Promontorii bonae spei colligere potui, proxime accedentes ad *Boves Bisontes* Americanos. Cornua optime a Buffonio vol. II. delineata. Hos Belgae vocant *feros Bubalos* (*wilde Büffel*). Occupant regiones interiores, parumque frequentatas. Primum ex improviso in equos vel homines cornibus irruunt, unoque ingenti ictu in terram arietant, et non raro enecant, si vita eis post haec superest, eos pedibus conculcant et perforant et sic conficiunt. Quum doctiss. Thunberg cum hortulano Andrea Auge peragraret interiora Africae circa Prom. b. spei, et Thunbergius ex equo desiliisset, ac pedibus iter inter fruticeta et arbores faceret, hinc inde plan-

tulas colligens, subito Bos ferus in equum Thunbergii irruit et eum humi sternit, dein proxime in hortulanum impetum facit, quem is vix evadit inter duas arbores proximas viae ac pene contiguas transiliens, denique et secundum equum deiicit et ambos pedibus perforatos enecat, et antequam Thunbergius id resciret, praecesserat enim aliquantulum, vel antequam Hortulanus sclopetum expedire posset, incolumis evadit. — Dominus Hemmy in praedio suo, 20 circiter milliaribus ab urbe, alebat trimulum bovem huius generis, captum quum parvulus esset, quemque currui iungere et ad alia opera assuefacere tentavit; verum est adeo pervicax et robustus, ut quum sex alii boves mansueti una essent iuncti currui, hic ferus uno capitis reclinato nutu, illos sex iam discurrentes stiterit; nec unquam ab eis ulla vi, loco moveri potuit. Haec nonnisi die antequam navem rursus conscenderem, ab ipso domino audivi; certe enim eum examinassem, si ad hoc satis temporis mihi fuisset.

289. *Falco serpentarius* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Falco cera palpebrisque luteis, pedibus rubris longissimis; crista cervicis plicatili, rectricibus falcatis.

Le Messager. Buff. planches enlum. 721.

A Bird from the East Indies. Edwards Phil. Trans. Vol. LXI. P. 1. p. 55. Tab. 11.

Sagittarius Vosmaer. Monogr. 14.

Habitat passim ad Prom. b. spei; volat, et quoque alarum remigio adiutus velocissime currit. Cibus potissimum e serpentibus, quorum in omni Africa maximus proventus, eosque vehementer pedibus ferit et comminutis dislocatisque aliquot vertebris enecat et devorat: corporis pedumque ideo

---

(*) *Gypogeranus serpentarius* Ill.

peculiaris huic avi a provida natura concessa est forma, ut serpentibus nimiis infestam regionem purgaret, nec tamen ab eis laederetur. Incolae Belgae litteris eruditi, hanc ob rationem voce latina *Serpentarium* vocavere, quod tamen imperitum vulgus nunc in *Secretaris-Vogel* detorsit. Haec avis certe ordinem Accipitrum Grallarumque manifeste coniungit, ideoque dum primum e picturis hanc avem noscerem inter *Palamedeas* enumerandam suspicabar; verum visa examinataque ave, perspectisque eius moribus, certo affirmare ausim, eam ad *Falcones* potissimum spectare, ni forte temere novum genus condere velis. Duo huius avis individua, maris ut suspicor et feminae, mecum ex Africa attuli, in longinquo itinere carnibus alui. Avis territa vel irritata, cristam erigit. Vox vel Falconum pipiens, vel crotali instar quasi rauca rudiens.

Corpus magnitudine circiter *F. Malanaëti*, sed ob pedes longissimos, multo elatius.

Rostrum compressum, basi subtriquetrum, apice aduncum, nigrum, basi apiceque corneolum, margine integerrimum, angulo faucis usque sub oculos extenso, maxilla superiore multo longiore, inferiore planiuscula. Lingua lanceolata, subulata. Nares in cera ad basin rostri, obliquae, ovatae, amplae, patulae. Cera aurea, pilis raris atris consita, oculos includens. Oculi medii, ampli. Palpebrae aureae, ciliis supra infraque rigidis, validis, densis, setaceis, nigris. Membrana nictitans coerulea. Iris aurea. Vibrissae unius ordinis, rigidae, setaceae, nigrae, reclinatae sub oculis.

Pedes longissimi, (i. e. corpore multo longiores, Grallae). Femora elongata, tecta. Genua postice nuda. Tibiae circiter longitudine femorum, rubicundae, graciles, compressae lateribus, et utrimque molliter sulcatae, cute squamosa tectae. Metatarsus validus. Digiti 4 rubicundi, squamata cute tecti, unus posticus, tres antici, membrana

brevissima iuncti; medius vix longitudine rostri ad angulum faucis, exteriores $\frac{2}{3}$ circiter medii, posticus $\frac{1}{4}$ medii. Ungues validi, cornei, rectiusculi, incurvi; posticus subaduncus.

Caput depressum; pileo cinereo, fronte paucis pennis ochroleucis. Collum conicum, elongatum, cervix pennis cinereis, hinc inde ochroleucis. Crista subreflexa e nucha (seu cervicis superiori parte), pennis rigidis, planis, nigris, divaricatis, capite longioribus, plicatilibus et pro lubitu erigendis: (in minore individuo pennae apice albidae; an differentia sexus? maris?). Gula, iugulum, pectus, abdomen et hypochondria pennis ochroleucis decompositis. Dorsum, scapulares et tectrices superiores alarum omnes cinereae (in minori individuo, circa alulam, quaedam pennae nigro et dein apice ochroleuco-marginatae). Femora nigra, pennis apice pallide-rufo marginatis. Uropygium atrum, pennis albo fasciatis. Crissum pennis laxis ochroleucis, nigro-fasciatis.

Alae complicatae, ultra uropygium extensae. Remiges omnes atrae; alae subtus tectricibus ochroleucis, ultimis albis, nigro-fasciatis.

Rectrices elongatae, falcatae, acutae, albae, nigrofasciatae, apice albo.

290. *Lanius cafer* F. (*)

(Fig. picta G.)

Lanius cauda aequali, corpore nigro, ventre fasciaque alarum albis, crisso rufescente.

Habitat ad Prom. b. spei, vivit locustis et aviculis minoribus.

Corpus magnitudine *Lanii collurionis* s. *L. collarem* excedit.

(*) *Lanius Boulboul* Lath.

Mas: Rostrum compressum, validum, atrum; mandibula superiore adunca, ante apicem dente instructa.

Pedes plumbeo-nigri.

Corpus totum supra atrum, dorso postice grisescente. Genae infra, gula, iugulum, pectusque candida. Abdomen album, postice rufescens. Femora et crissum rufescentia.

Alae atrae. Tectricum secundariarum nonullae apice albae, primariarum binae posticae disco exteriore albae. Remigum secundariarum quinta et sexta margine exteriore albo.

Cauda aequalis. Rectrices 12, atrae.

Fem. Eiusdem staturae, at colores obscuriores:

Corpus supra fuliginosum; gula alba; iugulum, pectus et abdomen rufescentia. Crissum et femora saturate rufa. Alae fuliginosae; maculae albae tectricum ut in mare. Tectrices primariae anteriores apicibus rufescentibus.

291. *Psittacus poliocar* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Psittacus brachyurus viridis, remigibus fasciaque caudae nigris, capite cinereo.

Psittacula madagascariensis. (La petite Perruche de Madagascar.) Briss. 4. 394. t. 30. f. 2.

Habitat in Madagascar, oryza victitat et cerealibus, praeterea et fructibus.

Corpus magnitudine e minimis congenerum, circiter *Fringillae domesticae*.

Rostrum aduncum, apice emarginatum, basi cera tectum, coerulescenti-cinereum. Nares in cera, ad basin rostri, rotundae, patulae, superae.

(*) *Ps. canus* Lin. Gm. Lath.

Pedes et ungues coerulescenti-cinerei.

Caput et pars colli supera coerulescenti-cinerea (in mare, at in feminis laete viridia).

Corpus supra laete-viride, subtus pallide-prasinum (i. e. lutescenti-viride).

Alae complicatae fere ad extremum caudae extensae. Remiges primariae nigrae.

Cauda brevis, recta, laete viridis, ante apicem fascia nigra.

292. *Anas gambensis* L.

(Fig. pict. G.)

Anas rostro semicylindrico, cera gibbosa, alula callo nudo flavo.

293. *Rallus Aethiops* (*).

(Fig. pict. G.)

Rallus niger, rostro prasino, iridibus pedibusque sanguineis.

Habitat ad Prom. b. spei.

Corpus magnitudine circiter *Ralli cafri* s. *minuti.*

Rostrum prasinum seu flavo-virens, rectum, conicum, compressum, acutiusculum, mandibulae aequales. Irides sanguineae.

Pedes tenues, longi, sanguinei.

Corpus totum undique fuliginoso-nigrum.

294. *Tetrao capensis* (**).

(Fig. pict. G.)

Tetrao pedibus nudis, subbicalcaratis, pennis fuscis, triplici margine albo.

(*) *Rallus niger* Lath. Gml.

(**) *Perdix clamator* Temm.

Habitant ad Prom. b. spei inter ericeta et fruticeta locis planis, ab incolis vocantur *Fasanten*, sed certe a Phasianis multum differunt. Nescio qui factum sit, ut Kolbius quoque hosce Tetraones pro Phasianis habuerit et disertis verbis asseruerit, eos prorsus non differre a Phasianis Germaniae, magnitudine, circumcaesura, colore. Haec nimis supine sunt dicta et satis superque probant, quam parum auctoritatis in historia naturali Prom. b. spei Kolbius habeat. Verum quod magis ridiculum est, Astronomus Gallus Abbas de la Caille, multis locis negligentiae supinae Kolbium accusat, et tamen eosdem cum ipso errat errores, nam p. 295 *Phasianos colchicos* quoque inter aves capenses enumerat, quum tamen nullum animal, quod ad genus Phasiani referri possit, in his Africae oris reperiatur; nisi *domesticos Gallos* intellexeris. Sic idem de la Caille cum Kolbio *Pavones* enumerat inter afras aves, qui sunt certe *Otides Arabes*, et p. 353 et 295 *Otides afras*, quas incolae appellare solent *Korrhahn* vel *Knorrhahn*, de cathedra pronunciat esse Tetraones, *espece de Gelinotte*. — Nae, id certissimum, hunc adeo acerbum criticum in plerisque Kolbium esse sequutum, eiusque nomina animalium adhibere, nec tamen id ingenui hominis officium praestitisse, ut fateretur se usum opera Kolbii. Sic Kolbe meminit *Suem terrestrem* vel *subterraneum*, et ex eo la Caille suum habet *Cochon de terre*, nec tamen nos edocet, quale hoc animal sit: si enim per illud spatium temporis, quo ad Prom. b. spei substitit, voluisset colligere quaedam ad historiam naturalem regionis facientia, facile fuisset ipsi demonstrare, hos *Sues terrestres* esse *Myrmecophagas*; verum forte quis dixerit, Abbatem de la Caille Astronomum fuisse, et ad mensurandum gradum quem vocant circuli meridiani esse a rege suo missum, nec ideo ipsi tempus ad historiam naturae indagandam fuisse reliquum: admitto haec et iustam ipsi vocationem concedo a studio naturae, sed minime gentium ideo

ipsum id iuris nactum esse credimus, in famam aliorum ut pro lubitu possit invehi deque ea detrahere. Kolbius certe, si genium seculi quo vixit consideramus, si statum historiae naturalis eius temporis perpendimus, multa magno studio collegit, ita ut lectori occasionem praebeat inquirendi plura, et si in multis erraverit, tamen ipsi ignoscendum credo, quia non iactat se in coarguenda aliorum ignorantia ut ille dicacissimus ac acerbus iudex.

Kolbius meminit *Canes feros*, la Caille ex eo habet suos *Chiens sauvages*, nec quisquam sibi id curae esse duxit, qualesnam hi feri essent canes, donec ipse ex pellibus *Hyaenam* cognovi. Kolbius enumerat *cuniculos* inter animalia Prom. b. spei, et hic la Caille suo utendum iure ratus, ut nos meliora edoceret, *Marmottam* substituit, alio errore, donec a clariss. Pallas edocti sciremus, hosce *Cuniculos* vel *Marmottas* esse *Caviam capensem*. Sed haec sufficient viris qui verum aequumque amant, ut tandem inde colligant, monitorem Kolbii acerbum la Caille, nobis in historia naturali prorsus nil praestitisse; et si quid dixit, fabulas certe hinc inde admiscuit. Sed iam haec omnia concludimus, dicto egregio apud Plin. hist. nat. „*Quid ergo?* „*non multa aeque fabulosa produnt poëtae? Sed hoc ea* „*in re, quae quotidie inveniatur atque abundet, et hoc* „*mendacium coarguat, serio quemquam dixisse, summa* „*hominum contemtio est, et intoleranda mendaciorum im*„*punitas.*"

Quaecunque colligere potui, ad illustrandam scientiam egregiam naturae, id sedulo praestiti; verum nollem alios inde colligere, me omnia iam in eo studio involutissimo praestitisse, nec quidquam reliquum esse, in quo alii se exerceant post nos venturi. „*Patet omnibus veritas, nondum* „*est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est.*" Senec. Epist. 33. Et ego quidem aggressus sum, secundum istud Tullianum dictum, „*non tam perficiundi spe, quam*

„experiundi voluntate." Vita quoque et tempus quo in variis regionibus versatus sum, brevis est et ars longa. Ubi alios errasse vidi, id moderate et sine superbia exposuisse satis esse duxi, probe gnarus, viros candidos, verique amantes nequaquam id aegre laturos, se humani aliquid passos esse, et si quis me docuerit meliora sine supercilio vel superbia, bene actum credam cum scientia, quae indies nova incrementa capit; bene quoque mecum actum credam, quum videro alios tanti meam opellam fecisse, ut eam legerint, examinaverint, correxerint. Verum si quis crediderit, sibi suaeque famae se consulisse, si detrahendo, superbeque conviciando minuta quaedam carpserit, is mihi et pluribus viris candidis, certe illiberalis et sordidi ingenii indicia protulisse videbitur. Sed redeundum e diverticulo in viam.

Corpus magnitudine *T. Francolini.*

Rostrum convexum, mandibula superiore fornicata, flava, apice nigra, inferiore rubra, ad angulum faucis flava. Ita in mare, in femina omne rostrum nigrum.

Pedes nudi, rubri; tibiae infra calcari uno valido atro, supra tuberculo calloso. (Feminae calcari et callo nullo.) Ungues nigri.

Caput fuscum, marginibns pennarum pallide rufis; genae fuscae et marginatae ut capitis, sed pallidiores; supercilia albo marginata; gula alba; collum et dorsum fusca, albo marginata. Pectus et abdomen paululum pallidiora quam dorsi, seu potius fuliginosa, lineis longitudinalibus albis 3-6 undulatis, rachi parallelis, (in femina minoribus angustioribusque) hinc inde quoque maculis albis aspersa.

Remiges pallide fuscae, griseo s. pallide testaceo extus marginatae. Scapulares elongatae, alas complicatas tegentes, marginibus concentricis albidis. Rectrices griseae, rufo transversim striatae, marginibus concentricis numerosissimis. Omnes pennae in genere sunt notatae margi-

26 *

nibus rachi parallelis, concentricis 3-6, non raro undulatis s. dentato-serratis. Crissum et postica abdominis obscure fusca ut dorsum.

295. *Turdus phoenicurus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Turdus olivaceus, superciliis abdomineque albis, gula rectricibusque rufis.

Habitat ad Prom. b. spei.

Corpus Turdo capensi minus.

Rostrum tenue, atrum, compresso-subtrigonum, carinatum; mandibula superior longior, sub apicem emarginata. Nares ovatae, superne squamula angusta fornicatae. Pili patentes plures supra fauces. Lingua emarginata, ciliata.

Pedes atri, incisurae tibiarum plures obliquae.

Caput supra fuscum. Superciliorum lineae albae. Linea atra a fronte per oculos ducta dilatata. Genae cum gula laete rufa; pectus et abdomen albicantia, hypochondria et crissum flavicantia; collum et dorsum olivacea, uropygium laete rufum; alae fuscae immaculatae.

Cauda rotundata, longitudine fere corporis, rectricibus 12, quarum 2 intermediae fuscae, reliquae totae rufae, margine exteriore apice fusco.

296. *Turdus sordidulus* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Turdus fuscus, subtus pallidior, uropygio rectricibusque rufis, apice nigricantibus.

(*) *Saxicola superciliaris* Licht. (1814) *Jean Frédric* Le Vaill. Ois. de l'Afr.

(**) *Motacilla caffra* Lin. Mantiss. (1771). *Traquet du Cap d. b. esp.* Buff. *Traquet familier* Le Vaill. Ois. de l'Afr. *Saxicola familiaris* Mus. Berol.

Habitat ad Prom. b. spei.

Corpus magnitudine circiter *Motacillae rubeculae* vel paulo maius.

Rostrum tenuius ac in cogeneribus, atrum; pilis ad faucem vestitum.

Pedes atri; tibiae tribus tantum incisuris circa metatarsum.

Corpus totum supra fuliginoso-fuscum; subtus pallide cinereum, rufo colore aliquantulum tinctum. Uropygium rufum, crissum ochroleucum.

Alae complicatae mediam caudam attingunt, fuscae, marginibus tenuibus rufescentibus. Tectrices infra alam ex albido cinereae.

Cauda aequalis. Rectrices 12, quarum 2 intermediae totae nigricanti-fuscae, laterales omnes rufae, apice lato nigro-fusco, extima utrimque dimidiam vexillam exteriorem nigram habet.

297. *Fringilla bicincta* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Fringilla cinerea, supra lineolis artubusque fuscis, superciliis genarumque lineis albis atro intertinctis.

Habitat ad Prom. b. spei.

Corpus magnitudine *Fringillae domesticae* vel paullo maius.

Rostrum plumbeo-nigrum; pedes atri.

Capitis pileus, cervix, dorsumque cinerea, lineolis longitudinalibus nigricantibus interruptis, dorsum rufescenti cinereum.

Linea alba a rostro per supercilia,

(*) *Emberiza quinquevittata* Licht. (1821). *Emberiza capensis* Lin. (eadem avis aetate iuvenili). *Emb. flavigaster* Rüpp. Atl.

Linea nigra a rostro per oculos,
» alba a rostro sub oculis ducta,
» nigra a mandibula inferiore sub linea alba, quam et postice cingit, iunctaque lineae nigrae superiori. Gula, iugulum, pectus, abdomen flavicanti-cinerea; uropygium saturate cinereum; crissum flavicans.

Alarum remiges fuscae, rufo marginatae; tectrices primariae fuscae, margine omni laete rufo: reliquae fere totae rufae.

Cauda aequalis, rectrices nigrae, marginibus tenuissimis pallidis.

298. *Muscicapa dubia* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Muscicapa cauda elongata attenuata, pileo ferrugineo, dorso nigro ferrugineoque striato, abdomine medio sordide albo.

Habitat ad Prom. b. spei.

Corpus magnitudine *Emberizae citrinellae* vel paullo maius.

Rostrum subtrigonum, plumbeum, rectiusculum, apice incurvo, mandibula superiore emarginata, inferiore integra. Lingua sagittata cartilaginea, apice emarginato-lacera. Nares in basi rostri, ovatae, squamula fornicata superimposita. Oculi iride avellanea. Vibrissae narium et faucis rarae atrae, in mento et in fronte quaedam.

(*) *Motacilla africana* Lin. Gm. *Sylvia africana* Lath. *Fauvette tachetée du Cap d. b. esp.* Buff. *Le fluteur* Le Vaill. Ois. de l'Afr. *Sphenura tibicen* Mus. Berol. *Dasyornis Sundewall.* (Sub nomine *Dasyornis* primum cel. Gray avem quandam terris australibus propriam significaverat, quam affinem huic africanae *Sundewall* censuit, ideoque ambas sub eodem genere iunxit. Deinde autem eandem australem Gray *Sphenuram* nuncupat, nec amplius africanae mentionem facit.)

Pedes graciles, subgressorii (digito intermedio adnato exteriori) lividi. Tibiae postice acute carinatae, antice incisuris 5; scutelli metatarsi 3, digitorum 8. Ungues acuti, subincurvi, atro-cornei, posticus reliquis longior. Pileus et parotica regio ferruginea, rachidibus nigris. Lora a naribus per supercilia, genae et gula alba. A mandibula inferiore in regionem paroticam linea nigra, dorsum pennis medio et apice nigris, marginibus utrimque luteo-pallidis, in humeris et tectricibus marginibus ferrugineis. Uropygium ferrugineum, lineis rachidum nigris. Iugulum, pectus, abdomen et crissum sordide alba, maculis sparsis nigris.

Alae complicatae vix initium uropygii attingunt. Remiges breves nigrae, rufo-marginatae; subtus plumbeae.

Cauda cuneata, longitudine trunci. Rectrices 12 ferrugineae rachide nigra.

299. *Squalus striatus* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Squalus striis septem nigris, naribus lobo cirrato opertis. (*Dorso mutico, dentibus acutis; cum pinna ani.*)

Habitat in portu falso ad Prom. b. spei.

Corpus conicum, cute granulosa tectum, lurido-albidum, striis 7 plumbeo-nigricantibus longitudinalibus; una in medio dorsi ab apice rostri in caudam; 3 utrimque laterales; ima ab apice rostri, sub oculis ducta, ad pinnam ventr. desinit; media supra oculos ducta et pinna anali interrupta, desinit versus caudam; supera lateralium ab apice rostri in apicem caudae.

() *Squalus africanus* Bl. S. p. 129. *Scyllium africanum* Cuv. Müll. Henle Plagiostomen p. 12.

Caput depressum, subdeltoideum, rostro obtuso. Nares inferae in rostro ante os, laterales, intus distinctae septis numerosis, lobo membranaceo-carnoso opertae, extus acuto, intus rotundato, medio excurrente in cirrum rectum, subcartilagineum, conicum. Os inferum, semilunatum, ad angulos faucis plica utrimque carnosa. Dentibus ordinum supra 4, infra 3 acutis, parvis, introrsum spectantibus, ordine ultimo appresso ut in Squalis solet. Palatum rugosum; lingua rotundata, lata, cartilaginea, depressa, annexa. Oculi laterales, appositi ori, medii. Irides luteae. Aures seu foramen pone oculos rotundum. Spiracula 5 lateralia ante pinn. pect. Anus inter pinn. ventr.

Pinnae pectorales inferae, rhombeae, rotundatis angulis, planae. Pinnae ventrales abdominales, rhombeae, inferae, ante anum: duobus penibus adnatis intus. Pinna analis pone pinn. dors. subrotundata. Pinna dorsalis 1, pone ventralem, rhombea; 2, pone analem, minor, rhombea. Pinna caudae lobo inferiore longitudinali instructa, in apice fere recta, angulis rotundatis.

Mensurae.

Longitudo		29 unc.
Latitudo	capitis	$4\frac{1}{2}$ »
»	trunci pone pinn. pect.	$3\frac{5}{8}$ »

300. *Blennius capensis* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Blennius pinnulis superciliorum subpalmatis, pinna dorsi postica subramentacea, linea laterali curva, maxilla superiore membrana fornicata.

(*) *Blennius capensis* Bl. S. p. 175. *Clinus superciliosus* Cuv. Val. XI. p 360.

Habitat ad Prom. b. spei in portu falso prope rupes in medio portu, et imprimis circa illam quae vocatur *Romans Klip*, unde incolis appellatur *Klipvisch*.

Corpus cathetoplateum, oblongo-lanceolatum, squamosum, lubricum, rubrum, fasciis subsenis nigricantibus. Squamae minimae, obtusae, quadrangulae cute communi tectae.

Caput cathetoplateum, basi dilatatum, ovatum, obtusiusculum, declive, alepidotum, cute communi tectum. Os rictu obliquo, mediocri. Labia carnosa. Maxilla sup. extractilis, brevior. Dentes minuti, simplices, acuti, unius ordinis in utraque maxilla; ad apicem maxillarum intra ordinem praedictum denticuli minuti conferti. Palatum denticulis minutis, acerosis, confertis. Velum membranaceum in utraque maxilla pone dentes, fornicans. Lingua subspatulata, laevis. Nares subrotundae, geminae, remotiusculae, anticae, valvula cirrhosa tectae. Rostrum cum fronte plana. Fossula inter oculos. Oculi orbiculati, prominentes, laterales, superi. Iris exterior pallida, interior purpurascens, intimus annulus coccineus. Pupilla utrimque in superciliis subpalmata. Opercula branchialia triphylla. Lamina antica postice rotundata; inferior ima, oblonga, ad labium inferius excurrens, postica, obovata, supra angulo obtuso, infra acuminata. Membrana branchiostega gularis et lateralis tecta, radiis 6, primis eorum longioribus. Apertura branchialis lateralis.

Dorsum dipterygium, rectum, convexiusculum. Abdomen turgidum s. ventricosum. Latera compressa. Linea lateralis ab aperturae branchialis initio parallela supera; dein a regione ani curva, oblique descendens, denique media recta.

Caput spadiceum, punctis nigris numerosis conspersum, inter oculos et pinn. pect. tres maculae aurantiae.

Corpus spadiceum (brunneum); subtus ochroleucum, (isabellinum). Maculae sex transversae seu fasciae aurantio-coccineae s. flammeae, quarum prima ad nucham super operc. branch. abrupta, reliquae longiores. Pars spadicea punctis numerosis nigris conspersa.

Pinnae dorsales: 1, occipitalis, elatior, fusca, radiis 3 simplicibus; 2, longitudinalis, fusca, maculis purpureis, radiis 41 simplicibus, apice filamento cirroso auctis. Pinnae pectorales ovatae, ochroleucae, punctis fuscis aspersae, et macula baseos aurantia, radiis 14 simplicibus. Pinnae ventrales pallidae, iugulares, radiis 2 cirrosis. Pinna analis pallida, purpurascenti-nebulosa, radiis 29 simplicibus. Pinna caudae aequalis, fusco pallidoque varia, radiis 13 simplicibus.

Mensurae.

Longitudo piscis	$9\frac{2}{3}$	unc.
» capitis ad ang. ap. branch.	$2\frac{1}{4}$	»
Latitudo circa init. pinn. dors. secundae	2	»
Crassities capitis transversa ad apicem laminae secundae operc. branch.	$1\frac{3}{7}$	»
Linea lateralis ante curvaturam	$2\frac{1}{8}$	»
» » ubi recta media	$3\frac{3}{4}$	»

Mart. 22-27. 1775.

301. *Scomber capensis* F. (*)

Scomber pinnulis unitis, P. A. mutica, corpore oblongo, lituris verticis aliquot nigris, linea laterali mutica.

Habitat ad Prom. b. spei et ab incolis appellatur *Elft.*

(*) *Temnodon saltator* Cuv. Val. IX. p. 168.

INSULA SANCTAE HELENAE.

Maii 16-21. 1775.

302. *Perca Boops* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Perca pinnis dorsalibus unitis, cauda integra, radiis 10 spinosis, 22 muticis, ore simo, oculis maximis lucentibus.

Habitat in mari atlantico alluente insulam St. Helenae: appellatur ab incolis *the Bull-Eye* (*Boops*) vocabulo bene selecto.

Corpus ovatum, compressum, postice subcarinatum, squamatum, coccineum. Squamae minutae, rhomboideae, subacutae, apice margine scarioso.

Caput subquadratnm, compressum, squamosum, $\frac{1}{3}$ totius piscis. Os rictu supero, obliquo, mediocri.

Rostrm simum, breve; maxilla superior brevior, Ossiusculum mystacinum deltoideum amplum, squamatum. Dentes numerosi, conferti, acerosi. Nares utrimque geminae oculis vicinae, posticis oblongis maioribus, anticis rotundis minoribus. Oculi superi, antici, ovati, prominuli, maximi (dimidio diametro capitis). Irides viridi lucentes, beryllinae. Opercula branchialia triphylla, squamosa. Lamina antica rhombea, excurrens in angulum acutum, cuspidatum; margine serrata, ciliata: infera ima, minima, postica angulo obtuso supra pinn. pect. Membrana branchiostega infera, patens, 6-radiata. Linea lateralis dorso parallela, arcuata. Anus posticus.

Pinna dorsalis unita longitudinalis, I, spinis 10 tribus primis minoribus, reliquis subaequalibus; II, radiis 22

(*) *Anthias boops* Bl. S. p. 308. *Priacanthus boops* Cuv. Val. III. p. 76.

dichotomis. Pinnae pectorales trapezoideae, submediae, radiis 18 dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, spina 1, radiis 6 dichotomis. Pinna analis ascendens, radiis spinosis 3, dichotomis 17. Pinna caudae recta, integra, radiis 18 dichotomis. Omnes pinnae sunt colore coccineo, uti corpus.

303. *Salmo Myops* F. (*)

(Fig. pict. G.)

Salmo

Habitat in mari atlantico alluente insulam St. Helenae et ab incolis appellatur *Ground-Spearing*.

Corpus oblongum, compressum, squamatum, squamis amplis.

Caput oblongum, squamatum. Os rictu antico, medio, obliquo, subarcuato, labiato.

Rostrum brevissimum. Oculi superi, antici, in ipsissimo rostro et supra apicem oris positi, exigui.

Membr. branch. 14, P. D. 12 et adiposa secunda, P. P. 12. P. V. 8. P. A. 18. P. C. 22. Cauda lunata.

INSULA ASCENSIONIS.

Maii 28-31. 1775.

304. *Scomber Ascensionis* F. (**)

(Fig. pict. G.)

Scomber pinnulis unitis et spinis ante P. A. Ano P. V. vicino, colore fusco, figura rhombea, linea laterali loricata.

Habitat in mari alluente Insulam Ascensionis. Linnaeus male Osbeckium ad suum *Scombrum glaucum*

(*) *Salmo myops* Bl. S. p. 421.

(**) *Caranx ascensionis* Cuv. Val. IX. p. 76.

excitat. Nam *Scomber glaucus* est piscis proprie ad *Gasterosteos* referendus, vel etiam, quod malo exemplo credo fiere, novum est genus condendum, *Gasterosteum glaucum* et *rhombeum, occidentalem* et *ovatum* includens. Osbeckii *Scomber Ascensionis* est verus *Scomber*, eisque annumerandus, ob lineam lateralem carinatam et pinnulas unitas, et alios characteres. Nautis Anglis voce *Cavalle* notus, qua multae Scombrorum species designantur; est enim quoque ad Insulam St. Helenae. Verum id difficillimum, in ea Scombrorum divisione, quae habet pinnulas spurias connatas, differentias specificas genuinas condere. Itaque rursus pensitatis omnibus characteribus, id reperi, pisces huius generis pinnulis spuriis connatis, rursus dispesci posse in eos, qui spinas 2 validas ante pinn. analem habent, et alios qui nullas spinas ante pinnam analem habent. Ad priores pertinent *Ascensionis, Trachurus, Hippos* et *Chrysurus*, ad posteriores spectant *helvolus*, *Amia* et *pelagicus*.

In *Sc. Ascensionis* pinn. dors. prima habet spinas 8, et anus pinn. ventr. vicinus est. Pinn. ventr. radiis 5. Radii secundi pinn. dors. secundae et analis sunt longissimi. Dorsum antice et abdomen recta. Corporis fignra rhombea, color fuscus.

Sc. Trachurus habet pinn. dors. spinis 8, sed anus pinnae anali magis vicinus, pinna ventralis radiis 6. Radii secundi pinnae secundae dorsalis et analis sunt pene aequales, vel sensim ascendentes antrorsum; dorsum et abdomen parum arcuata, corpus oblongum colore argenteo.

Sc. Hippos est pinna dorsali 7-radiata. Radii secundi P. D. II et A. vix sunt reliquis duplo longiores, anus P. A. magis vicinus. P. V. radiis 6. Dorsum arcuatum. Abdomen rectum. Corpus ovatum, color argenteus, operculum ad nucham macula nigra.

Sc. Chrysurus P. D. I, spinis 8 vel 9. P. V. radiis 6 vel 5, pinnulae luteae, os edentulum.

Scomber helvolus similis Sc. Ascensionis, at P. D. I spinis 6, II et P. A. subascendens, P. V. 5; anus anticus. Dorsum convexum. Abdomen rectum. Corpus ovatum, argenteo-helvolum, linea laterali loricata.

Sc. Amia P. D. I, spinis 5, II et P. A. medio humilis, radiis ultimis longissimis. P. V. 6. Corpus caudam versus quadratum, supra coeruleum, subtus argenteum.

Sc. pelagicus pinnis D. unitis. P. V. 5.

Scomber Ascensionis est obvius quoque ad Insulam St. Helenae.

Corpus rhombeum, compressum, squamosum, fuscum. Squamae minutae, cute communi tectae.

Caput obtusum, compressum, suborbiculatum. Os rictu terminali, subinfero, mediocri, arcuato, ossiculum mystacinum deltoideum, latum. Maxilla inferior longior. Dentes minuti, conferti, acerosi. Lingua spatulata, frenulata, denticulis aspersa. Palatum denticulis aspersum, antice velo parvo membranaceo fornicatum, ut et maxilla inferior.

Rostrum breve, arcuatum, ad oculos depressum. Nares utrimque geminae, ante canthum oculi deltoideum, pellucidum, vicinae inter se, superae, posticae, antica minore rotunda, postica maiore ovata. Oculi antici, superi, mediocres, cute communi tecti, iride lutescente. Frons arcuata squamata. Opercula branchialia nuda, triphylla? Membrana branchiostega tecta, radiis 7. Branchiae 4 extus ciliatae, intus spinosae.

Dorsum carinatum, a nucha ad initium P. D. II rectum, horizontale, dein subrectum declive in caudam. Latera convexa, abdomen in P. A. rectum. Anus amplus, anticus, P. V. vicinus. Linea lateralis primum supera, parallela, media curva, descendens, arcuata; denique recta, media, carinata, scutato-loricata, scutis circiter 29.

Pinnae dorsales duae: I, spinis 8; tertia, quartaque longissimae in fossula dorsi condendae; II, radiis 24 dichotomis, 2-6 longissimi, reliqui 17 aequales mutici. Pinnae pectorales inferae, falcatae, capite longiores, rad. 20 circiter dichotomis, quorm 14 breviores. Pinnae ventrales thoracicae, mediocres, $\frac{1}{3}$ pectoralium, radiis 5 dichotomis. Pinna analis I, spinae 2 validae. II, radii 18 dichotomi, 4 primi elongati, reliqui 14 aequales. Pinna caudae bifurca, radiis 22 dichotomis.

Pinnae omnes fuscae.

305. *Scomber helvolus* F. (*)

(Fig. picta G.)

Scomber pinnulis unitis, P. A. mutica, corpore ovato, colore argenteo-helvolo, linea laterali loricata.

Habitat in mari atlantico alluente Insulam Ascensionis.

Corpus ovatum, compressum, utrimque carinatum, colore argenteo-helvolo (i. e. argenteo, purpureo-nigrescentique tincto, vel matrice perlarum vario), squamosum. Squamae minutae, cute communi tectae.

Caput subrotundum, compressum, ex parte squamosum. Os rictu medio, obliquo, arcuato. Ossiculo mystacino amplo deltoideo. Maxilla inferiore longiore. Dentes minuti, acerosi, conferti, in utraque maxilla. Lingua obtusa, spatulata, carnea, nivea, frenulata, nuda. Palatum antice et maxilla inferior velo membranaceo, candido fornicata. Palatum nudum, membrana nivea vestitum. Nares geminae approximatae, ovatae, ante canthum oculi deltoideum positae. Oculi ampli, nudi, submedii. Iris aurea fusca. Opercula branchialia triphylla, nuda, glabra. Lamina antica rhombea, inferior ima, lunata, po-

(*) *Caranx helvolus* Cuv. Val. IX. p. 78.

stica lunata, mutica. Membrana branchiostega tecta, radiis 7 arcuatis. Apertura branchialis tecta, semiarcuata. Branchiae 4 arcuatae, extus ciliatae, intus spinoso-aculeatae.

Dorsum dipterygium, arcuatum, carinatum. Latera convexa. Abdomen rectum. Anus amplus, anticus. Linea lateralis primum supera, parallela, medio descendens, curva, arcuata, denique media, recta, carinata, scutato-loricata.

Pinnae dorsales binae: I, spinis 6; scapularis exigua in fossula exigua dorsi condenda; II, radiis 29 dichotomis, antice subelevata, postice aequalis. Pinnae pectorales inferiores, capite longiores, falcatae, rad. 21 dichotomis. Pinnae ventrales thoracicae, exiguae, approximatae, ventri per membranam annexae, radiis 5 dichotomis. Pinna analis antice elevata, postice aequalis, rad. 21 dichotomis, muticis. Pinna caudae bifurca, radiis 22 dichotomis.

P. D., A. et C. fuscae; Pect. et V. albidae.

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM AC SYNONYMORUM,
IN QUO NOMINA A FORSTERO EXCOGITATA LITTERIS ANTIQUIS SCRIPTA A RELIQUIS DIGNOSCANTUR.

Acanthisitta citrina . . . 89
— *longipes* . . 88
Acanthurus guttatus 218
— *lineatus* 216
— *lituratus* 218
— *nigricans* . . . 214
— *olivaceus* . . . 183
— *triostegus* . . . 216
Aegialitis nigrifons 108
Aëtobatis narinari 227
Alauda genus 91
— *arborea* 1
— *arvensis* 1
— littorea 90
— *novae Zeelandiae* 90 91
Alcedo cancrophaga 4
— collaris 162 256
— cyanea 156 76
— *sacra* 76
Alcyon vagans 76
Amphacanthus punctatus . 286
Amphiprion sogo Bl. . . . 191
Anas assimilis 46
— atricilla 95
— *brachyptera* 338
— *cana* 44
— *capensis* 45
— cheneros 92
— *erythrorhyncha* . . . 45
— *cinerea* 338
— *cristata* 340
— *Gambensis* 44
— ganta 336
— *guttata* 46
— leucophrys 93
Anas lophyra 340
— malacoryncha 94
— montana 44
— *novae Zeelandiae* . . 95
— *oxyptera* 342
— picta 333
— pteneres 338
— pyrrorhyncha 45
— *strepera* 156
— *superciliosa* 93
— *variegata* 92
— xanthoryncha 45 313 342
Anguis laticauda . 156 256 257
— platura 229
Anser antarcticus 336
— *cygnoides* 44
— *leucopterus* 333
— melanotos Faun. ind. T. XI
Antelope genus 33
— *bezoartica* 392
— *Bubalis* 380
— *Caama* 380
— *Capreolus* 392
— *Cervicapra* 379
— *Corinna* 387
— *Dama* 377
— *Dorcas* 387
— Euchore 34 388
— *Gazella* 380
— glauca 391
— *Gnu* 40 392
— *Grimmia* 384
— *Kevella* 387
— *leucophaea* 391
— Leucopus 377

Antelope leucoryx 381
— *melanotis* 375
— *mergens* 384
— minuta 383
— *Oreas* 33 379
— Oreotragus 382
— *Oryx* . . . 379 33 380
— *pallida* 376
— *Pasen* 392
— Pygargus . 34 387 388
— *pygmaea* 383
— *rupestris* 376
— *rupicapra* 391
— *Saiga* 390
— *scripta* 386
— strepsiceros 36
— tatarica 390
— *Tragocamelus* . . 377
— tragulus 36
Anthias boops 411
— *ciliaris Bl.* 137
— *grunniens* 294
Anthochaera ? 165
— *?* 266
Anthornis melanura 79
Apis aestuans 20
— *lucorum* 2
— *mellifica* 2
— *trnncorum* 2
Aptenodytes Genus 346
— antarctica . . . 56
— chrysocome . . 99
— magellanica . . 351
— minor 101
— Papua 352
— patagonica . . 347
— torquata . . . 353
Aquila brunnea 69
Ardea aequinoctialis . . . 156
— *caledonica* 274
— ferruginea 274
— fusca 47
— *gularis* 211
— iugularis 172
— *novae Hollandiae* . 172
— palearis 47
Asilus forcipatus 3
Athene novae Zeelandiae . 71
Atherina lacunosa 298
— *fluviatilis* 247
— Menidia 233
Balistes aculeatus 156
Balistes scaber 152
— *vetula* 155
Batrachus bispinus 360
— *trigloides* . . . 358
Blatta orientalis 2
Blennius capensis 408
— *edentulus* 231
— fenestratus 124
— gobioides 283
— littoreus 127
— *tridactylus* 283
— tripennis 125
— truncatus 231
— varius 127
Bodianus miniatus 220 221 222
Bombus antiguensis 20
Bos connochaetes 392
— Poëphagus 40
Callaeas cinerea 74
Callionymus acanthorynchus 117
— bispinus 360
— trigloides . . . 358
Cancer spec. div. 155
Canis familiaris 156
Caranx Forsteri 199
— *ascensionis* 412
— *helvolus* 415
Carbo magellanicus 356
Cassida aurulenta 15
— *interrupta* 15
— *quadriremis* 15
— *viridis* 2
Cavia capensis 316
Centropristes truttaceus Cuv. 147
Certhia cardinalis 262
— carunculata 165
— cincinnata 78
— chlorophaea 264
— fasciata 263
— *melanura* 79
— olivacea 79
Certhiparus novae Zeelandiae 90
Chaetodon lividus 227
— *rhomboides* . . 7
— *striatus* 155
— *triostegus* . . . 216
— *vagabundus* . . 155
Charadrius fulvus 176
— glareola 109
— glaucopus . . . 176
— *nigrifrons* . . . 108

Charadrius torquatula . . . 108
Chenalopex leucopterus . . 334
Chilodactylus carponomus . 136
— *macroptera* Gray 136
Chionis lactea . . 312 313 330
— *vaginalis* 330
Chorinemus Commersonianus 195
Chrysochloris aurata . . . 30
Chrysophrys Forsteri . . . 184
Cichla cultrata 292
— *lineta* 134
— *argyrea* 291
— *macroptera* 136
Cimex Momordicae 16
Cirrithes pantherinus . . . 224
Clinus littoreus 127
— *superciliosus* 408
Clio conchacea 29
Chloephaga magellanica . . 336
Clupea cyprinoides 296
— mystacina 295
— *setirostris* 295
— *thrissoides* 296
Cnide hyalina 12
— ungula 29
Cobitis pacifica 235
Columba aromatica 264
— argetraea 80
— *curvirostra* 265
— *erythroptera* . . . 168
— ferruginea 265
— globicera . . 256 166
— *larvata* 52
— leucophrys 168
— *oceanica* 166
— *pacifica* 166
— porphyracra 167
— *purpurata* 167
— *pyrrhacra* 211
— *spadicea* 80
— sylvestris 52
— *tannensis* 264
— xanthura 264
Conops irritans 3
Coracias pacifica 261
Corvus albicollis 42
— cafer 42
— *caledonicus* 260
— cinereus 260
— *Corone* 1 257
— morio 42
Corvus scapulatus 42
— *n. sp.* 257
Coryphaena psittacus 257 155
— *hippurus* . . . 155
Corythaix Persa 42
Crex quadristriata 275
Cuculus fasciatus 160
— *lucidus* 151
— nitens 151
— *Persa* 42
— *taitensis* 160
Cyclopterus littoreus 114
— pinnulatus . . . 301
Dacelo Actaeon 4
Dasyornis 406
Delphinus Delphis . . 279 280
— *orcus* 210
— *Phocaena* . 156 210
Diacope fulva 193
— *octolineata* 225
Diomedea Albatrus 27 210 313
— *chlororyncha* . . 24
— chrysostoma 24 210 313
— *exulans* 27
— *fuliginosa*. . . . 55
— palpebrata . . 55 210 313
Dipus Iaculus 370
Doris laevis 10
Echeneis Naucrates . 257 250
— *remora* 155 257 279
Echidna variegata 181
Emberiza cafra 53
— *capensis* 405
— *citrinella* 1
— *flavigaster* 405
— *quinquevittata* . 405
Enchelyopus Bacchus Bl. . 120
— *colias Bl.* . . 122
Epimachus Caffer 43
Epinephelus oxygeneios . . 309
— *lepidopterus Bl.* 138
Equula minuta 288
Equus Zebra 40
Esox alepidotus 142
— argenteus 196 257
— *Belone* 257
— *brasiliensis* . . . 155 257
— saurus 143
— *scombroides Solander* 143
Exocoetus volitans 155
Falco coronatus 321

Falco Haliaëtus 257
— Harpe *mas.* 68
— — *fem.* 69
— Leucaëtos 70
— *Nisus* 1
— *novae Hollandiae* . . 70
— *novae Zeelandiae* . . 68
Felis capensis 362
Fistularia tabacaria 155
Fossor genus 31
— capensis 32
— leucops 364
Fringilla bicincta 405
— *butyracea* 1
— *Canaria* 1
— *Carduelis* 1
— *coelebs* 1
— *domestica* 1
— *montana* 1
— pulchella 273
Fulica Porphyrio . . . 49 156
Gadus Bacchus 120
— Colias 122
— *rubiginosus Soland.* 120
— magellanicus 361
— *Pollachius* 315
— Rhacinus 304
Galaxias alepidotus Cuv. . 142
Gasterosteus Ductor 257
— glaucus 5
— punctatus . . 140
— rhombeus . 7 257
— *volitans* . . . 155
Gastrobranchus Dombeyi Lacep 112
Georychus capensis . . 32 364
Gerres argyreus 291
Glaucopis cinerea 74
Glaucus Atlanticus 11
— *Forsteri* 11
Grammistes Forsteri 224
Grus carunculata 47
Gryllus campestris 2
— *grossus* 2
— *verrucivorus* . . . 2
Gymnothorax Echidna . . . 181
Gypogeranus serpentarius . 396
Haematopus niger 112
— unicolor 112
Halieus magellanicus . . . 356
Halmaturus giganteus . . . 367
Harpurus fasciatus 216
Harpurus guttatus 218
— inermis 286
— lineatus 216
— lituratus 218
— monoceros 219
— paroticus 183
— nigricans 214
Hemerocoetes acanthorynchus 117
Heptatrema Dombeyi Gray. 112
Herpestes Caffer 38
Hirundo apus (*Cypselus*) . 1
— capensis 54
— *cinerea* 240
— *fuligula* 55
— hyemalis 55
— *iavanica* 241
— peruviana 240
— pyrrholaema . . . 241
— *rustica* 1
— *urbica* 1
Holocentrum tiere 191
Holocentrus fulvus 193
— *hexagonatus* . 189
Hyaena maculata 39
Hyalea lanceolata 29
Ibis calva 48
— *melanopis* 332
Iulis celidotus Gray. . . . 133
— *miles Gray* 131
Labrus anthias 155
— *auratus* 307
— celidotus 133
— coccineus 131
— *miles Bl.* 131
— pinnulatus 186
Lacerta agilis 2
Lanius Boulboul 398
— *Brubru* 41
— cafer 398
— *cucullatus* 268
— frontalis 41
Larus
— *catarractes* 210 312 313
— *cirrocephalus* 106
— *dominicanus* 46
— littoreus 46
— *marinus* 313
— *poliocephalus* 106
— scopulinus . . . 106 257
Lafris ciliaris Rich. 137
— *lineata Rich.* 134

Lepadogaster pinnulatus . . 301
Lethrinus miniatus 289
Lichia glauca 5
Lota bacha Cuv. 120
— *rhacina* 304
Loxia Astrild 1
— melaleuca 272
— *oryx* 53
— *prasina* 273
— Turdus 85
Lygaeus membranaceus . . 16
Medusa passiflora 13
Meliphaga Sannio 79
— ? . . . 163 263 269
— *sericea* 264
Mephitis africana 38
Merops novae Zeelandiae 78
Micropterus cinereus . . . 338
Miniopterus Ursinii 62
Miro albifrons 82
Mohoua ochrocephala . . . 87
Monacanthus scaber 152
Monoceros biaculeatus . . 219
Motacilla africana 404
— *caffra* 404
— citrinella 89
— *flava* 1
— gracula 324
— longipes 88
— magellanica . . . 326
— *murina* 328
— *patagonica* . . . 324
— *rubecula* 1
— seticauda 328
Mugil albula 145
— *cephalus* 315
— cirrhostomus . . 198 257
— *Forsteri* 145
— salmoneus 299
Mullus barbatus 155
— *surmuletus* 155
Muraena coeca 230 247
— *anguilla* 257
Murex spec. div. 155
Mus Rattus 156 211
Musca carnaria 2
— *mellina* 3
— *scripta* 3
Muscicapa atra *m.* 170
— atra *f.* 171
— chloris 87
— dibapha 267
Muscicapa dubia 406
— *flabellifera* . . . 86
— heteroclita . . . 271
— lutea 169
— *multicolor* . . . 83
— naevia 269
— *nigra* . 170 171 211
— *ochrocephala* . . 87
— olivacea 271
— Ventilabrum 86 256
— xanthetraea . . . 268
Mustela Zorilla 38
Myripristis spec. Cuv. . . . 191
Naseus fronticornis 219
— *lituratus* 218
Nectarinia rubra 262
Nestor hypopolius 72
Noctua caricis 18
Numenius tahitiensis 242
Ocypterus leucorhynchus . 272
Odax pullus 306
Ophidium blacodes 115
Oriolus musae 163
Ostracion quadricornis . . 155
Otaria ursina 64
Otis Afra 51
Pachyptila vittata 21 59
Pagrus latus Rich. 307
Papilio boeticus 2
— *Brassicae* 2
— Garamantis 17
— *Ilithyia* 17
— *Monuste* 2
— *Palaeno* 2
— *virgaureae* 2
Parus novae Zeelandiae . 90
— urostigma 90
Pedetes Gaffer 368
Pelamis bicolor 229
Pelecanus aquilus . . 210 211
— *aquilus* 156
— *Bassanus* . 210 211
— carunculatus 102 312
— magellanicus 312 313 356
— pica 104
— plotus 278
— punctatus 104
— *Sula* 211
Perca Boops 411
— fulva 193 257
— grunniens 294

Perca guttata 155
— hexagonata 189
— Holocentrus 191
— irrorata 222
— lepidoptera 138
— maculata 220
— polyzonia 225
— prognathus 309
— *punctata* 155
— taeniata 224
— *Trutta* 147
— urodeta 221
Percis colias Cuv. 122
— *clamator* 400
Petroica phoenicea 267
Petromyzon cirratus 112
Phäeton aethereus 153 156 210
Phalaena pallium 18
Phalacrocorax 278
Phasianus Gallus 156
Phoca iubata 313 317
— *ursina* 64 315
Phycis tinca Bl. 304
Picus capensis 43
— *fulviscapus* 43
Poecilia fusca 235
Polynemus plebeius 236
Platessa scapha 130
Platycercus novae Zeelandiae 238
Pleuronectes pictus 285
— *scapha* 130
— *spinosus* . . . 285
Pomacentrus punctatus . . 227
Pompilus croceicornis . . . 19
Polyprion cernium C. . . . 309
Porcus domesticus 211
Porphyrio smaragdonotus . 49
Porpita mediterranea . . . 13
— *glandifera* 13
Priacanthus boops 411
Pristipoma guoraca 294
Procellaria aequinoctialis . 26
— *alba* . . . 148 206
— antarctica . 60 202
— capensis . . 20 313
— *cinerea* 205
— fregatta 180
— fuliginosa . . . 23
— gavia . . 148 156
— *gigantea* . . . 343
— glacialis 25
Procellaria grallaria . . . 180
— *grisea* 204
— haesitata 208
— *hasitata* 208
— inexpectata . . 204
— leucocephala . . 206
— nigra 26
— nivea 58
— ossifraga . 313 343
— *pelagica* 313
— puffinus 23
— similis 59
— tridactyla . . . 149
— tristis 205
— *urinatrix* . . . 149
— vittata 21
Prostemadera cincinnata . 78
Psettus Sebae 7
Psittacus australis 160
— bisetis 258
— *caledonicus* . . . 159
— *canus* 399
— *cornutus* 258
— euchlorus 160
— hypopolius 72
— hysginus 159
— *meridionalis* . . . 72
— *novae Zeelandiae* 73 238
— pacificus . . . 238 73
— palmarum 259
— poliocar 399
— sapphirinns 201
— *taitanus* 201
Ptiloturus Caffer 43
Rallus aethiops 400
— cafer 50
— *coerulescens* 50
— minutus 178
— *niger* 400
— pacificns 177
— *quadristriatus* . . . 275
— *tabuensis* 178
— tannensis 275
— troglodytes 110
Raia Batis 156
— *clavata* 315
— edentula 227 256
Raia narinari 227
— *pastinaca* 256
Rhyzaena tetradactyla . . 37
Rynchoea capensis 49

Saïres scombroides Gray. . 143
Salarias alticus 283
— *Forsteri* 231
Salmo myops 412
Salpa zonaria 12
Salpae spec. 29
Saxicola familiaris 404
— *pileata* 52
— *superciliaris* . . . 404
Sciaena argyrea 291
— aurata 307
— ciliaris 137
— cultrata 292
— fimbriata 189
— *lata Solander* . . 307
— lineata 134
— macroptera 136
— mugil 187
— Trutta . . . 147 279
Sciurus capensis 39
— *albovittatus* 39
— palmarum . . . 39 316
— *setosus* 39
Scolopax cafra 49
— ? 173
— *oedicneme* 174
— pacifica 174
— *phaeopus* 242
— *phaeopoda* 156
— undulata . . 173 211
Scomber amia 415
— ascensionis 412
— *capensis* 413
— *carangus* 199
— *chrysurus* 413
— *dentatus* 141
— Dentex 141
— *Forsteri* 195
— *glaucus* 5
— helvolus . . . 414 415
— hippos . 155 199 413
— maculatus . . 195 257
— *pelagicus* 414
— *punctatus* 140
— *trachurus* 155 257 413
Scopus Umbretta 47
Scorpaena cottoides 128
Scorpius europaeus 155
Scotophilus? 62
Scyllium africanum 407
Seriola cultrata Gray. . . . 292
Serranus hexagonatus . . . 189
Serranus lepidopterus Rich. 138
— *urodelus* 221
— *variolosus* 220
Sparus miniatus 289
— *Forsteri Bl.* 184
— pullus 306
— striatus 184
Sphagebranchus catostomus 230
Sphenura tibicen 406
Sphex coerulea 19
— *spirifex* 2
Squalus africanus 407
— *canicula* 156
— *carcharias* 2 250 256 279
— *catulus* 2
— *striatus* 184
Sterna antarctica 107
— *australis* 20
— candida . . 179 210 247
— *fuliginosa* 276
— guttata 210 211
— *hirundo*. 313
— *infuscata* 211
— media 20
— serrata 276
— *stolida* 156
Strix Baccamuna . . . 157 256
— *Bubuk* 71
— fulva 71
Sturnus carunculatus 81
— *vulgaris* 1
Sus aethiopicus 39
— *scropha* 156
Sylvia africana 406
— *longipes* 88
— *magellanica* 326
— *murina* 328
— *patagonica* 324
Syngnathus Hippocampus . 257
Synanceia papillosa 128
Synodus argenteus 196
Talpa asiatica 30
Tanagra macularia 85
Tantalus capensis 48
— melanops 332
Temnodon saltator 410
Tenebrio cursor 2
Testudo imbricata 247
— *Midas* 156
Tetrao capensis 400
— *rufus* 1

Tetrodon hispidus 247
— sceleratus 254 255 257 282
Thalia Genus 14
Thyrsites atun Cuv. 141
Trigla asiatica 236 247
— *pentadactyla* 236
— *volitans* 155
Tringa leucoptera 174
— pyrrhetraea 174
Tripterygion Forsteri . . . 125
— *varium* 127
Trogon fasciatus Faun. ind. T. V
Turdus albifrons 82
— badius 239
— *crassirostris* 85
— mimus 52
— minutus 83 257
— ochrotarsus 82
— phoenicurus 404
— sordidulus 404
— *ulietensis* 239
— xanthopus 266
Turnagra crassirostris . . . 85
Tzeiran 387
Upupa promerops 43
Uranoscopus Forsteri . . . 118
— maculatus 118 155
Vaginalis alba 330
Vespa gallica 2
Verpertilio tuberculatus . . 62
— *Vampyrus* . . . 156
Vidua longicauda 53
Viverra genetta 38 315
— Ichneumon . . . 38 315
— pntorius 38 316
— tetradactyla . . 37 316
Vultur Plancus 321
— serpentarius 396
Xylocopa antiguensis . . . 20
Yerbua capensis . . . 368 365
— Kanguru 367
Zanthomyza? 266
Zeus argentarius 288
— *faber* 2
Zosterops 271

E R R A T A.

Pag.	16	lin.	2	inf.	Schönl.	lege	Schönh.
,,	39	,,	5	,,	10	,,	40.
,,	63	,,	11	sup.	estuario	,,	aestuario.
,,	75	,,	7	inf.	innoluit	,,	innotuit.
,,	89	,,	2	,,	α	,,	et.
,,	157	,,	15	,,	121	,,	141.
,,	236	,,	2	,,	pentedactyla	,,	pentad.
,,	238	,,	3	,,	Platycereus	,,	Platycercus.
,,	239	,,	1	sup.	201	,,	202.
,,	241	,,	8	inf.	294	,,	204.
,,	271	,,	1	,,	dispositationem	,,	dispositionem.
,,	280	,,	20	sup.	promontoreium	,,	promontorium.
,,	316	,,	3	,,	soldi	,,	vidi.
,,	318	,,	13	,,	Ceouina	,,	leonina.
,,	318	,,	7	inf.	mulfoque	,,	multoque.
,,	320	,,	12	sup.	obembulant	,,	obambulant.
,,	348	,,	10	inf.	patagoica	,,	patagonica.
,,	406	,,	10	,,	fido	,,	fide.

[illegible]